POSTILLAS PAN

WiMBP
Opole

86 st.

Akc. V 396/24 Qu C

37. bogen.

Mei Blasij Guntheri ſ.

POSTILLA LATINA, PRO CHRISTIANA IVVENTVTE PER Quæſtiones explicata,

A DIE SANCTO PAſchæ uſq; Aduentus Domini Dominicam.

AVTORE IO. SPANGEBERGIO, Apud Northuſanos Eccleſiaſte.

E Germanico uerſa per REINHARDVM Hadamarium.

FRANC. Apud Chr. Egen.

B Gustervis M. Sue
Genevo G. C. 75. 18
mirarij dis

IN DIE DOMINICA PASCHATIS, EVANGELIVM Marci ultimo.

ET quum præterijſſet Sabbathum, Maria Magdalene, et Maria Iacobi, & Salome emerunt aromata, ut uenirent & ungerent eum. Et ſummo diluculo diei primi ſabbatorum ueniũt ad monumentum, exorto ſole, dicebantq; inter ſeſe: Quis reuoluet nobis lapidem ab oſtio monumenti? Et cũm reſpexiſſent, uidẽt lapidem eſſe reuolutum: nam erat magnus ualde. Et ingreſſæ in monumentum, uiderunt adoleſcentem ſedentem à dextris, amictum ſtola candida, & expauerunt. At ille dicit eis: Ne expaue-

scatis: Iheſum quæritis Nazarenum, qui fuit crucifixus, ſurrexit, non eſt hic: ecce locus ubi poſuerant illum. Sed abite, dicite diſcipulis eius, & Petro, quòd ille præcedet uos in Galilæam: illic eum uidebitis, ſicut dixit uobis.

Qua de re præſens Euangelium dicit?

De reſurrectione Domini noſtri Ieſu Chriſti.

Quot potiſſimum res neceſſariæ ſunt relatu de Reſurrectione Chriſti?

Vt per Reſurrectionem eius credentes omnes uitam nouam conſequerentur. Etenim Chriſti natiuitas, paſſio atq; mors paruo nobis uſui fuiſſent, ſi non à mortuis etiam reſurrexiſſet. Quippe ſua Reſurrectione Chriſtus amiſſam nobis uitam reduxit, ſalutem reparauit, cœlos aperuit, & deuicto Satana, morte, peccatis, & inferno, glorioſiſſima trophœa fixit, expoliatoſq; principatus, ac poteſtates oſtentauit palàm, triumphans illos per ſemetipſum. Porrò, ſi non reſurrexiſſet à mortuis, inanis

inanis eſſet & ſuperuacanea fides noſtra, qui per Baptiſmum conſepulti ſimul cum illo, non reſurgeremus. Nunc autem Chriſtus reſurrexit à mortuis, & nos per delicta mortuos ſimul uiuificauit, 1. Corinth. 15. Coloſſ. 2.

Vbi Chriſtus reſurrexit?

In horto. Quemadmodum in Paradiſo primi caſu parentis omnem uitæ atq; ſalutis ſpem amiſimus, ita Chriſtus in horto paſſionem, qua ſalutem nobis recuperaret, auſpicatus fuit. In horto item ut miſeris uitam reſtitueret, reſurrexit. Sic quod in horto primus Adamus perdidit cadendo, id in horto ſecundus reſurgendo reparauit. Nec in monumento, quo fuerat à Ioſeph atq; Nicodemo conditus, poterat relinqui, iuxta illud Pſalm. 16. Non derelinques animam meam in inferno, nec dabis ſanctum tuum uidere corruptionem.

Quando reſurrexit?

Summo diluculo ſabbatorum primi (quem nos Solis appellamus) diei. Prius autem magno terræ motu facto, reſurrexit, quàm Angelus de cœlo deſcenderet, ac reuolueret lapidem ab oſtio monumenti.

Quænam perſonæ fuerunt, quarum mentio fit in Dominica Reſurrectione?

Principio Christus cum suis Apostolis ac discipulis. Deinde sanctæ mulieres ac matronæ, ut Maria Magdalene, de qua Christus eiecerat dæmonia septem, Maria Iacobi, uxor Cleophæ, Salome filiorum Zebedæi mater, Iohanna uxor Chusæ, qui præses Herodis, Susanna, & multæ aliæ quæ subsecutæ fuerant Iesum à Galilæa, ministrantes ei. Item Angeli, & sepulchri custodes.

Res gestas proferet primo, quando mulieres emerint aromata, quibus Christũ ungerent.

In die Parasceues aromata comparauerunt & unguenta matronæ. Quæ, quum crucifigeretur, è longinquo stabant spectantes, & quum poneretur in sepulchro, subsequebantur, uidentes, quemadmodum corpus reconditum esset. Deinde reuersæ, parauerunt aromata & unguenta, quantum permittebat tempus, quod restabat ad occasum solis. Postmodo secundum præceptum sabbato quieuerunt ad insequentem continuò solis occasum. Mox igitur cùm præterijsset sabbatum, quæ pridie mercatæ fuerant unguenta, composuerunt, ut uenirent & ungerent Christum.

Sed inter se discrepant Euangelistæ. Cur enim alius dicit, ualde manè, & alius orto iam sole?

Iudæi diem à uespero definiebant ad insequens uesperum,

uesperum, quod ex Gen. 1. cap. colligitur. Est igitur Euangelistarum hic sensus: Christus, inquiunt, die Solis resurrexit, mane summo: quod priori uespero finem imponens, lucescebat in primam post magnum illud sabbatum, feriarum diem. Quòd autem alius dicit ualde manè, alius autem orto iam sole: non intelliges solem splendore pleno, radijsq; totis omnia mundi climata perlustrasse, sed tam tam prodeuntem aliquo ruboris sui coruscamine conspicuum scintillasse.

Quid matronas impellebat, ut tam manè Hierosolymã egressæ contenderent ad sepulchrũ?

Flagrans amoris ardor, quo Christum prosequebantur, incitabat. Quem enim uiuentem dilexerant, eius mortui non potuerant obliuisci. Et diuinus amor tam animosas fecerat, ut omnis metus atque trepidationis expertes properauerint ad monumentum egressæ Hierosolymam mane summo, nihil cogitantes, nihilq; solicitæ, de ualde magno ab ostio monumenti reuoluendo lapide, nihil item anxiæ propter armatos, qui sepulchrum obsidebant, custodes. Incuriosæ igitur salutis propriæ, corpus ac uitam, honores ac opes periculis exponunt propter Christũ. Etenim tam altas in cordib. earũ radices egerat amor in Christũ, ut nullies succũbere maluissent, quàm nõ sequi Dominũ dilectũ, nec in oculis ferre.

Sed unde tam animosæ reddebantur, & alacres?

Ab efficaci passionis Christu potentia. Quemadmodum autem hæc ipsa sanctis mulieribus animum præsentem addebat, Apostolos etiam atque discipulos Christi faciebat alacerrimos, ita contudit, ac deartuauit Satanam, qui tum sensit uires suas debilitari.

Quid accidit in Dominica Resurrectione?

Sic scribit Matthæus: Ecce terræmotus factus est magnus. Angelus enim Domini descendebat de cœlo, & accedens deuoluit lapidem ab ostio, sedebatq; super eum. Erat autem aspectus eius sicut fulgur, & uestimentum eius candidum sicut nix. Præ timore autem eius concussi sunt custodes, & facti sunt uelut mortui.

Quid significat terræmotus iste?

Diuini Verbi potentiam denotat, quod quum prædicatur, totum orbem commouet, ac omnes impios exterret, quemadmodum Dauid ait Psal. 99. Dominus regnat, irascũtur igitur populi. Dominus sedet super Cherubim, ergo terra mouetur. Ineffabilem etiã illius efficaciã demonstrat. Hinc ad He. 4. Viuus est sermo Dei & efficax, & penetrantior quouis gladio, utrinq; incidente ac perringente, usq;

usq; ad diuisionem animæ simul ac spiritus, compagumq; ac medullarum, & discretor cogitationum & intentionum cordis, nec ulla est creatura, quæ non manifesta sit in conspectu illius.

Cur angelus lapidem deuoluit, cùm id facere potuisset Christus?

Quo facto uoluit ostendere Deus, ut quemadmodum angelos in Christi ministerium creauerit, sic eosdem condiderit ad inseruiendum Christianis omnibus, iuxta illud ad Hebræos. 1. Nonne omnes sunt administratorij spiritus, qui in ministeriũ emittuntur propter eos, qui hæredes erunt salutis. Per angelum item accipies Euangelij prædicatorem, quem oportebit grauem illum humanarum traditionum lapidem à monumento sacræ scripturæ deuoluere, ut homines pij accedere, & ad Christum peruenire possint.

Cur Euangelista dicit, lapis erat magnus ualde?

Verbis exprimi non potest, quantum ponderis habebant in Ecclesia traditionum humanarum illi lapides, ad Christi sepulchri, hoc est, ad ostium Euangelicæ doctrinæ positi, utpote pecuniarum emunctrices, atq; seductrices animarũ, bullæ Romanæ, peccatorũ remissionem causa numnorum,

pollicentes, Indulgentiarum item epistolæ, confessionumq; prærogatiuæ, pecunijs emptæ, & alia mendaciorum, atq; laruarum præstigia. Quæ tantùm ad splendorem atq; potestatem erant cuncta, ut Dei mandatum, uerbum atq; ueritatem obscurare, uias omnes ad Euangelij cognitionem præcludendo.

Quomodo lapis reuoluitur?

Cùm oppressa ueritas emergit, ac Euangelium syncerè prædicatur, tum præmunitus uerbo diuino concionator ab hominum cordibus remouet lapidem humanarum traditionum, sic, ut omnes doctrinæ diabolicæ, & impia mendaciorũ, somniorumq; dogmata cum bullis & indulgentijs humanitus inuentis pessum eant, & euanescant ita, quemadmodum ad uentorum turbinem puluis, aut ad solis ardorem nix. Quo facto Christiani sublatis impedimentis ad Christi sepulchrum, hoc est, ad Euangelicæ ueritatis agnitionem peruenire poterunt, ut Dei gratia tempestate nostra contingere uidemus.

Quid est, quòd aspectus angeli sicut fulgur erat, & uestimentum eius candidum sicut nix?

Fulguris atque niuis appellationibus prædicandi ministerium significatur. Accipies igitur per fulgur

gur legẽ, quæ terret, atq; ferit peccatorũ cõscientias. Per candorẽ nuncũ intelliges Euangelij doctrinã, quæ cõsolatur, & lætificat corda perculsa. Fulguris est, & ad legis terrorẽ pertinet exemplum eorũ, qui diluuio perierunt. Item Zodomorũ horribilis exitus, et Pharaonis Aegyptiorũq; submersio. Sed gratiorem niuis alborem est referenda Niniuitarum, Dauidis atq; Petri pœnitentia. Et hic ordo, moduſq; concionandi necessarius est obseruatu, nempe ut primo lex prædicetur, atq; pœnitentia, deinde remißio peccatorum, quemadmodum Ioannes Baptista fecit, atq; Christus ipse.

Quinam sunt Christi sepulchri custodes?

Qui conantur exorientem Euangelij ueritatem opprimere. Quorũ in numero fuerunt summi pontifices, cum aulica sua potestate, & accitis Academijs, collegijs, cœnobijs, ordinibusq; mendicantiũ. Qui stipati præsidio Aristotelico, & armatura Sophistarum, cohortibus item monachorum, humanarumque inuentionum munimentis suffulti atque succenturiati, neminem permittebant ad Euangelicæ ueritatis doctrinam accedere. Et res eo peruersitatis processerat, ut si quis sacram in illorum Scholis Bibliam legißet, aut compleuisset, inferiorem honoris gradũ obtinens, in Theologiæ Baccalaureum promouebatur. At si quis magi

magistrum sententiarum euoluisset, in summum gloriæ doctoralis culmen euehebatur. Verùm enimuero postquã Christus à mortuis resurrexit, atq; ueritatis clarissima lux erupit, præ timore eius concussi sunt custodes, & facti sunt uelut mortui. Et bullarum nundinatores simul atq; Stationarij, Terminarij, atq; Sophistarum copiæ sunt ita consternati, ut animu (quod aiunt) in pedes dederint. Nonnulli tamen diuina gratia perfusi, resipiscunt, alijs autem mala mens, malus animus. Qui licet uideant, audiant, & fateantur etiam Christum resurrexisse, tamen (ut corrupti pecuniis Iudæorum custodes) acceptis pinguium sacerdotiorum, præbendarum atq; dignitatũ præmijs, à ueritate deficiunt, munerumq; collatoribus adulantur. Tanta nimirũ uis est pecuniæ, ut ei, iuxta prouerbium, obediant omnia. Nec fãlsum hoc dictum antiquum: Quod index auro, id est aurum homini. Et uentres isti, quibus lucri bonus est odor ère qualibet, parui cõpendij gratia uerbũ Dei cũ animarũ salute uenderẽt, cũ Aesopico Gallo gallinaceo gẽmis omnib. ordei granũ præponentes. Quib. illud Mar. 8. Christus dicit: Quẽcũq; puduerit mei, ac meorũ sermonũ in generatiõe hac adultera, et peccatrice, pudebit illius et filium hois, ubi uenerit in gloria patris sui cũ angelis sanctis.

Quid igitur mulieres agebant?

Inter

Inter eundũ grandioris, qui fuit aduolutus ad ostium monumenti, lapidis recordabantur, ac dicebãt inter sese: Quis reuoluet nobis lapidẽ ab ostio monumenti, nam erat ualde magnus. Et cùm respexissent, repererunt lapidem esse reuolutum. Vt autem nemo suspicetur à mulieribus fuisse reuolutum, adiecit Euangelista: Erat ualde magnus. Et ingressæ non inuenerunt corpus domini Iesu. Cucurrit ergo Maria Magdalena, huius rei diuulgandæ studio. Cùm autem reliquæ mulieres propter ablatum Christi corpus, essent consternatæ, ecce duo uiri steterunt iuxta illas in uestibus fulgurantibus, illæ autem expauescebant, & uultum in terram declinabant.

Quid Angeli dicebant?

Quid quæritis, dicebant, uiuentem cùm mortuis? Non est hic, sed surrexit. Recordamini ut dixerit uobis, cùm adhuc in Galilæa esset, dicens: Quòd oportuerit filium hominis tradi in manus hominum peccatorum, & crucifigi, & die tertio resurgere.

Iam ne contentæ fuerunt, & quietæ mulieres?

Quoniam ipsæ Christum non uiderant, à tristitia non leuabantur. Recordatæ autem uerborum eius sunt, & egressæ à monumento nuntiauerunt hæc omnia illis undecim, & cæteris omnibus.

bus. Et uisa sunt apud illos, ceu deliramentum uerba illarum.

ALIA CONCIO.

Quo currens Maria Magdalena se contulit?

Venit ad Simonem Petrum, & alterum illum discipulum quem amabat Iesus, & dicit illis: Sustulerunt dominum è monumento, & nescimus ubi posuerint eum.

Quid Petrus ac Iohannes?

Properanter ad monumentum contenderunt. Currebant autem duo simul, & ille alius discipulus præcurrit citius Petro, uenitq; prior ad monumentum, & cùm se inclinasset, uidet posita linteamina, & non introiuit. Venit ergo Simon Petrus sequens eum, & introuit in monumentum, & linteamina posita, & sudarium quod fuit super caput eius, non cum linteaminibus positum, sed separatim inuolutum in unum locum. Tunc ergo introuit, & ille alius discipulus qui uenit prior ad monumentum, uiditq; & credidit, nempe sublatum esse corpus. Nondum enim nouerant scripturam quòd oportuisset eum à mortuis resurgere. Abierunt autem rursus discipuli ad semetipsos. Sed non diu foris moram traxere, timuerunt enim sibi. Petrus autem apud semetipsum mirabatur, quod acciderat.

Quid significat, quòd Petrus & Iohannes simul currebant?

Vehementem utriusq; significat amorem. Sed quòd Ioannes præcurrit citius Petro, uenit prior ad monumentum, & Petrus tamen prior ingreditur, ostendit charitatem ab initio feruidam & ardentem flagrare, properanter agi, sed in medio cursu sæpius tepere solitam, atq; flaccescere. Atqui fidem à principio languidam atq; tardã, uerùm indies magis atq; magis augeri, atque reddi fortiorem, ut ad ultimum audeat quælibet pericula subire.

Quid linteamina denotant?

Linteamina significant humanam Christi naturam, Sudarium autem diuinam. Quòd autem expassa linteamina iacebant, & sudarium separatim inuolutum, demonstrat humanitatem Christi perceptu faciliorem mundo, longeq; notiorem esse, quàm diuinitatem. Et in hodiernum diem Iudæi non possunt eo peruenire, ut credant Christi diuinitatem.

Quid apud sepulchrum, Maria Magdalena?

Stabat ad monumentum foris plorans, dum ergo fleret,

fleret, inclinauit se in monumentum. Et uidit duos Angelos amictos albis, sedentes, unum ad caput, & alterum ad pedes, illic ubi posuerant corpus Iesu. Dicunt ei illi. Mulier quid ploras? Dicit eis: Tulerunt Dominum meum, nec scio ubi posuerunt eum, quasi dicat: Nullus ne finis iniuriarum erit? quibus homines impijssimi tãdem exaciati, cessent à prosequendo Christum. Quid profuerit illis miseras nos ita torqueri, nescientes quo transtulerint magistrum atque dominum nostrum. Vtinam quiescendi locum in terra fauerent mortuo, quem uiuum satis excruciatum interfecerunt.

Nemo eam in angustia tali consolatur?

Cùm amore tam fideli, magnosque syncerì cordis adfectu deperiret Maria, noluit eam Christus expertem consolationis manere, fecit igitur, ut conuerteretur ipsa retrorsum. Respiciens itaque uidit Iesum stantem, nec sciebat, quòd Iesus esset. Dicit ei Iesus: Mulier quid ploras? Quem quæris? Illa existimans quòd hortulanus esset, dicit ei: Domine, si tu asportasti eum, dicito mihi, ubi posueris eum, & ego eum tollam. Sed bella fuisset illa portatio, qui infirmum animal fœmina, mortui uiri corpus, tulerit ac humeris gesserit.

gesserit. Sed uerba sunt amore flagrantissimi cordis. In tãtum cogitationes de Christo, desyderiumq; cor eius occupabant atq; possidebant, ut ipsa nesciret, quæ loqueretur. Et quoniam erat in horto, putabat hortulanum esse.

Quid aurem Christus?

Dicit ei, Maria: Repente uocem ipsa aguouit, & conuersa dicit ei: Rabboni, quod dicitur magister, & accedens uoluit eum amplecti. Dicit ei Iesus. Noli me tangere: nondum enim ascendi ad Patrem meum, sed uade ad fratres meos, & dic eis. Ascendo ad Patrem meum, & ad Patrem uestrum, ad Deum meum, & Deum uestrum.

Quid noluit Christus tangi cum adhuc præsens esset in mundo, multò magis non uolet cum ascenderit in cœlos?

Maria putabat Christum ita resurrexisse, ut huius uitæ præsentis commodo perfruiturus esset, quemadmodum Lazarus, atq; alij, qui fuerãt à morte resuscitati. Non credebat illum æternam uitam assumpsisse. Hanc igitur aduersus opinionem, ait Christus: Non permittam ea ratione me tangi. Non resurrexi ætatem exacturus in hoc mundo, sed induui uitam immortalem, & æternam. Proinde posthac me fide pura tangas oportet, ac relinquas carnalium tuarum opinionum argumenta. Sed uade ad

WBP Opole

fratres meos, & dic eis: Ascendo ad Patrem meum, & ad Patrem uestrum, & Deum meum, & Deum uestrum. Quibus uerbis Mariam Christus prædicatricem constituit, nempe præceptricem, atque magistram Apostolorum: Et est uera Christiana fraternitas, in qua sunt oēs credētes sub uno patrono, atq; capite Iesu Christo, iuxta illud Pau. ad Galatas 3. Omnes unus estis in Christo. Atque fraternitas eadem in hoc consistit, ut omnia cum Christo nobis sint communia, uocetq; Christus omnes fideles atq; credentes, suos fratres, etiam eos discipulos, qui fugerant atq; se negauerant.

Quanam re hoc ipsum promeruerunt?

Certè non fuga, non abnegatione, non defectione, sed mera diuina gratia. Et misericordiam consequi non uolentis est, neq; currentis, sed miserentis Dei, Ro. 9. Et nos qui nunquam discipulorum uirtutes imitamur, sed uitia sequimur indies meritorum nostrorum præmia consequemur, utpote damnationem æternam, si Deus non misertus nostri, suam gratiam nobis donauerit.

Eximia res est, atq; glorioſus titulus, Christi fratrem appellari?

Est uerissimè: Et si posset Christianus homo credere, se Christi fratrem esse, nullius ommino rei uel inopia

inopia premi, uel æruma supplãtari posset. Quid enim, aut quos metueret, qui Christũ habuerit adiutorem fratrem? Et enim si Deus pro nobis quis cõtra nos? Roma. 8. Sed incredulitas malesuada nobis obstaculo est, quòminus Deo fidere possumus, nec credere.

Quid est, quod nos Christus fratres appellat?

Ea nos adoptatione facit cohæredes omnium suorũ bonorũ. Ergo cùm ipse sit omnipotens, misericors, pacificus, iustus, sanctus, longanimus, benignus, mitis, mãsuetus, fidelis, uerus, omnis gratiæ fons, omnis deniq; salutis, atq; fœlicitatis portus, hæc omnia sua dona, beneficiaq; nobis impertit, atq; cõmunia facit, permutat etiã conferens suã nobis gratiã, atque sanctitatem, pro nostris peccatis, & iniquitatibus, suam iusticiam donans pro nostris iniusticijs, suam uitam pro nostra morte, suam cœlestem gloriam pro infernali damnatione nostra, commutatione scilicet plus quàm Glauci & Diomedis inæquali.

Quid per ea uerba uult intelligi Adscendo ad Patrem meum, & ad Patrem uestrum?

Qui Pater, inquit, meus est, nempe Deus eundem & uestrum esse dico. Quidquid meum est,

hoc ipsum asserо uobis mecum esse commune: contra quicquid uos habueritis, id ipsum in me recipiam. Et mihi satis sunt uirium atq; facultatum, ad omnem culpam, uel debita uestris creditoribus præstandum.

Quæ plena sunt consolationis uerba?

Plenissima profecto. Et qui uera fide comprehendere posset, is in paradiso iam esset, imò in cœlis. Sic etiam beatissimus idem in hoc seculo quid trepidare? quid metuere posset? Nonne Petrus dicebat. Quod si Christus Deus ipse, mihi frater est, nõ formidabo, nec concidam licet Sathanas irrumperet stipatus morte, peccatis, & inferno. Dominus illuminatio & salus mea, quem timebo? Dominus protector uitæ meæ, à quo trepidabo? Psal. 25.

Fuerunt ne discipulis hæc eadem solatio?

Maximo fuerunt illis, qui clausis foribus propter Iudæorum metum, unà congregati sedebant, in singulas horas expectantes insultum hostilem, ac mortem, uelut oues destinatæ mactationi. Ad hæc rodebat ac torquebat eos mala, quæ iuxta proverbium mille testes, conscientia facinoris, quo in summa necessitate Christum fugitiui deseruerant. Sedebant igitur uelut in gehennæ medio uarijs malis undiq; iactati.

Sed

Sed quomodo Petrus?

Inter discipulos animo consternatus sedebat. Et ad Christi nomẽ auditũ tremere poterat, & expalescere, nescius, quo se uerteret præ metu & angore. Nam qui magistrum ac Dominum suum abnegauerat, opinione colligebat sibi capitalem hostem Deum factum, & uerebatur indignum se, qui partem in regno cœlorum habere deberet, sed æternam potius in inferno.

Quid autẽ Christus faciebat?

Omnes indignationis aspectum tollit ab ijs, atque serenato uultu iubet dici, ne timeant, appellat fratres, & peccatis annuntiat omnem iram penitus extinctam. In quorum autem auribus eiusmodi gratiosa prædicatio personat, ab ijs Sathanas necessario profligatur, mors auffertur, & omnis inferni metus eripitur. Sed accedunt, & amici facti congratulantur omnes angeli. Omnia congaudent elementa, atq; creaturæ. Et discussis denique nebulorum omnium nubibus arridet, ac lætantur corda, conscientiæq;, quorum omnium auctrix atq; parens uberior est ea, quæ nobis cum Christo fraternitas intercedit.

Quid cùm uidisset Christum Maria Magdalena faciebat?

Profecta renunciauit ijs, qui cum illo fuerunt lugentibus ac flentibus, quod uidisset Dominum, &

ea dixisset sibi. Et illi cùm audiuissent, quod uiueret, ac uisus esset ab illa, non crediderunt.

Quid aliæ mulieres?

Mariam Magdalenam, ut ducem secutæ sunt, atq; reuersæ ad monumentum. Et ingressæ uiderũt adolescẽtem sedentem à dextris amictum longa stola candida, & expauerunt. Quod angelus autem à dextris sedet, significat Christi resurrectionem nos ineffabili bono locupletasse, nobis q; recuperasse remissionem peccatorum, innocentiam, iusticiam, & æternam denique uitam.

Quid angelus ait mulieribus?

Ne expauescatis, nolite timere uos? Scio enim quod Iesum, qui crucifixus est, quæritis. Non est hic, surrexit enim sicut dixit: Venite, uidete locum, ubi positus erat Dominus. Et citò euntes, dicite discipulis eius, & Petro, quod surrexit à mortuis. Et ecce præcedit uos in Galilæam, ibi eum uidebitis. Ecce dixi uobis. Hic descriptam ordine decoro uides, qua uia iustificẽtur homines. Quod expauescunt mulieres, prædicatiõem legis significat. Quod autem eas consolatur angelus, Euangelij gratiosam doctrinam, quæ debet illam subsequi. Quod ait: Ecce precedet uos in Galilæam, signum dat, quo fides erigitur, & eorum admonemur, quæ prædixerat Christus.

Cur

Cur Apostolis resurrectionem Christi iubebantur annunciare?

Apostolorum corda mœror, & anxietates impleuerant, & exagitauerat horror peccatorum, quibus desertores fugitiui Christum dereliquerant. Nihil ergo potentius consolari poterat, quàm gaudio plenissima, de Christi resurrectione, prædicatio.

Cur Petro singulariter?

Quoniam maiore, quàm alij metu concutiebatur Petrus, atq; uehementiore torquebatur angore, non ignorans, quàm turpiter ac crudeliter lapsus, abnegasset magistrum atq; Dominum suum. In primis igitur opus habebat consolatione, quam afferre poterat sola Christi resurrectiõis annũciatio.

Quid cùm audissent angelum, ac uidissent mulieres faciebant?

Digressæ celeriter à monumento, cum timore, & gaudio magno, ut renunciarent discipulis. Habebat autem illas tremor, & stupor, neq; cuiquam quicquam dicebant, timebant enim. Huius metus sola causa fuit ignorantia scripturæ, quam non intelligebant.

Quid in itinere mulieribus accidebat?

Cùm issent ad renunciandum discipulis eius. Ecce Iesus occurrit illis, dicens: Auete. Illæ aũt accessi-

serunt, & tenuerunt eius pedes, & adorauerũt eũ.

Cur ab hisce mulieribus se tangi permittit Christus, qui prius à Maria Magdalena noluit?

Se tangi permisit abillis, ut uerissimæ testes suæ resurrectionis essent apud discipulos. Noluit autẽ ut summ corpus amplecteretur Maria, cum (ut dictum est) eadem adhuc esset carnalibus opinionibus imbuta.

Quid matronis istis dixit Christus?

Ait illis Iesus: Nolite timere. Ite renunciate fratribus meis, ut eant in Galilæam, et ibi me uidebunt.

Ea ne ratione tranquillabantur mulieres?

Ab angelis quidem, & hominibus proficiscuntur consolationes, sed non transeunt, nec penetrant corda. Atqui cùm Christus uenerit, & emiserit uerbum suum, tanguntur diuino spiritu corda, tollitur q; metus omnis, ac tristitia.

Quid? faciebat Christus mulieres prædicatrices?

Maximè: summus enim Pontifex Christus eas sacris iniciauit consecrauit q; & fecit sacerdotes, ac prædicatrices. Et qui credũt in Christum, atq; per uerbum eius spiritus sancti gratiam acceperunt, ij sacerdotes

sacerdotes sunt, in eorum referendi numerum, de quibus, 1. Petri. 2. Vos inquit, genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus, qui in lucem accessit, ut uires prædicetis illius, qui è tenebris uos uocauit in admirabilem lucem suam.

Inueniuntur ne in scripturis exempla, quæ testentur mulieres docuisse?

Inueniuntur: Exemplo sit Anna Lucæ 2. Quæ non discedebat de templo, ieiunijs ac deprecationibus seruiens nocte ac die. Hæc simul accedens confitebatur domino, & loquebatur de illo omnibus, qui expectabant redemptionem Hierosolymis. Et Philippo Euangelistæ quatuor erant filiæ uirgines prophetantes, Act. 21.

Cur ergo Paulus 1. Corinth. 14. Et 1. Timoth. 2. ait: Mulieri docere non permitto?

S. Paulus non prohibet, ut mulieres Christum doceant, & confiteantur, sed in Ecclesia ut omnia decenter, ac secundum ordinem fieri. Quòd si iam adfuerint, ad uerbum Dei prædicandum idoneiuiri, mulieres ibi meritò siluerint. Nam turpe fuerit mulieribus in cœtum digniorem, loqui. Sin autem nullus ad docẽdum accõmodus uir præsto fuerit, cur nõ permitteretur docere mulieres. Quæ si, quæ ad modum Christiani, tempore necessitatis

exigente, poterunt baptizare, poterunt etiam necessitate (quod est, iuxta prouerbium, ingens telum) postulante uerbum diuinum prædicare, non proprijs meritis, sed Christi mortis atq; resurrectionis gratia permittente.

Quid cùm resurrexisset Christus faciebant custodes sepulchri?

Cùm mulieres abijssent: Ecce quidam è custodibus uenerũt in ciuitatem, ac renũciauerunt principibus sacerdotum omnia, quæ acciderant, nempe, quòd Christus cum potestate magna resurrexisset, in terræ motu.

Quid ad hæc principes sacerdotum?

Cum senioribus congregati principes sacerdotum, consilio habito, pecuniam copiosam dederunt militibus, dicentes: Dicite, quòd discipuli eius nocte uenerint, et furati sint eum nobis dormientibus. Et si hoc auditum fuerit sub præside, nos persuadebimus ei, & securos uos faciemus.

Quid agebant custodes?

Accepta pecunia fecerunt, sicut erant edocti. Et diuulgatus est hic sermo apud Iudæos usq; in hodiernum diem.

Quid memoratu præcipuè dignum eadem hæc nobis proponit historia?

Pri-

Primò, docet immensam astutiæ peruersæ malitiam, obstinatáq; duriorũ saxo Iudæorum pectora. Milites ad custodiendum Christi sepulchrum collocarunt, atq; lapidem obsignarũt. Quorũ iuxta figmentum discipuli Christi, quomodo potuissent lapidem ualde magnum ab ostio monumenti reuoluere, tot custodib. non sentientibus? discipuli, inquã, qui foribus clausis delitescentes, fuerunt adeò formidolosi, ut propriã umbram metuerint, et, ut aiunt, in morem galli cuiuspiam trepidarint, non ausi proferre pedem, nec in publicum prodire, nedum prouere uiolenter, & è manibus armatorum militum eripere Christi corpus. Quòd si latenter ac furtim eripuerunt, cur linteaminibus, & syndone relicta corpus nudum abstulerunt, cùm tamen linteamina tenaci spissitate unguentorum ac myrrhæ subtà firmiter adhærescant ad corpus, maximè uulneribus multis confectum.

Deinde prodit Iudæos à sepulchri custodibus nugamenta mercatos, & emisse magno precio mendacia. Etenim si custodes omnes simul dormuerunt, quomodo potuerunt uidere. Quòd si non uiderunt, quomodo potuerunt testari. O tenebras plus quàm Cimmerias. O lemas, plus quàm Saturnias. Omnium infœliciſsimi gentium emerunt mendacia, quæ semper illis sunt mansura. Sed illos bono iure totus orbis habet ludibrio, ac deridet è

sub-

limi, cùm uerè Christus resurrexerit. Quapropter sacra canit Ecclesia: Dicant nunc Iudæi quomodo milites custodientes sepulchrum seruabant Iesum, &c.

DIE LVNÆ POST PASCHA,
Euangelium Lucæ XXIIII.

ET ecce duo ex illis ibant eodem die in castellũ, quod aberat spacio stadiorũ sexaginta ab Hierosolymis, nomine Emaus: & ipsi confabulabãtur inter se de his omnibus quæ acciderant. Et factum est, dum cõfabularentur, ac disputarent, & ipse Iesus appropinquans ibat unà cum illis. Cæterum oculi illorum tenebantur, ne eum agnoscerent. Et ait ad illos: Qui sunt hi sermones, quos confertis inter uos, ambulantes, & estis tristes? Ac respondens unus, cui nomẽ Cleophas, dixit ei: Tu

Tu solus peregrinus es Hierosolymis, neq; cognouisti quæ facta sunt illic his diebus? Quibus ille dixit: Quæ? Et dixerunt ei: De Iesu Nazarẽno, qui fuit uir propheta, potens opere & sermone corã Deo, & toto populo, & quomodo eum tradiderunt summi sacerdotes, & principes nostri in condemnationem mortis, & crucifixerunt eum. Nos autem sperabamus eum esse illum, qui redempturus esset Israel. Atqui super hæc omnia, tertius dies est hodie, quòd hæc facta sunt. Sed & mulieres quædam ex nobis attonitos reddidere nos, quæ diluculo perueuerunt ad monumentum, & non inuento corpore eius, uenerunt, dicentes: se etiam uisionem

an-

angelorum uidisse, qui diceret eum uiuere. Et abierunt quidam eorum, qui erāt nobiscum ad monumentum, & ita repererunt, sicut mulieres dixerant, ipsum uerò non uiderunt. Et ipse dixit ad eos: O stulti, & tardi corde ad credendum in omnibus, quæ locuti sunt Prophetæ. Nónne hęc oportuit pati Christum, & intrare in gloriā suam? Et exorsus à Mose, & omnibus Prophetis, interpretabatur illis in omnibus scripturis, quæ de ipso erant. Et appropinquauerunt castello quò ibant, & ipse præ se ferebat se longius ire. Et coegerunt illum, dicentes: Mane nobiscum, quoniam uergit ad uesperam, & inclinatus est dies. Et intrauit ut maneret cum illis.

Et

Et factum est dum accumberet cum eis, accepit panem, & benedixit, ac fregit, & porrigebat illis: Et aperti sunt oculi eorum, & agnouerunt eum, & ipse euanuit à conspectu eorum. Et dixerunt inter se: Nónne cor nostrum ardebat in nobis, dum loqueretur nobis in uia, & aperiret nobis scripturas? Et surgentes eadem hora, regressi sunt Hierosolymam, et inuenerunt congregatos undecim, & eos qui cum illis erant, dicentes: Surrexit Dominus uerè, & apparuit Simoni. Et illi narrabant quæ gesta erant in uia, & quomodo fuisset agnitus ipsis ex fractione panis.

Quoties à resurrectione Christus apparuit discipulis?

Quin-

Quinquies: Primò, Mariæ Magdalenæ, Marci ultimo. Secundò, Mulieribus, Matt. ultimo. Tertiò Petro. Quartò, Discipulis duobus iter facientibus in castellum Emaus, Lucæ ultimo. Quintò, Discipulis undecim, cùm esset uespera.

Cur Christus apparuit istis duobus in itinere discipulis?

Vt ostenderet se delectari pijs colloquijs. Et quantum eruditunt, ac prosunt, tantum inficit conuictus improbus. 1. Corinth. 15. Mores bonos colloquia corrumpũt mala. Item quod uerbis antea promiserat, opere compleret. Matth. 18. Vbi sunt duo uel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.

Cur ueluti peregrinus apparuit?

Qualis in eorum cordibus habebatur, talis apparuit. A uera scripturarum intelligentia peregrinabantur eorum animi, & opiniones habebant alienas à Christo. Peregrinus igitur occurrens, ait: Qui sunt hij sermones, quos confertis inter uos? Quod ideo dixit, ut responsum illiceret, arriperet q; oportunam illos incredulitatis arguendi occasionem, & in rectiorem uiam reducendi. Vnus ergo respondẽs, cui nomen Cleophas, dixit: Tu solus peregrinus es Hierosolymis, neq; cognouisti quæ facta sunt illic his diebus. Quibus ille dixit: Quæ? Et dixerunt ei: De Iesu Nazareno, qui fuit uir prophe-

pheta potens opere & sermone coram Deo & toti populo, et quomodo tradiderunt eum summi sacerdotes & principes nostri in condemnationem mortis & crucifixerunt eum. Nos autem sperabamus, eum esse illum, qui redempturus esset Israël. Atqui super hæc omnia tertius dies est hodie, quòd hæc facta sunt. Sed & mulieres quædam ex nobis attonitos reddidere nos, quæ diluculo peruenerunt ad monumentum, & non inuento corpore eius, uenerunt dicentes, se etiam uisionem angelorum uidisse, qui dicerent illũ uiuere. Et abierũt quidam eorum, qui erant nobiscum ad monumentum, & ita reperierunt, sicut mulieres dixerant, ipsum uerò non uiderunt. Quibus uerbis prodebant, & quod in animis latebat incredulitatis crimen, proferebant in lucem, ut facile quilibet intelligat, eos propemodum desperasse promissionem Christi. Quem dicebant se sperasse eum (quem re tamen ipsa modò fuerint experti) Prophetam fuisse, qui regnum Israeliticum à Romanis tyrannis oppressum, esset in libertatem asserturus.

Quid Christus respondebat?

Dixit ad eos: O stulti, & tardi corde ad credendum in omnibus quæ locuti sunt Prophetæ. Quòd hoc autem loci stultos appellat discipulos, non est argumentũ iræ, sed diuini zeli, quo uolebat eos peccatorum, & incredulitatis admonere, et factos ere

ciores ad agnitionem Christi perducere. Pergit itaq; dicere: Nonne oportuit hæc pati Christum, & intrare in gloriam suam? quasi dicat: Decretum à Deo fuit, & Prophetarum omnium uaticinijs prædictum, ut oportuerit ita fieri. Et exorsus à Mose & omnibus Prophetis, interpretabatur illis in omnibus scripturis, quæ de ipso erant, nempè, quòd Deus promiserit Adam, Abrahæ, Iacob, Isaac, & Dauidi Christum, eumq; oportuerit humanæ salutis reparandæ gratia, nasci, mori, crucifigi, & à mortuis tandem resurgere. Quæ omnia dilucido sermone declarabat.

Quid audientes hanccine Christi concionem discipuli faciebant?

Appropinquauerunt castello quo ibant, & ipse præse ferebat se longius ire. Et coëgerunt illum, dicentes: Mane nobiscum, quoniam uergit ad uesperam, & inclinatus est dies. Fidei scintilla relucebat adhuc in cordibus, & (quod Christus non extinguit, Esaiæ 42.) linum fumigans exiguum uaporem æ debat in illorum spiritu, qui gemitibus inenarrabilibus intercedens, clamabat. Vtinam Christus uiueret. Vtinam uera contingerent, quæ nobis hic peregrinus explanauit! O quanta uoluptatis dulcedine percepimus hanc diuinæ scripturæ declarationem. O nobis daretur facultas diutius audiendi uirum hunc aduenticium. Sed non demittemus, imò penulam (ut aiunt) scissuri, cogemus eum nobiscum manere, ac plura de Christo dicere. Et intrauit, ut maneret cum illis.

Quid accidebat in Emaus castello?

Cùm accumberet cum eis Iesus, accepit panem, & benedixit, ac fregit, & porrigebat illis. Et aperti sunt oculi eorum, & agnouerũt eum, & ipse euanuit è conspectu eorum. Ex hac historia colligunt indoctæ Papistarum cohortes, Christum hisce discipulis, ut idiotis porrexisse tãtùm alteram sacramenti speciem, Atqui fingentes id, faciunt Christum inconstantem Deum, qui cothurno (ut dicitur) uersatilior, aliud stans, aliud sedens dicere, & quod semel ordinauerit, mutare soleat. Sed æquilibrio, & hostimento condigno retaliat. Etenim discipulis aperti sunt oculi, & ex panis fractione Christũ agnouerũt, sed illi cæciores leberide fiunt, ac indurãtur. Sic euenire debet omnibus ueritatis hostib. ut uidentib. oculis non uideãt, nec intelligãt, iuxtæ illud: Auribus audietis, & nõ intelligetis. Et uidentes uidebitis, & nõ perspicietis. Incrassatũ est cor populi huius, &c. Esaiæ 6. Matth. 13. Act. ultimo.

Quid cùm agnouissent Christum faciunt discipuli?

Dixerũt inter se, Nonne cor nostrũ ardebat in no-

bis, dum loqueretur nobis in uia, et aperiret nobis scripturas. Hic uidemus quãta sacræ scripturæ sit potentia. Quæ auditores, qui fide sunt imbecilles, erigit, ac confirmat, charitate frigentes accendit, & ad omne bonum opus inflammat. Spe denique deficientes, ac pusillanimes mirabiliter consolatur, atq; confortat. Nam hæc est natura, et genuina proprietas diuini uerbi, ut meticulosas, perculsas, & attritas conscientias confortet, afflicta, & ærumnosa corda consoletur, atq; in fide, spe, charitate, sic accenda, extimuletq; ut accepta beneficia tacere non possint, sed erumpentes toti mundo prædicare cogantur, quemadmodmo hij discipuli, qui antea ceruim (quod aiunt) uiri Hierosolymam egressi, pauitabant ita, ut motæ ad lunam trepidarint arundinis umbram, sed modò cùm uidissent, & agnouissent Christum à mortuis resurrexisse, recipiunt animum. Ergo fortiores redditi, surrexerunt eadem hora, & regressi Hierosolymam, inuenerunt congregatos undecim, & eos qui cum illis erant, dicentes: Surrexit Dominus uerè & apparuit Simoni. Et ipsi narrabant, quæ gesta erant in uia, & quomodo fuisset agnitus sibi ex fractione panis.

Quid potissimum ex hoc Euangelio discemus?

Hoc animis insignemus: Cùm in hoc mundo conspyde

syderamus tantùm, & inspicimus præsentia tribulationum incommoda, non attendimus, nec animis reuoluimus promissiones diuinas, atq; uerbum Dei, tum euenit nobis, quod hisce discipulis, trepidamus, fugimus, ac declinamus crucem. Venit ergo Christus, ac uituperat stultitiam nostram. Sed cùm idem nobis prædicat Euangelium, et scripturas exponit, accendũtur corda, ut ardenti flagrent amore Dei, atque proximi. Sed non prius agnoscimus Christum, quàm nobis panem fregerit, & apposuerit, hoc est, Euangelicam doctrinam impertiuerit. Deinde cùm fuerint accensa fide corda nostra silere debemus, sed Deum glorificare, fideiq; bonos fructus producere, hoc est, operacharitatis, atq; misericordiæ Christi membris exhibere, ut calamitosis, afflictis, morbo correptis, cæcis, claudis, atq; similibus, eosq; non modò nostras ad ædes inuitare, sed etiam cogere, ut introeant, quemadmodum etiam hij discipuli fecerunt. Ex ea re tandem syncera scripturæ profluit intelligentia, & in Christum uera fides. Ad quam cùm peruenerit Christianus, atq; uerbo Dei Christum agnouerit, nõ debebit hanc sine pretiosissimam gemmam, atque thesaurum in terram fodere, & abscondere, sed omnibus communicare, & omnes homines, quantum poterit, ad insolitiæ atq; salutis uiam perducere. Hæc Dei uoluntas est, ac Christi præceptum.

DIE MARTIS POST PASCHA.

Euangelium Lucæ XXIIII.

DVm autem hæc loquuntur, ſtetit Ieſus ipſe in medio eorum, & dicit eis: Pax uobis. Expauefacti uerò & conterriti, exiſtimabant ſe ſpiritum uidere, & dixit eis: Quid turbati eſtis, & cogitationes aſcendunt in cordibus ueſtris? Videte manus meas & pedes meos, quia ego ipſe ſum. Contrectate me, & uidete: quia ſpiritus carnem & oſſa non habet, ſicut me uidetis habere. Et cùm hæc dixiſſet, oſtendit eis manus ac pedes. Adhuc autem illis non credentibus præ gaudio, & mirãtibus, dixit eis: Habetis hic aliquid eduliſ? At illi obtulerunt ei partem piſcis aſſi, & aliquid de fauo

uo apiario. Et accepit, & in cõſpectu illorum comedit. Et dixit ad eos: Hæc ſunt uerba quæ locutus ſum ad uos, cum adhuc eſſem uobiſcũ, q̃ neceſſe foret impleri omnia quę ſcripta ſunt in lege Moſi, & Prophetis, & Pſalmis de me. Tunc aperuit illorũ mentem, ut intelligerent ſcripturas, & dixit eis: Sic ſcriptum eſt, & ſic oportebat Chriſtum pati, & reſurgere à mortuis tertio die: & prædicari nomine eius pœnitentiã, ac remiſſionem peccatorũ in omnes gentes, initio facto ab Hieroſolymis.

Cur in die Reſurrectionis toties apparuit Chriſtus?

Quoniam Chriſtus ſæpenumerò prædixerat ſe tertia die reſurrecturum à mortuis. Sæpius igitur eadem die uoluit apparere, atque uarijs rationibus, atque teſtimonijs uerbum ſuum uerum approbare.

Cur separatim toties apparuit, & non semel una uice?

Humanæ rationi difficillima perceptu fuit à mortuis resurrectio. Et impossibile uisu, tantum opus Dei potuisse cõprehendi, una tantùm aliqua repentina apparitione. Sæpius igitur, & pro temporis oportunitate, locis diuersis manifestauit se Christus, cùm nullus esset articulus fidei tam difficilis acceptu, et tam arduus creditu. Nec ullus alius tot incursionibus oppugnatus in utroq; ueteri atq; nouo testamento, quam hic ipse de resurrectione articulus.

Quomodo, et quando contingebat hæc apparitio quinta?

Cùm uespera esset, die illo, qui erat unus sabbatorum, & fores essent clausæ, ubi erant discipuli congregati propter metum Iudæorum, uenit Iesus (eo tempore, quo discipuli duo loquebantur Apostolis, & exponebant, quomodo Christus ipsis Emaus petituris, apparuisset in itinere, & quomodo cognouissent in fractione panis) stetit in medio, & dicit eis: Pax uobis.

Cur in medio stetit Christus?

Medium Christus semper occupauit. In præsepi iacuit medius inter asinũ & bouem. In templo sedit in medio doctorum, audiens illos, & interrogans eos. In cruce pependit inter duos latrones.

Hic

Hic in medio discipulorum stetit, ut innueret se uerum, & unicum esse mediatorem, ac intercessorem inter Deum, atq; hominem. 1. Timot. 2. Vnus Deus, unus etiam conciliator Dei, & hominum homo, Christus Iesus. Qui uerus animarum cibus atq; sagina, uerus præceptor, ac doctor, unicus consolator in omnibus angustijs, atq; tribulationibus, necessitatibusq; mortis.

Quid discipulis Christus dixit?

Pax uobis: Cùm autem Christi regnum non sit de hoc mundo, mundi pacem non intelligemus dari. Dicit enim Io. 16. In mundo afflictionem habebitis, sed diuinam, atq; spiritualem cordium, & cõscientiarum pacem, quæ syncera fide promanat.

Quotuplex igitur est pax?

Duplex. Externa, & interna.

Quam pacem externam dicis?

Cum omnia quæ sunt in terris, tranquilla florẽt atq; pacata, sic, ut omnes reges, prouinciæ, ciuitates sint concordes, ac generalis in omnibus ubique regionibus, oppidis, atq; domibus pax uigeat. Et eadem merito deberet esse constans, atq; perpetua inter Christianos omnes unitatis præclaris argumẽtis sociatos. Habent enim unum Deum, unum patrẽ in cœlis, Vnum Christum, Vnum baptisma, Vnam fidem, Vnum deniq; sanctissimum pacis atq; concordiæ symbolum tesseramq;, nempe Sacramentum

corporis atq; sanguinis Iesu Christi. Sed hominum maleficijs, ac uetustate corruptum, exoleuit, ut nullus fermè sit in orbe toto populus, qui magis inquietus, magis discors, magisq; factiosus tumultuet. Cũ tamen Diuus Paulus Ro. 12. serio moneat, ut in pace (quantum in nobis sit) cum omnibus hominibus uiuamus. Sed iam (ut Iuuenalis ait) serpẽtum maior concordia, parcit cognatis maculis similis fera.

Quæ pax interna.

Cùm homines in cordibus atq; conscientijs habent cum Deo pacem, quam producit fides atq; uerbum Dei. Hanc Christus suis discipulis, omnibusq; Christianis precatur. Quod si iam externam, ut in regno Sathanæ, difficilè retentu non facilè poterimus habere, lapis omnis mouendus erit, ut interuam consequamur.

Quid apud discipulos faciebat Christus?

Exprobrauit illis incredulitatem suam, & cordis duritiem, quod ijs, qui se uidissent resurrexisse, nõ credidissent. Expauefacti uerò & cõterriti, existimabãt se spiritum uidere. Rem mirã hic uides. Christus pacẽ diuinam optat, at illi metu cõcutiuntur exterriti. Vult resurrectione sua gaudijs eos perfundere, sed exhorrentes putabant se uidere spectrum.

Quid in culpa fuit?

Nihil

Nihil aliud in causa, quã sola fuit incredulitas. Quemadmodum autem fides, est res adeo potens, ut etiam in summis angustijs, ac necessitatibus extremis, corda lætificet, atq; reddat alacriora, quemadmodum exemplo patet Dauidis in nomine Domini Goliath aggredientis: Sic è contrario ficulneum uelut auxilium est, & res plena timoris ac desperationis incredulitas, ut medijs etiam in maximarum uoluptatum gaudijs animos eneruet, atq; corda perturbet, quemadmodum uidemus in Babylonico Rege Balthazare, qui perculsus & uultus eius immutatus concidit in medio grandis conuiuij luxu, ac lætitia, cùm apparuerunt digiti, quasi manus hominis scribentis contra candelabrum in superficie parietis aulæ regiæ. Similiter accidit hisce discipulis, qui cùm debuerant propter Christi resurrectionem exporrigere frontem ac lætari, corrugant & expauefacti nimis terrentur, uisotanquam malo Genio.

Quid ad eos ait Christus?

Quid turbati estis, & cogitationes ascendunt in cordibus uestris? Videte manus meas, & pedes meos, quia ego ipse sum. Contrectate me, & uidete, quia spiritus carnem & ossa non habet, sicut me uidetis habere. Et cùm hæc dixisset, ostendit eis manus, ac pedes.

Varia sunt hic, & euidentia Christi resurrectionis

nis argumenta. Primò: conspiciendum se exhibet, & prodit in Apostolorum conspectum. Deinde alloquitur eos, ac sese contrectandũ offert. Postmodum ostendit manus ac pedes, ac indubitata sua præsentia declarat, sese non aliquod phasma laruatum esse, sed Christum ipsum, qui passus sub Pontio Pilato, crucifixus, ac mortuus. Qui uerè prodiens sepulchro, resurrexerit à mortuis. Qui corpus idem, quod de uirgine Maria, per spiritus sancti cooperationem acceperit, habeat, sed iam clarificatũ, quod ubicunq; uelit, esse possit, impediente nullo lignorum, lapidum, ferri, uel chalybis obstaculo, corpus inquam, inuiolabile, immortale, & æternum.

Quid in hac apparitione Christi faciebant discipuli?

Cùm uidissent Dominum, gaudebant. Sed tamen adhuc illis non credentibus præ gaudio, & mirantibus dixit eis: Habetis hic aliquid edulij? At illi obtulerunt ei partem piscis assi, & aliquid de fauo apiario. Et accepit, & in conspectu illorum comedit. Quamuis clarificatum, & humanis affectibus nullis corpus obnoxium induerit Christus, ut rebus esculentis, aut poculentis non indiguerit, tamen in discipulorum conspectu uoluit edere, gratia testandi, se uerè resurrexisse atq; uiuere. Sic Iairi synagogæ principis filiæ resuscitatæ iussit dari cibum Lucæ. 8. Et S. Petrus Christi resurrectionis mentionẽ faciens,

faciens, inquit: Hunc Deus suscitauit tertio die, & exhibuit eum, ut manifestus fieret non toti populo, sed testibus prius ad hoc delectis à Deo, uimirum nobis, qui comedimus, et bibimus unà cum illo, posteaquam resurrexit à mortuis.

Sed quænam fuit ista præclara, quam ad discipulos habuit, oratio?

Dixit ad eos. Hæc sunt uerba quæ locutus sum ad uos, cum adhuc essem uobiscum, quod necesse foret impleri omnia quæ scripta sunt in lege Moysi, & prophetis, & psalmis de me. Ante passionem, & resurrectionem suam Christus ait Lucæ. 18. Ecce ascendimus Hierosolymam, & consumabuntur omnia quæ scripta sunt per Prophetas de filio hominis. Iam post resurrectionem ait necesse fore, ut impleantur, quæ scripta sunt in lege Moysi, Prophetis, ac Psalmis. Quibus innuit, ac nos admonet, ut scripturas (quod etiam Ioannis 5. facit) scrutemur, non in cœlum aspicientes uultus tollamus, aut cœlestem aliquam uocem expectemus. At qui non satis est legere, uel audire scripturam, oportet dare operam, ut examussim intelligamus. Hinc est quod Christus discipulorum mentes aperuerit, ut intelligerent scripturas. Sic scriptum est, inquit, & sic oportebat Christum pati, & resurgere à mortuis tertio die, et prædicari sub nomine eius pœnitentiã,

&c

& remissionem peccatorum, in omnes gentes, initio facto ab Hierosolymis. Quasi dicat. Meum, à mundi principatu, multis, quod aiunt, parasangis differt, atq; disrepat regnum. Etenim non equitum armatorum, aut peditum expeditorum, delectu habito, populos, atq; regiones occupabo, sed uos Apostolos atq; discipulos meos, *in uniuersum mundum mittam, ad prædicandum Euangelium omni creaturæ, ad baptizandũ omnes gentes, in nomine Patris, & filij, & spiritus sancti, ad annunciandum pœnitentiam, & remissionem in nomine meo. Quorum omnia initia sume is ab Hierosolymitana Ecclesia.* Deinde *in uniuersum mundum dispersi, peragetis mandata mea, ut impleatur illud, quod dictum est, per Esaiam Prophetam cap. 2. de Sion exibit lex, & uerbum Domini de Hierusalem.*

Quid? Hierosolymam primam, & summam uideris dicere Parochialem Ecclesiam apud Christianos omnes?

Maximè Omnes aliæ Parochæ habentur uelut filiæ, seu filiastræ, atq; primæ Ecclesiæ Hierosolymitanæ sacella. Nam primum Euangelij initium ab Hierosolymis factum fuit iuxta Christi præceptum. Deinde in omnes uniuersi mundi fines diffusum. Ergo nullum aliud Euangelium uel prædicare,

re, uel suscipere debemus, quàm quod ab initio primùm in Hierosolymitana Ecclesia prædicatum, & diuulgari mandatum fuit à Christo. Qui morte atque sanguine suo confirmatum, quod est Iesu Christi, filij Dei Euangelium, mãdauit prædicari, de pœnitentia, atq; remissiõe peccatorum, non humanam iustitiam, uel opera, uel hominum merita, sed propter Iesum Christum. Item prædicari iussit baptisma quod instituit ipse Christus, non quod Monachi, uel Anabaptistæ introduxerunt, iuxta sectarum, scismaticorumq; deliramenta. Item prædicari sacrosanctum corporis atque sanguinis Christi sacramentum, secundum ipsius Christi institutionem Christianis omnibus integrum porrigendum, non more Papistico, mutilum una tantum specie dandum, nec circunferendum, neque claustris impingendum, sed ad comedendum, & bibendum à fidelibus.

Est igitur uanissimum mendacium, quo nonnulli contendunt Romam esse summam Ecclesiam Christianorum, Et caput Ecclesiæ Papam?

Res nullum inijciet scrupulum, si perpenderis accuratè quod dictum est de Hierosolymitana, ubi primò fuit Euangelium ex mandato capitis nostri Iesu Christi prædicatum, Ecclesia

metro-

metropolitana. Cuius uestigia non sequitur quæ sibi principatum arroguit Romanæ sedis aula, ubi longè maior decretorum, decretalium Clementinorum, consimiliumq; sophismatum authoritas habita quàm Euāgelij: In Hierosolymitana Ecclesia prima Apostoli prædicauerunt pœnitentiā, atq; remissionem peccatorum in nomine Iesu Christi, sed Ecclesia Romana dedit ueniam, & absolutionem uigore atq; potentia magnæ bullæ Romanæ & literarum sigillis latissimis corroboratarum. Eadem ex Christi Baptismate, fecit Monachorum baptisma, nempe eum, qui uitæ monasticæ genus aliquod assumpserit, aut ordinem suerit ingressus, rebaptizari. Itē primam salutarem institutionem corporis atq; sanguinis Christi, permutauit in aliam, qua laicis altera species subtrahitur. Verissimum igitur Papam credemus esse Christum, ipsumq; Christianorum omnium caput unicū, qui primitus ab Ecclesia summa parochiali Hierosolyma, misit in orbem uniuersum suos Apostolos, Euangelistas, Patriarchas, Episcopos, Cardinales, misit, inquam, ad annunciādum Euangelium, ad prædicandum pœnitentiam, atq; remissionem in nomine Christi, item ad baptizandum, ad absoluendum, & ad communicandum secundum institutionem Christi. Quod etiam ueri cœlestis Hierosolymæ ciues, ac fideles Euangelicæ doctrinæ ministri diligenter expedire solent. Hoc est,

est, quod dicit: Vos estis testes horum. Et dixit eis iterum: pax uobis. Sicut misit me Pater, & ego mitto uos. Hæc cùm dixisset, insslauit in eos, & dicit eis. Accipite spiritum sanctum. Quorumcunque remiseritis peccata, remittuntur eis, quorumcunque retinueritis, retenta sunt.

Quid uult per ea uerba Christus?

Vos, inquit, à me consecuti iam estis ueram consolationem, pacem, gaudium, & omne, quicquid necessarium uobis, ac usui futurum. Nunc igitur restat, ut faciatis iuxta id, quod præbui uobis exemplum, inseruite proximo, quemadmodum ego feci. Vobis ego, atq; credentibus omnibus, à Patre meo gratiam, misericordiam, atque salutem impetraui, sed is thesaurus nondum est distributus. Quapropter in hoc elegi uos, ut dispensetis, & in orbe toto prædicetis Euangelium de pœnitentia, & remissione peccatorum, baptizetisq; gentes omnes. Emitto uos uelut oues, in medio luporum. Crucem uestram expectetis, atq; tollatis oportet. Non est discipulus supra præceptorem, neque seruus supra Dominum suum. Si ipsum Patremfamilias uocauerunt Beelzebub, quanto magis domesticos illius? Matthæi. 10. Ioannis. 16. In mundo afflictionem habetis, sed bono animo sitis, ego uici mundum. Si mecum fueritis in mundo passi, mecum etiam conre-

gnabitis in æterna uitæ cœlestis aula.

DOMINICA PRIMA POST Paſcha, Euangelium Ioannis XX.

CVm ergo ueſpera eſſet die illo, qui erat unus ſabbatorum, & foreseſſent clauſæ, ubi erant diſcipuli congregati propter metum ludęorũ, uenit Ieſus, ſtetitq; in medio eorum, & dicit eis: Pax uobis. Et cum hæc dixiſſet, oſtendit eis manus, ac latus ſuum. Gauiſi ſunt ergo diſcipuli uiſo Domino. Dixit ergo eis iterum: Pax uobis. Sicut miſit me Pater, ita & ego mitto uos. Et cum dixiſſet flauit in eos, & dicit eis: Accipite Spiritum ſanctum. Quorumcunque remiſeritis peccata, remittuntur eis: quorumcunque retinueritis, retenta ſunt. Thomas

mas autem unus ex duodecim, qui dicitur Didymus, non erat cum eis, quando uenit Ieſus, dixerunt ei alij diſcipuli: Vidimus Dominum. Ille autem dixit eis: Niſi uidero in manibus eius ueſtigium clauorum, & mittam digitum meum in ueſtigium clauorum: & & mittam manum meam in latus eius, non credam. Et poſt dies octo iterum erant diſcipuli eius intus, & Thomas cum eis, uenit Ieſus ianuis clauſis, & ſtetit in medio et dixit: Pax uobis. Deinde dicit Thomę: infer digitum tuũ huc et uide manꝰ meas, et admoue manum tuã, et immitte in latus meũ, et noli eſſe incredulus, ſed credẽs. Rñdit Thomas, & dixit ei: Dominus meus, & Deus meus, Dicit

ei Iesus: Quia uidisti me Thoma, credidisti: beati qui non uiderunt & crediderunt. Multa quidem, & alia signa fecit Iesus in conspectu discipulorum suorum, quæ non sunt scripta in libro hoc. Hęc autem scripta sunt, ut credatis ꝙ Iesus est Christus ille filius Dei, & ut credentes uitam habeatis per nomen eius.

Quid hoc continet Euangelium?

Historiam de S. Thoma. Sic Ioannes scribit Thomas unus ex duodecim, qui dicitur Didymus, non erat cum eis, quando uenit Christus. Dixerũt ergo alij discipuli. Vidimus Dominum. Ille autem dixit eis: Nisi uidero in manibus eius uestigium clauorum, & mittam digitum meam in uestigium clauorum, & mittam manum meum in latus eius, non credam. Quod historiæ documentum conuenit inexercitatis Christianis, in quibus fides adhuc debilis est, ac infirma, & eorum in Deo fiducia malè procedens, ita languet, ut ipsi nesciant, quid operis debeant

beant facere, quò ueram, fortemq; uitam consequantur, animisq; eiiciant in corde latentia pusillanimitatis, atq; desperationis inquinamenta. Plenum igitur consolationis exemplum illis proponitur in Thoma. Qui prius quàm fide confirmaretur, ita ceciderat in consimile piaculum incredulitatis, ut extrahi potuerit difficulter.

Sed bonam antea fidem habebat Thomas?

Verum id est. Nam ante passionem Christi, non tam fragilem ac infirmam habuit fidem. Quippe cùm Christus ægrotante Lazaro discipulis diceret: Eamus in Iudæam iterum, & illi respondere̅t. Rabbi modò quærebant te Iudæi lapidare, & iterum uadis illuc. Tum fide meliore præditus Thomas, ait ad discipulos: Eamus ut & nos commoriamur cum eo, Ioannis. 11. Sed ea fides hic prorsum corruit, & in Thoma tanta fuit incredulitas, ut ægerrimè potuerit adduci, quò crederet resurrectionem Christi.

Non aderat igitur Thomas, cum ad discipulos ueniret Christus?

Deo sic ordinante non aderat Thomas, ut eius incredulitas nostræ prodesset fidei. Et tarda fides Thomæ longè plus utilitatis attulit nobis, quàm ce-

ta Magdalenæ. Nam quia Thomas credere noluit nisi uidisset, ac tetigisset, per hoc nobis tantum in resurrectionis articulo iecit fundamentum, ut amplius dubitare non possimus. Sic utile fuit magna capita, & Ecclesiæ Christianæ columnas cecidisse. Reliquerunt enim exempla, quibus peccatores miseri, cùm ceciderint, se queant erigere, atq; consolari, non à quinque scopulis (ut aiunt) in fluctus desilire, sed cogitare, qui lapsis discipulis manum porrexit, idem misericors Christus, nos quoq; peccatores non est deserturus.

Sed quomodo redibat in uiam Thomas?

Post octo dies (scribit Ioannes) iterum erant discipuli eius intus, & Thomas cum eis. Venit Iesus ianuis clausis. Quemadmodum oportebat abnegare Petrum, sic etiam Thomam incredulum esse. Et quemadmodum cõsolatus fuit Petrum Christus, sic etiam hic Thomas à Domino consolationis gaudia percepit.

Cur intus discipuli ianuis clausis confidebant?

Id faciebant discipuli metu perculsi. Externo metuebant Iudæorum maleuolorum crudelitatem. Interno trepidabant conscientiæ maleficio, quod fugitiui designauerunt. Nouerunt quàm iniquos haberent Iudæos. Et conscientia, mille testes, in Christum

Christum facinus admissum exaggerabat, animos exagitando. Sedebant igitur horroris atque tremoris pleni, nescientes, quo se conuerterent. Cùm primis autem Petrus, qui cum audiret nudum Christi nomen appellari, concidebat, nec my quidem (iuxta prouerbium) audebat facere, perceptoq; muris trabem aliquam transilientis uel exiguo strepitu cœlum totum ruiturum opinabatur. Omnes denique sic consternati, ut cogitationibus sibi Deum accerrimum hostem fugerent.

Quid in tali discipulorum pauore Christus faciebat?

Quemadmodum ex Maria natus, uirginitate salua permanente, & intemerata, & quemadmodum sigillis illæsis è monumento surrexit, ita uenit ianuis clausis ad discipulos. Et eadem ratione per uerbum atque spiritum suum in corda credentium illapsurus est, integra conscientia permanente. Porrò ueniens suo uerbo Christus non uiolat conscientias, non pturbat mentem, non intricat, aut peruertit rationẽ, non deniq; confundit, atq; dispergit sensum, ut mendaciorũ prædicatores, atq; Pseudoprophetæ, qcõturbant omnia, nihilq; sani relinquunt.

Quid igitur in culpa, quod multi cum prædicatur Euangelium atq; Dei uerbum exoriuntur sensus peruersi, & erraticæ controuersiæ?

Verbum Dei non est in causa, sed animis imbibita falsarum pristinarum doctrinarum contagio, atque pestilens prophanorum mendaciorum persuasio, quæ sic cordibus occupatis insculpta, ut uerbo Dei locum dare non possit. Cæterum si uetus illud impiæ doctrinæ fermentum fuerit expurgatum, & admissa puritas Euangelij, melius haberent omnia, nullis obnoxia dissidijs. At quamdiu Satanas impijs institutionibus suis corda subiecta possidet ac imbi regnat, tam diu Christus illic hospitio recipi non potest.

Quid Christus ingressus ad discipulos faciebat?

Stetit in medio & dicit eis. Pax uobis: Pacem autem habere, nihil est aliud, quàm credere Christum propter peccata nostra mortuum, & excitatum propter iustificationem nostri, sic ut nos peccata non possint amplius accusare, nec Sathanas terrere, neque mors trucidare, neque damnare queat infernus. Hanc nobis pacem donat Christus per Euangelium suum salutare, quò preciosa suæ mortis, atque resurrectionis merita nobis offeruntur, atque donantur gratuita clementiæ diuinæ liberalitate. Iam qui suscipit Euangelium, is spiritum sanctum accipit, qui spiritum sanctum, is consequitur peccatorum remissionem, & cui remissa peccata sunt, is pacem habet. Nam D. Paulus ad Ro.

ad Romanos. 5. ait. Iustificati ex fide, pacem habemus erga Deum, per Dominum nostrum Iesum Christum.

Talem ne Pharisæi ac iusticiarij pacem habent?

Minimè: Quoniam ipsi contendunt, non beneficio Christi, sed propria sua iustitia, operibus, atq; meritis sibi comparare, & acquirere pacem, atq; remissionem peccatorum, quod est impossibile fa&ctu. Nam cùm mortalium nemo tantùm poterit operum efficere, quantùm debeat ipse, semper in ambiguo pendet, atq; dubitat, an Deo grata sint, & accepta quæ fecerit opera. Sed non existimet homo, qui dubitat se quicquàm acceptarum à Domino. Etenim qui hæsitat, is similis est fluctui maris, qui uentis agitur, & impetu rapitur, Iacobi 1.

Quid Thomæ Christus dicebat?

Dicit Thomæ: infer digitum tuum huc, & uide manus meas, & admoue manum tuam, & immitte in latus meum, & noli esse incredulus, sed credens. Quæ declarat historia fidem ipsam sine uiuo, et efficaci Dei uerbo non posse constare, siue pacis, siue belli temporibus, siue in gaudijs, siue tribulationibus. Proinde nudis Apostolorum (quibus dicebant se Christum uidisse) uerbis Thomas minimè contentus, satiari poterat, sed Christum ipsum uidere uolebat, atq; tangere. Nec angeli uox, qua Christum

asserebat resurrexisse, uotis mulierũ satisfecit, no lentibus ipsum Christum uidere, atq; tangere.

Cur à peccatoribus, & homi nibus incredulis se tan gi permisit?

Vt nemo unus prætexere possit, atq; loco excu sationis dicere. Quid? Christus nimis austerus est, nimis asper, atq; crudelis. Etenim miseros peccatores inclementer excipit, inclementius tractat. Quis igitur ad hominem libenter accederet? Sed nulla prorsum est uel minima terguersandi relicta caussa. Christus enim de cœlo nobis uenit, ac ædibus nostris astans, fores pulsat, & ait: Venite ad me omnes, qui laboratis, ac onerati estis, & ego reficillabo uos. Omne quod ad me uenit, non ejiciam foras. Nec conteram calamum quassatum, nec linum fumigans extinguam, sicuti de me prædixit Esaias. Quibus diuinæ scripturæ locis, obiter discimus, & admonemur, ne fastuosi contemnamus, nec rigidi, atque truculenti repellamus à nobis homines incredulos, aut in crimina prolapsos, sed humaniter eos habeamus, & exemplum Christi imitati, reducamus in uiam ueritatis. Opus enim omnino est salutare, peccatorem conuertere. Vnde Sanctus Iacobus ait: Fratres, si quis inter uos erra uerit à ueritate, & conuerterit quis eum, sciat, quòd qui conuerti fecerit peccatorem, ab errore uitæ

uitæ suæ, saluam faciet animam à morte.

Cur Christus, manus, pedes, atque latus præbuit tangenda?

Nemo hominum est, qui non cupiat ad cœlos ascendere. Varias igitur uias excogitauerunt, quibus ad æternam uitam peruenirent. Alius hoc, alius facit operis illud, ut Deum propitium, placatum q; reddere possit, atqui Christus hic innuit, se ueram scalam esse, qua conscendere debeant homines in cœlum. Ostendit igitur manus suas, & pedes, atque latus. quasi dicat: Consyderate uulnera mea, & cicatrices meas intuemini, quas pro salute uestra prælians accepi, & quod occlusum uobis erat in cœlos iter planum feci, glacieq; scissa, uiam aperui. Alius nemo pro uobis animam suam posuit. Ego sum, & non alius, qui amore uestri mortem acerbissimam perpessus, liberaui uos à diabolica tyrannide, qui peccatum atq; mortem deleui, qui deniq; potestates inferorum expugnaui, ut modò iubilando positis dicere: Vbi tuus mors aculeus? Vbi tua inferne uictoria?

Quomodo in diuinam indignationem incidimus?

Iram dei nobis peperit alienũ peccatũ, nempè Adæ et Euæ: quãuis aũt ex ligno uetito nõ comederimus ta-

tamen eiusdem criminis rei peragimur omnes.

Quomodo redimus in gratiam?

Per aliena opera atq; merita, nempe Saluatoris nostri Iesu Christi. Quippe nos multò fragiliores sumus, quàm ut operibus atq; uiribus nostris peccato uel minimo resistere possimus, nedum Satanam aggredi, & cum hostibus infernalibus certare, aut confligere. Quapropter si contra diabolum agere uoluerimus, & Dei conspectum minus extremusce re, nec formidare iudicii extremum, oportebit habeamus opera, meritaq; Christi.

Sed quid nobis ante doctrinam Euangelicam exortam erat ostensum?

Manus & pedes nostri nobis ostendebãtur. Hoc est, iubebamur nostris operibus atq; meritis confidere, atq; in ijs salutem quærere. Quod est crimen læsæ diuinæ maiestatis, & abnegatio Christi.

Pacem ne corda nostra consequebantur, ostensis manibus & pedibus nostris?

Nulla pax, nulla quies, nulla denique concordia fuerat inde conscientijs. Cæterùm si iam Euangelio renato Christi manus ac pedes inspexerimus, & agnouerimus immensum, quo nos prosecutus est, amorem, quo corpus suum pro nobis tradidit, sanguinem fudit, atq; nos eb omni Satanæ, mortis, peccatorum,

& inferni potestate liberauit, tum demum corda nostra lætificantur, atq; ueram pacem assequuntur conscientiæ.

Quid Thomas cùm uidisset atq; tetigisset Christum dicebat?

Dixit: Dominus meus & Deus meus. Hic tandem agnoscit Thomas, & confitetur Christum uerum Deum ac hominem à mortuis excitatum, propter iustificationem nostri. Et qui hoc ipsum nõ fuerint confessi, non sunt salui futuri, Rom. 10.

Quinam huic confessioni Thomæ contradicunt?

Omnes iustitiarij, omnesq; omnium collegiorũ ac ordinum fratres, qui dicunt: Me iustificatura sunt opera mea, mea merita, meus ordo, meus cucullus, peregrinatio religionis ergo, ueniarum bullæ, ieiunia, preces, uota, supplicationes. Hæc sunt Dominus meus, & Deus meus. Hæc mihi sunt gratiam impetratura, Deum reconciliatura, & æternam denique uitam suppeditatura. Quæ si non adiuuerint, actum erit de salute mea.

Quid ad Thomæ confessionem Christus?

Dicit ei Iesus: Quia uidisti me Thoma credidisti. Beati qui non uiderunt, & crediderunt. Hisce uerbis paucis Christus naturã exprimit fidei, quæ rerum earum, quæ sperantur substantia est, argumen-

mentum eorum quæ non uidentur, ad Hebr. 11. His igitur Christi uerbis: Beati qui non uiderunt, & crediderunt, expressa est nostra beatitudo.

Quid autem ex hac Thomæ discemus historia?

Principiò dicemus fidem non esse rem uulgarem, protritam, aut anilem, quæ consistat in uerbis aut hominum linguis innatet, quemadmodum spuma fluminibus. Sed ipsam esse maximũ Dei donum, & opus. Hinc D. Paulus 2. Coloss. appellat fidem operationis Dei. Quàmuis autem homo quispiam sapientissimus omnium præluxerit, idemq; generibus disciplinarum omnibus præcelluerit, tamen ueram fidem nunquàm comprehenderit, nisi diuina spiritus sancti gratia traxerit eum, ac informauerit, quemadmodum ex Esaia propheta, capite 52. ait, Ioannis cap. 6. Et erunt omnes docti à Deo.

Deinde sensibus imis reponemus: Fidei principium esse timorem, horrorem, pœnitentiã, atq; dolorem. Ergo Prouer. 1. Solomon: Timor Domini principium sapientiæ. Et Esaias ultimo cap. Ad quem respiciam, nisi ad pauperculum, & contritum spiritu, & trementem sermones meos. Quòd si fides iuxta naturam suam, afferre consolationem, lætitiam, si corda gaudio perfundere, si denique ueram conscientijs pacem apportare debuerit, primùm necesse erit, ut inuenerit cor pœnitens, atque mœstum, afflictam conscientiam, & spiritum contribulatum, aliàs homo non fidei, neq; diuinæ consolationis fuerit capax. Christus enim ait Matth. 11. Pauperes lætum accipiunt Euangelij nuncium. Porrò quem peccatorem Deus conuertere, & ad fidem iusticiamq; perducere uoluerit, eum primò conijcit in maximam incredulitatem, timorem, horrorem, & angustias, imò prius in Tartara præcipitat, quàm erigit, ac consolatur, quemadmodum ait Hanna. 1. Reg. 2. Dominus mortificat, et uiuificat, deducit ad inferos, & reducit.

Tertiò, discemus fidem (si modò constans futuræ sit ac durabilis) oportere per crucem & tribulationes probari et examinari, uelut aurũ per ignem.

Scilicet ut fuluum spectatur in ignibus aurum,
Tempore sic duro est inspicienda fides.

Ergo D. Paulus Euangelium appellat sermonem crucis. Idem Act. 14. Per multas, inquit afflictiones oportet nos intrare in regnum Dei. Et Lucæ ultimo: Nonne hæc oportuit pati Christum, & intrare in gloriam suam? Quo simul ut nos peruenias mus adiuuet Deus. Amen.

SECVNDA CONCIO, Ioannis XXI.

POstea manifestauit se iterum Iesus ad mare Tiberiadis

dis. Manifestauit autem sic: Erãt simul Simon Petrus, & Thomas, qui dicitur Didymus, & Nathanael, qui erat à Cana Galilææ, & filij Zebedæi, alij q; ex discipulis eius duo. Dicit eis Simon Petrus: Vado piscatum. Dicunt ei: Venimus & nos tecum. Exierunt, & ascenderunt in nauim statim, & illa nocte nihil cœperunt. Mane autem iã facto, stetit Iesus in littore: nõ tamen cognouerũt discipuli, quòd Iesus esset. Dicit eis Iesus: Pueri, num quid obsonij habetis? Responderunt ei: Non. At ille dicit eis: Mittite in dexteram nauigij partem rete, & inuenietis. Miserunt ergo, & iam non ualebant illud trahere præ multitudine piscium. Dicit ergo discipulus ille, quem

quẽ diligebat Iesus, Petro: Dominus est. Simon ergo Petrus cùm audisset quòd Dominus esset, tunica succinxit se (erat enim nudus) & misit se in mare. Alij autẽ discipuli nauigio uenerunt, non enim longè aberãt à terra, sed circiter cubitis ducentis, trahentes rete piscium. Vt ergo descenderunt in terram, uiderunt prunas positas, & piscem superpositum, & panem. Dicit eis Iesus: Afferte de piscibus quos prẽdidistis nũc. Ascendit Simon Petrus, & traxit rete in terrã, plenum magnis piscibus, centũ quinquaginta trib. Et cùm tot essent, nõ est scissum rete. Dicit eis Iesus: Venite prandete. Et nemo discipulorum audebat interrogare eum (dicens.) Tu

WBP Opole

quis es? cùm scirent q̃ Dominus esset. Venit itaq̃ Iesus, & accipit panem, & dat eis, & piscem similiter, Hac iam tertia uice manifestatus est Iesus discipulis suis, cùm resurrexisset à mortuis.

Quoties Christus post diem resurrectionis se manifestauit?

Quater: Primò, Die post resurrectionem octauo discipulis apparuit præsente Thoma. Secundò, In Galilæa ad mare Tyberiadis. Tertiò, in Galilæa, quo discipuli abierant in montem, ubi constituerat illis Iesus, Matth. 28. Quartò, in Bethania, ubi assumptus in cœlum.

Quomodo se manifestauit ad Tiberiadis mare?

S. Thomas ita scribit: Erant simul Simon Petrus, & Thomas, qui dicitur Didymus, & Nathanael, qui erat à Cana Galilææ, & filij Zebedæi, alijq̃ ex discipulis eius duo. Dicit eis Simon Petrus: Vado piscatum. Dicunt ei: Venimus & nos tecum. Exierunt, & ascenderunt in nauim statim, & illa nocte nihil ceperunt.

Cur piscatum abierunt?

Impulit rerum egestas. Fame premebantur, non semper aderat Christus, quo amisso, zonam (ut dicitur) perdidere, Lapsana uiuere, salemq̃ lingere cogebantur. Iudas Oeconomus ac quæstor laqueo uitam finierat, extinctus in coquina fuit luculentus ignis. Venerat tempus, quod Matth. 9. prædixerat Christus. Num possunt filij sponsi lugere, quamdiu cum illis est sponsus? Venient autem dies, cùm tolletur ab eis sponsus, & tunc ieiunabunt. Quando doquidem autẽ Petrus antea piscando uictum quæritare solitus, ad eam in necessitate quam didicit artem regressus est. Nouerat Christianum non decere ueterno torpescere, nec otiosum esse, sed oportere semper aliquid operis honestioris agere, siue manibus, siue sensuum industria laborando.

Quando contingit hoc?

Cùm quilibet in uocatione sua facit, quod ex officio debet, cùm rusticus agrum colit: In officinis atq̃ pergulis ciues artem suam exercent: Magistratus benè præest subditis: Verbi minister Euangelium syncerè denunciat.

Quidnam debetur operarijs?

Sic ait Christus, Matth. 10. Dignus est operarius mercede sua. Et D. Paulus, 1. Corinth. 9. Quis mi

litat suis stipendijs unquam. An nescitis, quòd ij, qui sacris operantur, ex sacrificio uiuunt, & qui sacrario assistunt, unà cum sacrario partem accipiunt. Cùm autem id temporis Apostoli nondum fungerentur Euangelij ministerio, iudicabant iniquum esse, si inertes otiarentur, aut mendicantes alijs essent onerosi. redierunt igitur ad artem piscandi.

De entur ne pigris Aquiculis, inertibus sacrificulis, aut ignauis monachis stipendia?

S. Paulus 2. ad Thessal. 3. dicit: Etenim cùm essem apud uos, hoc præcipiebamus uobis, ut si quis nollet operari, is nec ederet. Sed quod Papa mandat, neminem ordinandum, aut sacris initiandum esse, nisi primùm habeat aliquod sacerdotium, cuius annuis redditibus uitam sustentare possit, Antichristicum est dogma. Christus enim requirit ministros strenuos, qui uigilanter in Euangelio laborent, & administrent Ecclesiæ sacramenta. E contrario, Papa mundum replet ignauis sacrificulis, ocioſis uentribus, luxuriosis epulonibus, qui quod Christus non iußit, faciunt, quod iußit, intermittunt, nempe prædicare Euangelium, Ecclesiam Dei ædificare, uineam Dei colere, sacramenta administrare, nec agunt aut exercent aliquid honestii laboris artificium, sed calidis ueluti balneis detenti, indulgent genio, maschalam tollunt, & tanquam sibaritæ per plateas subàt in omne genus libidinis, maximum toti mundo præbentes offendiculum.

Debent ne discipuli & Euangelij prædicatores laborare, cùm Christus dixerit, Lucæ 9: Nemo qui manu sua admota aratro, respexerit à tergo aptus est regno Dei?

Labor est duplex: Honestus, & inhonestus. Honestum atq; decentem laborem Deus requirit, & exigit ab omnibus hominibus, quem præcepit Gen. 3. Sed laborem inhonestum, ac otium turpe uetuit. Proinde Petrus & alij discipuli sese receperunt ad piscaturam. S. Paulus item cùm prædicandi labore non occuparetur, aulæa texuit. Actorum 18. Atqui Matthæus, & Zachæus non sunt ad teloniũm, ad inhonestam negociationem reuersi.

Qui fiebat, ut per totam noctem laborantes nihil piscium ceperint?

Euangelium fulgidißimæ luci comparatur, lex autem nocti, uel umbræ, quòd contineat umbram futurorum bonorum in Euangelio promissorum, ad Hebr. 10. Iam qui per noctem, per legis prædicationem sine Christo piscantur, nullos pacatam atq; trãquillam habentes conscientiam capiunt, sed ex

oriente aurora, et Luce Euangelica, multos adquirunt, maximè reti iacto in nomine Domini, iuxta illud Coloss. 3. Quicquid egeritis sermone & facto, omnia in nomine Domini Iesu facite. Multi uigilanter indefinenti studio laborant, sed quoniam opera sua non auspicantur in nomine Domini, nec in labore suo Christum respiciunt, neq; piè quærunt, in cassum laborant, & opera, more (quod aiunt) mandrabuli succedunt. Oportet, ut omnis operis processuri fœliciter, & ædificij duraturi, primum lapidem ponat, fundamentumq; iaciat Deus, quod si nõ fuerit factum, corruet quicquid superstruxeris.

Sed quomodo quæremus in labore nostro Deum?

In labore nostro quæremus Deum, ubi semper eum in oculis tulerimus, atq; fortiter ex eius uerbo pependerimus, regnũ eius primò quærentes, iuxta illud Matt. 6. Quin potius quærite primùm regnũ Dei & iustitiam eius, & omnia subijcientur uobis.

Quid si pauper laborauerit indefinenter, nec tamen inopiæ mala poterit effugere?

Deo fidere debet, non diffidere, bene sperare, nõ desperare, quasi ad restim res redierit. Cùm opinabimur Deũ nostri prorsus oblitũ, tũ proximus est. Iuxta, inquit David, his qui tribulato sunt corde. Ipse nouit

nouit opportunum tempus, quo, præter spem, salutẽ afferre debeat, & in rebus perplexis negotij difficultatem expedire. Quapropter à Dauide, Psal. 9. & 45. dicitur adiutor in oportunitatibus, ac tribulatione. In aduerso rerum euentu Petrum imitemur, qui cùm fuisset per totam noctem cum socijs piscatus, ac nihil cepisset, non desperauit, quasi fame perituru, sed laboribus intentus, expectauit bonam Domini uoluntatem, et munificentiam. At nostræ tempestatis homines, protinus per impatientiam ac desperationem, in cœlum expuissent, & diras admiscuissent deuotiones, & imprecamus, uel ipso horrenda auditu. Sed hisce non solet Deus apparere, atq; solatio esse, quemadmodum Petro atq; discipulis, qui patientes, diuinam in necessitate bonitatem expectauerunt.

Quomodo Christus ad mare suis apparuit discipulis?

Sic dit S. Ioannes: Mane iam facto, stetit Iesus in littore, non tamen cognouerunt discipuli, quòd Iesus esset. Dicit eis Iesus: Pueri, nunquid obsonium habetis? Responderunt: Non. At ille dicit eis: Mittite in dextram nauigij partem rete, & inuenietis. Miserunt ergo, & iam non ualebant illud trahere, præ multitudine piscium. Dicit ergo discipulus ille, quem diligebat Iesus, Petro: Dominus est. Quæ uerba docent, opera nostra omnia bene

sõturnari, fœliciterq; pſperari, & augmẽto ſalutari certò nobis profectura, ſi nos per fidem Dei uerbum arripuerimus, Deoq; firmiter crediderimus, ac in eius nomine res fuerimus exorſi. Quicquid enim acquiſituri ſimus boni, id per Dei uerbum, atq; gratiam eius conſequamur oportet.

Cur in maris litore ſtetit Chriſtus?

Quoniam triumphator Chriſtus ſua paßione, morte, atq; reſurrectione turbulentas omnes huius mundi tempeſtates euaſit, iam in portu nauigans in tranquillo eſt, ut maris procelloſi fluctibus iactatos miſeros adiuuet, & in portum ſalutis traducat. Interim diſcipuli retia trahũt, ac capiunt piſces, quos in extremo iudicij die ſeparaturus eſt.

Qua ratione Ioannes agnouit Chriſtum?

Matthæus 5. ait: Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum uidebunt.

Quid Simon Petrus?

Simon Petrus cùm audiſſet, quod Dominus eſſet, tunica ſuccinxit ſe (erat enim nudus) & miſit ſe in mare. Quo facto diſcemus è medio tolli, omnẽ periculi metum, cum uera fide Chriſtus fuerit agnitus, & in cor demiſſus, tum abeunt omnes trepidationes, omniſq; omnium diſcriminum, & tribulationum formido.

Quid alij diſcipuli?

Alij

Alij diſcipuli nauigio uenerunt, non enim longè aberant à terra, ſed circiter cubitis ducentis trahẽtes rete piſcium. Quod aũt Petrus per mare, diſcipuli reliqui nauigio peruenerunt in portum, nihil aliud ſignificat, quam nos oẽs ad reſurrectionis portũ peruenturos una quidẽ fide, ſed operib. diuerſis.

Quotnam piſces ceperunt?

Centum quinquaginta magnos piſces.

Ruptum ne fuit rete?

In piſcatura Lucæ 5. rumpebatur rete, ſed hic non rumpebatur. Significat in terris uiros inter Chriſtianos multos eſſe Pſeudochriſtianos, factioſoſq; ſectarum autores, qui plagas Euangelij rumpant, ſocietatiſq; ac unitatis Chriſtianæ fœdera diſſoluant. Sed in extremo die nemo fidelium, nemo credentium, & electorum nemo deſyderabitur, & quantumuis magna ſit in reti piſcium multitudo, tamen eos diuina charitas uniet, atq; conſociabit.

Quid piſcium iſtorum numerus ſignificat?

In hoc centum quinquaginta trium piſcium numero latet inſigne myſterium. Nam ſi numerum hunc ſequentem 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17. ordine ſuo ſcripſeris. Deinde in unum numerum (computatione naturali, uulgariq; facta)

contuleris, inuenies centum quinquaginta tria: semel item reperies decem, semel item septem. Iam per numerum denarium intelliges Legem. Per septenarium accipies Euangelium & gratiam, donaq; spiritus sancti. Ergo qui saluari debent, et tracti per rete Euangelicum, in portum cœlestis patriæ deducti, necesse est, ut idipsum contingat per legis, & Euangelij prædicationem. Ad mysterij præsentis utilitatem hoc etiam accedit, quod in prædicto centum quinquaginta trium numero ter inueniuntur, quinquaginta, & residua tria. Per numerum autem quinquagesimum intellige annum (quem Iudæi anno quoq; quinquagesimo agunt Numeri 36. Leutici 25.) Iubileum, hoc est remissionem peccatorum. Tria autem significant diuinam Trinitatem, Patrem, Filium, & Spiritum sanctum, in quo remissionem peccatorum, & æternam uitam consequimur?

Quid cum in portum uenissent discipuli, fiebat?

Tria contingebant miracula. Primò Petrus ingressus mare uenit in portũ. Deinde rete discipuli trahentes licet copiosam piscium multitudinem ceperint, tñ nõ rũpebatur rete. Tertiò, prandiũ inuenerũt sine ope aliqua humana paratũ, uiderũt prunas positas, & piscẽ superpositũ, et panem. Quæ nobis ostendunt

ostendunt potentiam, fructumq; fidei. Et Christiano homini prospectum iri, ut prius de cœlo Deus penem plueret, quàm illum fame sineret perire.

Seduulgo dicunt: Diu cogerereris expectare, dum in os tibi columbus assus inuolet?

Verum hoc est prouerbium apud inertes, ociosos, & desidiosos uerbi Diuini contemptores. Sed apud credentes atq; pios homines, uocationi suæ satisfacientes omnia sunt possibilia Marci. 9. Exemplo sit Israëliticus populus, et hoc in loco discipuli.

Curait Christus, afferte de piscibus quos prendistis nunc?

Inscripturis sæpenumero Spiritus sanctus attribuit nobis, ac nostris uirib. adscribit ea opera, quæ perficit ipse, non ut nos de ijsdem gloriari debeamus, superbire, aut efferri, quasi nos fecerimus, sed ut eò simus in uocatione nostra diligentiores, magisq; strenui progrediamur. Ergo quoniam Deus, eo nos honore dignatur, & aliquid boni, quod nos sine Deo uideamur facere, nobis assignat, non pigri, nec desides, neq; inani fastu turgentes reperiri debemus.

Cur tamuarijs miraculis suam resurrectionem Christus patefacit?

Quoniam articulus resurrectionis plurimum habuit

habuit ponderis, & circa eum cardo rerum uertebatur. Et alius nullus erat articulus, quem maioribus tormentis oppugnauerint increduli. In testamento ueteri temporibus Babylonicæ captiuitatis erant Iudæi, qui non credebant Deum Israëlis posse captiuos è seruitute Babylonica liberare. Sed Ezechielem Prophetam iussit prædicare Deus, se nõ modo liberaturum in potestatem Babylonicam reductos, sed etiam è sepulchris mortuos adituram reuocaturos: Ait ergo Propheta: Arida ossa, audite uerbum Domini: Hæc dicit Dominus de ossibus his: Ecce ego intromittam in uos spiritum, & uiuetis, & dabo super uos neruos, & succrescere faciam super uos carnes, & superextendam in uobis cutem, & dabo uobis spiritum, & uiuetis, & scietis quia ego Dominus. Ezechiel. 37. Consimiliter in nouo testamento Sadducæi, qui negarunt resurrectionem esse. Matth. 22. Lucæ. 20. Actо. 23. Quapropter Diuus Paulus. 1. Thessalo. 4. Nolo uos ignorare fratres, de ijs qui obdormierũt, ne doleatis quemadmodum & cæteri non habentes spem. Nam si credimus, quod Iesus mortuus est, & resurrexerit: sic et Deus eos qui obdormierunt per Iesum adducet cũ illo. Est autem Christianorum mors, principium æternæ uitæ, quam donet nobis misericors Dominus. Amen.

Tertia

TERTIA CONCIO IOANnis uigesimo primo.

CVm ergo prandissent, dicit Simoni Petro Iesus: Simõ Ioannis diligis me plus ijs? Dicit ei, etiam Domine: tu scis quod amem te. Dicit ei: Pasce agnos meos: Dicit ei rursus iterum: Simon Ioannis diligis me? Ait illi: Etiam Domine, tu scis quod amem te. Dicit ei: Pasce oues meas. Dicit ei tertiò Simon Ioannis amas me? Indoluit Petrus, quod dixisset sibi tertiò, amas me, dixitq; ei: Domine, tu omnia nosti, tu scis quod amem te. Dicit ei Iesus: Pasce oues meas. Amen amen dico tibi, cum esses iunior, cingebas te, & ambulabas quo uolebas, cum autem senueris, extẽdes manus tuas, & alius te cinget,

get, & ducet quò non uis. Hoc autem dixit, significans qua morte glorificaturus esset deum. Et cum hoc dixisset, dicit ei: Sequere me. Conuersus Petrus, uidit illum discipulum, quem diligebat Iesus, sequentem: qui & recubuit in cœna super pectus eius, & dixit: Domine, quis est ille qui tradit? hunc ergo cum uidisset Petrus, dicit Iesu: Domine, hic autem quid? Dicit ei Iesus: Si eum uelim manere donec ueniã, quid ad te? tu me sequere.

Quid est, quod Iesus interrogat Petrum, dicens: Simon diligis me plus his?

Quoniã Euangelij sui prædicatorem Petrum futurus erat Christus, primò explorare uoluit ipse, quo animo erga se esset ille præditus, et quo affectu: Solet enim fieri, ut quò maior de aliquo sit amico conceptus

conceptus amor, tanto etiam de eodem & gratiosior, & ardentior uirtutis prædicatio soleat esse. Et quemadmodum amicorum ora semper bona, sic inimicorum omnia mala diffundere solent.

Sed cur ait ter, Simon diligis me?

Cum electis suis filijs, ita solet agere Deus, ut prius eos terreat, quàm lætificet. Solet autem ita terrere, ut se putent habere Deum iratum, & inclementem. Quod ideo facit, non ut adigat ad desperationem, aut perdat, sed ut conseruet in fide reddatos fortiores. Sic fecit Abrahamo, iubens Isaac filium mactari. Sic Dauidi, cum permitteret eum ab Absolon filio uarijs iniurijs affici, & affligi.

Curait, diligis me plus his?

Hoc uult. Quod me, Simon, plus diligis quàm alij, non immeritò facis. Nam ad id te causa maxima propellit. Non ignoras quantum in te beneficij contulerim, quanta tibi peccata condonarim, grauissimè lapso. Et meritá, bonoq; iure plurimum amat is, cui plurimum fuerit remissum. Lucæ. 7.

Quid ad triplicem interrogationem Christi, Petrus respondit?

Indoluit Petrus, quod dixisset sibi tertiò. Amauit. Dixitq; ei: Domine tu omnia nosti, tu scis, quod amem te.

amem te.

Quid ad hanc responsionem Petri Christus respondit?

Cùm ex intimis animi penetralibus depromptã amoris confessionem audisset ex Petro Christus, imposuit ei munus Euangelij prædicandi, curamq; animarum concredidit, indicans qua potissimum re, sibi plurimum gratificari posset. Dicit igitur: Pasce oues meas. quasi dicat: Simon Petre; Oues meæ magno mihi constitere, eas enim sanguine meo redemi, corpus ac uitam pro eis posui. Nolim igitur aberrantem aliquam perdi. Ergo si me diligis, fac magnæ tibi curæ sint oues meæ. Nihil magis gratum, nihil æquè mihi feceris acceptum, quàm si diligenter eas uerbo Dei paueris. Verùm si uis scire, quem in hac tua functione, atq; ministerio sancto debeas imitari, me respice, sequere me uerum pastorem. Audisti sæpius, & uidisti, quomodo me in eodem officio gesserim. Vestigijs igitur meis insiste. Obiter autem subindicabo, quidnam tibi meas oues pasturo, uerbumq; Dei prædicaturo sit euenturum, & quæ crux insecutura.

Quid indicauit igitur?

Dixit: Amen amen dico tibi, cùm esses iunior cingebas te, & ambulabas quo uolebas: cùm autem senueris, extendes manus tuas, & alius te cinget, et ducet quò non uis.

Quid

Quid uult per ea uerba Christus?

Ea similitudine uoluit indicare genus mortis, quo Petrus esset moriturus, nempe crucis. Hinc etiam subdit. Sequere me, quasi dicat. Quod in Euangelij ministerio mihi accidit, id etiam tibi est euenturum in eodem officio. Te præcedens ego, tuli crucem nucam. Memineris & tuam tollere, atque ita sequi.

Omnes ne debent Euangelij prædicatores, hanccine iuxta uocationem, accersiri ad concionandi ministerium?

Hoc ipsum, quo Petrus ad functionem Euangelij uocatus est, exemplum, omnis Christianorum Ecclesia merito debet imitari, & prorsus nemunem uel admittere, uel datis suffragijs eligere, nisi primò perspectum eius animum habeat, & exploratũ, quomodo sit erga Deum affectus, utrum ueritatis amator, an econtra mendaciorum sit admirator, ac protector. Electoribus enim turpissimum fuerit nescire, an idoneus sit ad prædicandi munus, an ineptus, an priuatam utilitatem quærat, an animarum salutem, an ex animo loquatur, an ad gratiam popularem aduletur. Etenim in Ecclesia nihil magis impium, ac perniciosius, quàm uiris duplicibus qui

dicunt aliud ore, & sentiunt aliud in corde, qui iuxta prouerbium, eodem ore calidum, & frigidum efflant, dextrum pedem in calceo, sinistrum habentes in pelui, quemadmodum multis in locis fieri solet. Et sunt multi qui parochias habent, ac sacerdotia, sed nũquam uocationi, uel officio suo respondent, nihil docent, nihil prædicant. Et si processerint ad prædicandum ollas (ut aiunt) exornant, & ostentant, è popina Marcolffi, Hiltenbranti, aut Vlenspiegelij depromptas. Nec prius Euangelium respiciunt in septimana, quàm die solis, & ea, quæ denunciandum sit hora. Neq; per totum annũ stylo manum prius inijciunt, quàm cum rustici frumenta, pecuniamq; numerant, ut inscribant id libello rationario. Cuius farinæ hominum nimirum meptissimorum cõcionatorum totus mundus est plenus. Et eos qui neq; natare, quod aiunt, neq; literas, amentia hominum uult rebus sacris præfici, portantes asinos mysteria. Quod ut passim, atq; frequenter fiat, non impigram nauat operam Sathanas, ut tandem prædicatores eiusmodi cum auditoribus in flammas præcipitet infernales.

Vtrum ea uerba: Sequere me, Petro soli dicta sunt, an generatim ac cõmuniter omnibus Christianis?

Non solum ea Christi uerba Petro dicta sunt, peculiariter, sed omnibus ex æquo Christianis. Quem enim iustius sequemur, quàm Christum Dominum nostrum, à quo denominati, iurauimus in eius nomen, atq; uerba.

Quomodo Christum sequemur?

Quilibet Christianorum in uocatione sua sequetur Christum doctrina, uita, atq; morte.

Quomodo doctrina?

Si non prædicauerimus, nec didicerimus, neque audiuerimus aliud, quàm quod Christus mandauit prædicari, audiri, & mentibus inseri. Præcepit autem Euangelium prædicari Matth. & Marci ultimo. Item Euangelium audiri, Marci 8. At qui Christi præceptis non obtemperant, sed diuersum ab eius doctrina prædicant, audiunt, & discunt, non sunt è numero discipulorum Christi.

Quomodo uita sequemur Christum?

Si nos ad eius exemplum fuerimus pauperes spiritu, mites, misericordes, pacifici, mundi corde, & feruentes studio proximum consolandi, simul ac iuuandi.

Quomodo morte?

Si crucem nostram, à Deo nobis impositam patienter tulerimus, ac pro nostris inimicis oraueri-mus, quemadmodum ait ipse Lu. 9. Si quis uult post

me uenire abneget semetipsum, & tollat crucem suam quotidie, & sequatur me. Et Lucæ 6. Diligite inimicos uestros, & orate pro calumniantibus uos.

Omnes ne Christum sequuntur, qui uocati sunt?

Nonnulli statim ad primam uocationem sequũtur, ut Petrus, Andreas, Iacobus, & Ioannes à piscatura atq; retibus accersiti. Matthæus à telonio, Zacheus ab arbore, Paulus à Iudaismo.

Nonnulli se excusant, quemadmodum ille Mat. 8. qui de numero discipulorum dixit. Domine permitte mihi prius, ut abeam, & sepeliam patrẽ meum. Et ille Lucæ. 9. qui dixit: Domine permitte mihi primum abire, et dicam uale ijs, qui sunt domi meæ. Itrem tres illi Luc. 14. qui ad cœnam uocati.

Nonnulli sequuntur priuatæ commoditatis gratia, quemadmodum illæ Lucæ 9. qui dixit Magister sequar te quocunque ieris. Dixit illi Iesus: Vulpes foueas habent, & uolucres cœli nidos, filius autem hominis non habet ubi caput suum reclinet.

Est ne dictum illud Christi, sequere me, in frequenti hominum usu?

Apud Christianos præclarum illud proloquium exoleuit ferme squalido situ obsitum, ut uetus illa Christum sequendi consuetudo, facta sit respiciendi,

ciendi, & ab illo recedendi maligna turpitudo. Etenim eum (qui Ioannis 8. dicit, qui sequitur me non ambulat in tenebris) Christum ab oculis remouerunt impij doctores, & in eius locum reposuerunt, Benedictum, Franciscum atque alios dicentes, Qui saluus esse uoluerit, sequatur hos, uel illos. Cum tamẽ eorum nemo uere posit dicere. Qui meum ordinem sequitur, non ambulat in tenebris.

Est igitur malum bonos sanctosq; Patres sequi?

Non esset malum si fieret ea ratione, qua dicit D. Paulus 1. Corinth. 11. & Philip. 3. Imitatores mei estote sicut & ego Christi. Sed huc nemo tendit, dicens: Hic murus aheneus esto. Nemo propemodum in uocatione sua facit, quod requirit officium suũ. Quilibet ex alio dependet, ac in alium respicit, quemadmodum hic Petrus in Ioannem.

Quid igitur ait Petrus?

Cùm uideret discipulum, quẽ Christus diligebat, sequentem ait Petrus: Domine, hic autem quid?

Quid Christus respondit?

Si eum uelim manere donec ueniam, quid ad te, Tu me sequere. Quasi dicat. Officium tuum facito, ac diligenter quod iniunctum tibi peragito. Et Ioannes suum laborem inueniet. Res tuæ sint tibi curæ. Nõ uelut in alienã rep. solicitus sis de eo, quod illum fa-

turum est officium. Non te curis alienis onerato, unusquisque in ea uocatione in qua uocatus est, maneat, unusquisque ut illum uocauit Dominus, ita ambulet. 1. Corinth. 7.

Sed ea ratione monachos, atq; moniales oportebit in ea, qua uocati sunt, uocatione manere?

D. Paulus de ea uocatione dicit, qua per uerbum suum Deus homines uocat. Quare non poterunt hoc scripturæ loco se uel excusare, uel defendere cohortes monachorum, quoniam eos non uocauit suo uerbo Deus, sed homines excogitatis humanæ uersutiæ traditionib. ad ordinum eiusmodi monasticorum status accersiuerunt.

Habet igitur unusquisq; suam uocationem?

Maximè. In magistratib. enim alij præsunt, atq; sua prudẽtia remp. administrãt. Alij subditi parẽt, ac obtẽperant imperijs. Alij sunt uiri, sunt mulieres, sunt uirgines, uiduæ, patres, matres, filij, filiæ, famuli, ancillæ. Sunt alij prædicatores, alij auditores, præceptores, discipuli. Iã in quolibet horũ statu fueris inuentus, fac quod deceat uocationem tuam, non respicias alienam, sed uideas quidnam efflagitet officij tui ratio. Quod si diligenter feceris, tantum inuenies curarum atq; laborum, ut alienorum

norum facilè poteris obliuisci.

Sed ais: quomodo Christum sequi potero: Nõ cæcis uisum restituere, nec alia miracula facere, neq; ueluti Christus, prædicare, possum?

Deus non præcepit nobis miracula facere. Deinde qui uerbum Dei non poterint commodum prædicare, bene concionantem audiant. Et qui syncerè auscultant, attentione sua Deum laudant atq; glorificant. Nam si auditores non essent, gloria Dei prædicari non poßet. Quin si non daretur aliquando facultas audiendi, tamen libenter in auditorum Christiq; membrorum numero deberes esse. Non enim est exigua res, nec parua Dei gratia, reperiri libenter in numero eorum, qui Deum in ecclesia laudibus extollunt, agunt q; gratias pro beneficijs summis in genus humanum collatis. Et ueteres sancti uotis subinde magnis exoptarunt in numero Deum glorificãtium inueniri, ut Dauid Psalmo 41. Effudi in me animã meam, quoniã transibo in locum tabernaculi admirabilis usque ad domum Dei. In uoce exultationis, & confeßionis, in multitudine ferias agentium. Item 121. Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi: in domum Domini ibimus. Certè qui reperitur inter eos, qui Dominum laudant, is etiam particeps fit omnis

laudis, atque gratiarum actionis. Quapropter impium est genus hominũ, qui cũ uel audiendo, uel ad Ecclesiam catholicam se conferendo possent laudare Deum, non faciunt, qui tamen deberent ad extremos mundi terminos proficiscí, ubi scirent congregatam in Christo concionem, Deo laudes concinentem. Non longa tempora sunt elapsa, cum plurimi Romam currebant, plurimi ad Iacobũ Compostellanum, plurimi Aquisgranum religionis ergo peregrinabantur, & ad alia loca sese multis itinerum molestijs conferebant, ubi Dei uerbum non prædicabatur: iam autem cùm Christus omni cum gratia sua, donisq; sit ante fores, piget ultra limen proferre pedem. Sed quid huic impietati tam ueternosæ iustius fecerit atque parr etulerit Deus, quàm ut eos ingratitudine sua reliquerit indurato s, atque densissimis pristinorum mendaciorum erroribus absorptos.

Quid ex prædicta discemus historia?

Principiò discemus. Vnumquemq; Christianorum debere Christum sequi, atq; suæ uocationis officio respondere diligenter, habito nullo sanctorum uel exempli, uel doctrinæ, uitæque respectu.

Per impiam hominum superstitionem in Ecclesia res cò processerat, ut boni sancti Christum de templis deturbauerint, ac ipsi turmatim occupauerint

cupauerint omnia loca. Et quicquid illi fecisse prædicabantur, uel etiam egisse falsò dicebantur, id omne protinus stulti, quorum omnia plena sunt, homines conabantur imitari, quemadmodum simiæ nullo rerum habito discrimine, ut inde iocularis uanitatis factum fuerit spectaculum.

Deinde: Vnumquemq; debere sua sorte contentum esse, non alijs inuidere, quibus uel plus gratiæ, uel dona maiora Deus fuerit elargitus. Est enim ethnicæ malignitatis alienarum laudum obtrectatorem esse, uel laborum alienorum reprehensorem, cuiusmodi fuisse tradunt sophistam Zoilum. Et omnia totius mundi loca pestiferum hoc malum inuasit, ac infecit, quo nemo conditione, rebusq; suis contentus uiuit, ut etiam edentibus, iuxta prouerbiũ, uescentium dentibus inuideat, ut Poëtæ iure dixerint: Figulus figulo inuidet, fabro faber. Item

Inuidia alterius rebus marcescit opimis.

Item:

Fertilior seges est alienis semper in agris,
Vicinumq; pecus grandius uber habet.

Quorum criminum culpa fit, ut quemlibet suæ conditionis pigrat, ut qui uxorem habet cœlibatum laudet, qui in cœlibatu uiuit, uxorem malit. Qui agricola, præferat mercaturam: qui mercator, agriculturam. Quæ tædiorum molestiæ, reddunt totum uitæ cursum iniucundum, & asperum.

Non potest autem Deus efficere, ut homines sorte sua contenti uiuant?

Quòd si Deus permitteret unumquenq; pro uotis atq; uoluntatis arbitrio, res, aut conditiones suas cum alio permutare, tamen mox tædio captus homo pristinum ad statum redire, uel in aliũ trãsire uellet. Hinc rectè scribit Horatius:

Siquis Deus, *en ego, dicat:*
Iam faciam quod uultis, eris tu qui modò miles,
Mercator, tu consultus modò rusticus hinc uos,
Vos hinc mutatis discedite partibus, eia,
Quid statis? nolunt. Atqui licet esse beatis
Quid cassæ est, meritò quin illis Iupiter ambas
Iratus buccas inflet, neq; se fore posthac
Iam facilem dicat, uotis ut præbeat aurem.

Sapienter Socrates atq; Solon, qui aiebant: Si in unum locum cuncti mala sua contulissent, futurum, ut propria deportare domum, quàm ex omni miseriarum aceruo portionem suam ferre mallent, ut ait Valerius Max. Et eo libramento mundum administrat Deus, ut quemlibet commoditatis prouentum æquata consequatur infortunij portio, ne fœlicitas nimia faciat superbos peccare. Fortuna enim, iuxta prouerbium, reddit insolentes, et æstuarta dicta, iam huc, iam illuc impellit, multisq; prauis affectibus absorptos rapit. Cùm esset Israëliticus

cus populus in Ægypto quærebat egredi, cùm esset liberatus captiuitate, cupiebat illuc redire. Cũ hac inconstanti stultitia mundus suum habet commercium. Vnusquisq; respicit atq; consyderat suum malum, Lynceoq; perspicacior intuetur commodum, atq; fortunam bonam. Sed econtrà, si quilibet suam commoditatis sortem contemplaretur, & alienã calamitatem oculis misericordiæ cõspiceret reuoluereq;, sæpius procul dubio gratias ageret, Deo, atque sorte sua, qualicunque etiam, contentus uiueret.

Quid significant Petrus & Ioannes?

Persona Petri iusticiarios significare potest. Sed per Ioannem ueros intelligimus Christianos, hisce recumbentibus in sinu Christi produntur, quinam sint lupi rapaces, animarum latrones, Iudæq;, qui caussa quæstus, atq; uentris gratia pietatem simulantes, cum Christo discumbunt, sed nihil præter buccellas intinctas edunt, hoc est, habent quidem Dei uerbum, sed fucant, & corrumpunt illud, uerũ ac genuinum sensum euertentes, & adulterinum supponentes. Atqui repulsis omnib. ueri Christiani debent eum, unde nomen habent, Magistrum suum Christum intueri, atque sequi. Ille procul dubio filios suos nõ abstrahet in hospitiũ malũ, sed in regni cœlestis gaudia sempiterna deducet. Amen.

CON-

CONCIO QVARTA,

Matthæi Vltimo.

VNdecim autem discipuli abierunt in Galilæam, in montem ubi constituerat illis Iesus. Et cùm uidissent illum, adorauerunt eum: quidam autem dubitauerũt. Et accedens Iesus, locutus est eis, dicens: Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra: euntes ergo docete omnes gentes, baptizãtes eos in nomine patris, & filiĩ, et spiritus sancti: docentes eos seruare omnia quæcunq; præcepi uobis. Et ecce ego uobiscum sum omnibus diebus, usq; ad consummationem seculi.

Vbi rursus post resurrectionem suam Christus se manifestauit?

In

In Galilæa: Nam ita scribit Matthæus: Vndecim discipuli abierunt in Galilæam, in montem, ubi constituerat illis Iesus, ubi uisus fuit plusquàm quingentis fratribus semel. Ex quibus plures manent, ad hunc usque diem, quidam autem dormierunt. 1. Corinth. 15.

Quem montem indicauerat discipulis?

Montem Thabor, in quem etiam subduxerat seorsum discipulos Petrum, Iacobum, Ioannem, & se coram illis transformauit, præsentibus Helia & Mose. Matth. 17. Lucæ 9. Marci 9.

Quid in monte faciebant discipuli?

Cùm uidissent Iesum, adorauerunt eum, quidam autem dubitauerunt.

Quid per hoc significat Euangelista?

Denotat omnium rarissimam herbam esse fidem, quæ non proueniat in quorumlibet hortis. Est certè fides

Rara auis in terris, nigroq; simillima cigno.

Quare D. Paulus ait 2. Corinth. 3. *Non est omnium fides, &c. Dei donum est, &c.* Et Ephes. 1. *Fidem ait esse efficaciã roboris Dei, similem ea, quæ Christum à mortuis suscitauerit. Qui credimus, inquit, secundum efficaciam fortitudinis eius, quam exer-*

exercuit, cùm suscitaret Christum ex mortuis.

Vnde nascitur fides?

Necesse est, ut fides originem trahat, ac profluat ex vulneribus Christi. Etenim cùm audis, atque credis etiã Deum patrem tam propitiũ atq; misericordem fuisse, ut propriũ suum filium dilectissimũ pro te morte crudelissima confectum occidi permiserit, oportet ferreus sis, ubi nõ uicissim redamaueris Deum, & ex animo dilexeris. Oportet fibratibi sit (ut aiunt) cornea, si non fauor singularis, in te fecerit, simul ac amor exarserit in Deum, eius q; doctrinam atque præcepta, sic, ut tua sponte, bonoq; propriæ uoluntatis arbitrio, facias quæ Deus requirit, atq; placẽt Christo, nõ proprijs utrib. adscripta, sed attributa potentia S. spiritus, quem accepisti fide. Solus enim Christus est unica illa petra, de qua mel sugitur, atq; butyrum Deut. 32.

Quid ad discipulos atq; fratres hosce dicebat?

Saluberrimam ad eos orationem habuit, dixitq;: Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra. Euntes ergo in uniuersum mundum, & prædicate Euangelium omni creaturæ, et docte omnes gentes, baptizantes eos in nomine patris, & filij, & spiritus sancti, docentes eos seruare omnia, quæcunq; præcepi uobis. Et ecce ego uobiscum sum omnibus diebus, usq; ad consummationem seculi.

Cur

Cur hanccine orationem habuit?

Cùm in orbem uniuersum Christus missurus esset Apostolos, eosq; facturus Euangelij prædicatores, ostendit ab initio cuiusnam Domini futuri essent ministri atque nuntij, nempe eius, cui potestas data sit in cœlo & in terra, qui præpotens eos defendere possit ab omnibus iniurijs, & ab omni periculo liberare, licet Sathanas, mundus, & inferorũ portæ cessaturæ non sint truculentam in eos exercere tyrannidem, & crudeliter opprimere.

Quod erat Christi mandatum?

Mandauit in uniuersomundo prædicari Euangelium, non hominum præcepta, nec propriarum excogitationum figmenta: Item in nomine patris, & filij, & spiritussancti baptizari gentes omnes, non exceptis infantibus.

Cur ait: Docete eos seruare quæcunq; præcepi uobis?

Ne putaremus baptismi sacramentum solùm ad remissionem peccatorum acquirendam sufficere, sed animo reuolueremus Euangelium Christi prædicandum, & ex eo nobis fidem, quæ iustificat, hauriendam esse. Præterea cogitaremus baptismum factis, quæ nos inibi promisimus exprimendum esse.

Quænam promisimus in baptismo?

Prin-

Principiò sanctè polliciti sumus, nos Satanæ cũctis q; artibus & operib. contradicturos, abnegaturos q;. Deinde pmisimus credituros, nos in Deũ patrẽ Deum filium, ac spiritũ sanctũ, & eiusmodi fidem nostra uita simul ac operib. nostris testificaturos. Tertiò nos abiecturos ueterem Adamum, & carnis omnem libidinem constricturos, iuxta illud Pauli, Eph. 4. Deponite priorem conuersationem, ueterem hominem, qui corrumpitur iuxta concupiscentias erroris. Renouati uerò spiritu mentis uestræ induite nouum hominem, qui iuxta Deum conditus est per iustitiam & sanctitatem ueritatis.

Cur tam dilucidè Christus ait: Docete eos seruare quæcunque præcepi uobis?

Vt nemo præsumeret ea prædicare, quæ sensui uel humanæ rationi placeãt, atq; bona uideantur. Quod faciunt, qui patrum canones, atque decreta præferunt Euangelio.

Cur ait: Vobiscum sum omnibus diebus ad consummationem seculi?

Id facit in eximiam Christianorum omnium consolationem. Etenim quis nõ gaudio maximo perfundatur, & in corde iubilet, audiens, atque sciens se tam potentem Dominum assiduò præsentem habere?

re? Et quæ fuerit illi penuria bonorum, cui semper adsit Christus, Dei filius? Quid illi nocere uel incõmodare poterit, cui præsens auxiliatur Dominus ille, cui potestas in cœlo atq; terris tradita. Quamuis autem Christus mundum uisibiliter reliquerit, & ad cœlos adscenderit, tamen ad dexteram Dei patris sedet, ac inuisibiliter agit dominum rerum omnium, quemadmodum Palus ait Ephes. 1. Sedere fecit ad dextram suam in cœlestibus, supra omnem principatum, ac potestatem, & uirtutem, & dominium, & omne nomen quod nominatur, non solùm in seculo hoc, uerùm etiam in futuro, & omnia subiecit sub pedes illius, & eum dedit caput super omnia ipsi Ecclesiæ, quæ est corpus illius, complementum eius, qui omnia in omnibus adimplet.

Sed Papa iactat, se Christi summum uicarium, & Ecclesiæ caput esse?

Christus non opus habet eiusmodi uicario, qui dominium habeat in conscientias, cùm ipse præsentem se fore dicat ad mundi usq; finem. Ait enim uobiscum sum ad consummationem seculi Q. d. Non mitto uicarios, qui debeant animabus leges præscribere, dominari, aut imperio regere, sed mitto prædicatores, atq; diuini uerbi ministros, qui doctrinã Euãgelicã prædicare debent, et omniũ ministri docere omnes populos Deo fidere, Dei q; uoluntatem

facere. Ipse mea gratia, meoq; spiritu præsens ego futurus ibi sum, ubi prædicatum fuerit Dei uerbum, quod meum est Euangelium, & ubi iuxta præceptum meum administrata fuerint in Ecclesijs sacramenta. Quibus liquet, constatq; Papam non Ecclesiæ caput, nec fundamentum esse. Nam si caput esset, tum monstrosa uideretur Ecclesia, cuius formoso, sanctoq; corpori uelut asini caput conspiceretur impositum. Fundata etiam haberetur super hominem peccatorem, minimè potentem portis inferorum resistere. Cùm autem Ecclesia Christi sit ædificata super petram, aduersus quam portæ inferorum præualere non possint, Matthæi 16. non Papa eius caput est, sed Christus. Vnde Paulus, Colossens. 1. Omnia, inquit, per illum & in illum creata sunt, & ipse est ante omnia, & omnia per illum consistunt, & ipse est caput corporis Ecclesiæ, qui est principium, primogenitus ex mortuis, ut sit ipse in omnibus, primas tenens, quoniam in illo complacitum est patri uniuersam plenitudinem inhabitare, & per eum reconciliare cuncta erga se pacificatis, per sanguinem crucis eius per eundem, siue quæ in terra sunt, siue in cœlis. Ibidem 2. Quoniam in illo inhabitat omnis plenitudo deitatis corporaliter, & estis in illo completi, qui est caput omnis principatus, atque potestatis.

Qui

Quinam fructus sunt Christi resurrectionis?

Pro certo habemus, Christi resurrectione Satanam debellatum atq; deiectum, portas infernales expugnatas, & deuastatas, mortem trucidatã, peccatum deletum, & cœlum deniq;, uitamq; æternam credentibus omnibus restitutam, atq; reparatam esse. Ex quibus lætissimum animum concipiunt Christiani, ueramq; consequuntur in conscientijs pacem, qua sibi persuadent atq; pollicentur omne bonum à Deo, tanq; patre clementissimo, & à Christo, uelut fratre dilectissimo. Etenim qui Christum à mortuis resurrexisse credit, is etiam credit, à Domino Christo Satanã oppressum, mortem extinctam, peccatum deletum, & infernum expugnatum. Cùm autem fides nos Christo cõiungat, uniatq; sic, ut ille caput, nos membra simus, necesse est, ut nos quoq; dominari debeamus Satanæ, morti, peccato, & inferno. Quæ summa cõsolatio est nobis uiuentibus, aut morituris. Quòd si Christus resurrexit, atq; Dominus omnium factus, & nos resurgemus, in æterna uita cum illo simul regnaturi. Amẽ.

DOMINICA MISERICORDIA

Euangelium, Ioannis 10.

EGO sum pastor ille bonus: Bonus pastor animam suam

dat pro ouibus. Mercenarius autem, & qui non est pastor, cuius non sunt oues propriæ, uidet lupum uenientem, ac deserit oues, fugitq;, & lupus rapit, ac dispergit oues. Mercenarius autē fugit, quia mercenarius est, & oues non sunt illi curę. Ego sum pastor ille bonus, & cognosco oues meas, et cognoscor à meis. Sicut nouit me pater, ita & ego noui patrem, & animā meam pono pro ouib. Et alias oues habeo, quę non sunt ex hoc ouili: Illas quoq; oportet me adducere, & uocem meam audient, & fiet unum ouile, & unus pastor.

Quid in hoc Euangelio Christus expedit?

Tria facit. Primò: Collatione comparat bonos pastores cum mercenarijs, oues cum lupis, & enumerat utrorumq; proprietates, atq; naturam. Deinde monstrat quænam sint oues, et quod ouile. Tertiò concludit, se uerum esse pastorem, qui ponat animam pro suis ouibus.

Quid facit bonus pastor?

Bonus pastor intrat per ostium, nutrit oues, educit in opima pascua, præcedens ante eas uadit, & pro ijs animam ponit.

Quid Mercenarius?

Se ipsum pascit, non oues. Quas educit quidem in pascua, sed præse agit, & sequitur eas. Et cùm uiderit lupum uenientem fugit.

Cur malos pastores appellat mercenarios?

Quoniam nihil curant oues, harumq; pernicies non tangit illorum pectora, nec earum ulla calamitate mouentur, multò minus pro salute earundem sese conijciunt in pericula. Etenim quàmdiu fructum percipiũt aut habent aliquam lucri spem manent, & ut muscæ sanguinem fugentes adhærẽt, cæterùm ubi nihil quæstus affulserit, aufugiunt, nihil soliciti etiam si omnes oues in insidias aut crudelitatem luporum sint prolapsuræ.

Est ne uariorum aliqua mercenariorum diuersitas?

Maxima est: Nonnulli sunt in summis Eccle-

rum collegiatarum templis. Qui scholasticis (ut uocant) choralibus astare solem, horas canonicas legere, canere, missas q; celebrare. Qui prorsus officium pastoris ignorant, non possunt oues Christi (plerũq; enim Libethrijs inelegantiores, neq; natare, neq; litteras norũt) pascere, nec prædicare. Sunt item mercenarij proceres illi religiosi, qui cùm in Romana curia pinguissimam aliquam parochiam, quacũq; ratione tandem fuerint consecuti, nolunt, nec etiam fœliciter possunt curam animarum susci pere, locant igitur eam alicui inepto choralischolastico, aut Barbaro (quod aiunt) ex triuio, ea conditione, ut optimam censuum commoditatem ipsi recipiant, quod deterrimum conductitio mancipio relinquant, ita mendicitati præbentes occasionem, necessitatem q; nouis assiduis emũctionibus plebem onerandi, molestandiq;. Perduntur autem eiusmodi pastores cum mercenarijs, illi censuum, hij prædones animarum habiti, latrones q;.

Quomodo boni pastores discernuntur à mercenarijs?

Duabus rebus internoscũtur: Doctrina, atq; uita.

Quomodo doctrina?

Bonus pastor plebem suam usitat, prædicat, atq; syncerite r enarrat sacram scripturam, docet legem atq; Euãgeliũ, illam ad conscientiæ terrorem, hoc ad animarum cõsolationem, quemadmodum fecerunt Ioannes Baptista, Christus, & Apostoli. At qui mercenarius legem quoq; prædicat, sed peruersa ratione, docens hominem iustificari legis operibus, itaque facit ex Christo Mosen, & Christianos reddit Iudæos, qui legis operibus uitam æternam student promereri. Tradunt item Euãgelium, hoc est, nudum textum euulgant, sed mox eundem sordidis hominum traditionibus atque mendacijs conspurcant, confirmantes indulgentiarum papisticarum bullas ad remissionem peccatorum conducere, & ad animarũ salutem peregrinationes religionis ergò susceptas, sanctis deuota ministeria, uigilias, Missas pro defunctis, prohibent matrimonia, cibos, detrahuntq; Laicis alteram ab ipso Christo concessam speciem sacramenti.

Quomodo uita dijudicantur?

Bonus pastor uiuit iuxta Dei præceptũ, sanam q; doctrinam suam honesto uitæ comprobat atq; te statur exemplo. A coniugio, quod est honorabile inter omnes, minus abhorret, uxorem ducit. Cibis, quos Deus hominis gratia creauit, utitur cum gratiarum actione, diligenter ab offendiculis cauet, & omne quod bonum est facit. Sed malus pastor, aut mercenarius, ætatem agit ex diametro repugnantem Dei uerbo, domi scortum alit, offendiculo totius Ecclesiæ maxime. Multa iubet, nihil seruat ipse, nec attingit minimo digito. Omnia sua facta certis

temporibus, locis, personis, uestibus, cibis alligat. omnes deniq; mortales offendit falsa doctrina, stimulac impia sua uita.

Quomodo diuus Paulus bonos pastores appellat?

Vocat Dei cooperarios, Dei agricolas, Dei Architectos: Item, ministros Christi, atq; dispensatores ministeriorum Dei. 1. Cormth 3 & 4.

Quod eorum futurum est præmium?

Daniel Propheta cap. 12. Qui docti fuerint fulgebunt, quasi splendor firmamenti, & qui ad iustitiam erudiũt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates. Et D. Petrus 1. Petri 5. Pascite quantum in uobis est gregem Christi, curam illius agentes non coactè, sed uolentes, non turpiter affectantes lucrũ, sed propenso animo, neq; ceu dominium exercentes aduersus cleros, sed sic, ut sitis exemplaria gregis. Et cùm apparuerit ille pastorum princeps, reportabitis immarcessibilem gloriæ coronam.

Quomodo S. Paulus appellat malos pastores?

Appellat eos canes, & malos operarios. Phil. 3 Cauete, inquit, canes, cauete malos operarios, cauete concisionem. Canes appellat, quoniam uemris gratia, uelut canes latrant, aduersus Euangelicam ueritatem. Malos operarios, quoniam in Ecclesia Christiana nihil utilitatis afferunt, sed quod uerbo Dei constructum, & erectum est, demoliuntur, atq; destruunt, quod bene plantatum, radicitus euellũt, Cõcisionem autem nũcupat, quoniam animarum salutem humanis operib. adscribũt, qua maligna persuasione multa hominum corda amputantur à uera fide, Christianaq; doctrina.

Quam hij mercedem accepturi sunt?

D. Paulus Philip. 3. Complures ambulant, inimici crucis Christi, quorum finis perditio est. Quorum Deus uenter, & gloria in dedecore eorum.

Quænam est lupi natura?

Cùm lupus ouem intercepit, non protinus deuorat, licet id faciendi satis idoneam habeat oportunitatem, quietamq; occasionem sese replendi, et postmodum aufugendi. Sed unam ouem occisam aut bestiam relinquere, nõ uorare solet, nec prius ab occidendi truculentia cessare, quàm omnes quotquot uiderit spiritum habẽtes, trucidauerit, tam nimirum insatiabilis est auaricia, & inexplebilis libido omnes perdẽdi. Sic cuncti doctores falsi, dolent alterum esse ueritatis studiosum, non interquiescere possunt, nisi uiderint omnes de ueritatis uia detrusos, & præcipitatos in perniciem.

Quotuplices sunt lupi?

Duplices. Aperti & occulti.

Quinam manifesti sunt lupi?

Omnes tyranni, qui Marte aperto uerbum Dei, & eiusdem prædicatores, atq; credentes homines, pios q; fideles persequuntur, & occidunt. Hos aliquando cauere poterimus, quemadmodum Christus Herodem regem.

Quinam sunt occulti?

Sunt hypocritæ de quibus ait Christus Mat. 7. Cauete uobis à Pseudoprophetis, qui ueniũt ad uos in uestitu ouium, sed intrinsecus sunt lupi rapaces. A fructibus ipsorum cognoscetis eos.

Quod est ouium officium?

Audire uocem sui pastoris atq; sequi, & cùm ipsæ non queant se iuuare uel tueri, necesse est ut ex alieno patrocinio præsidioq; dependeant, permittant q; se in pascua duci, atq; reduci.

Quinam intelliguntur ouium appellatione?

Omnes Christiani. Qui credunt in Christũ, eiq; confidunt. Qui uocem eius, doctrinam atq; uerbũ audiunt, exprimunt etiam bonis uitæ operibus.

Quid ouile?

Est Dei, quod est in hoc mundo, regnum. Etenim Ecclesia Christiana catholica, nihil aliud est quàm Xenodochium, in quo multi debiles, & ægroti deambunt, quorum habenda cura, & in eorum uulnera uinum ac oleum infundendum, hoc est, quibus lex

lex & Euangelium prædicandum, ac promittenda peccatorum remißio, uitaq; æterna.

Quis est uerus ille bonus pastor?

Christus est pastorum princeps, & uerus Archiepiscopus animarum nostrarum, cuius sanguine nos redempti, atq; liberati sumus, eius q; sancto uerbo quotidie nutrimur, atq; conseruamur.

Qua re ostendit, se uerum pastorem esse Christus?

Duabus rebus planum fecit, Pascendo, atq; Moriendo. Nam patris sui uoluntatem nobis aperuit, & apposuit saluberrimum pabulum, nempe uitæ æternæ cibum. Ac tandem, ut saluari nos, & ab infernali lupo tuti possemus esse, sanguinem suum pro nobis fudit, & à Satana portis q; inferorum nos eripuit potenter.

Quid per ea uerba Christus uult intelligi cùm dicit: cognosco meas oues?

Quibus uerbis indicat maximam suam solicitudinem, atq; curam pro pabulis ouium atque salute susceptam. Vt autem nos eius rei certiores redderet, ait: Ego cognosco meas oues, sicut me nouit pater. Quæ summa res est mysterij. Quod si nos Christus cognoscit, sicut ipse cognoscitur à patre, & si ipse atque pater unum sunt, & nos cum Christo,

unum

unum corpus sumus, & una massa quemadmodum Christus ipse ait: Ioã. 17. Pater sancte serua eos per nomen tuum, quos dedisti mihi, ut omnes unum sint, sicut tu Pater in me, & ego in te, ut & ipsi in nobis unum sint: Nos igitur si unum cum Christo atq; patre Deo sumus, tuti sumus futuri, etiam in luporum medio. Ille procul dubio nos non est deserturus, qui nos elegit (ut Paulus ait Ephe. 1.) antequam iacerentur fundamenta mundi, ut essemus sancti et irreprehensibiles coram illo per charitatem, qui prædestinauit nos, ut adoptaret in filios per Iesum Christum in sese, Qui per natum filium Christum uerbo suo nos uocauit sic, ut idem cum ipso simus, si modo crediderimus, & cognouerimus eam summam Dei beneficentiã, qua nobis amissam salutẽ reddidit per Christum. Nam credere est Christum cognoscere. Quæ cognitio parens est omnis bonitatis atq; salutis. Quare Ioannes ait. 17. Hæc est uita æterna ut cognoscant te solum Deum uerum, & quem misisti Iesum Christum.

Quibus sese nominibus appellat in Euangelio Christus?

Varia sibi nomina tribuit, uocatq; uerbum æternum, uitæ panem, fontem uitæ, Lucem, uitam, meã uiam, ueritatem, Resurrectionem, uitem, Gallinam cum pullis, & bonum pastorem, atq; ijs mellitarum appellationum nominibus ostendit, se nobis suppeditaturum

peditaturum alimenta cœlestia contra famem æternam, potumq; daturum aduersus æternam sitim, Luce sua tenebras æternas discussurum, nos ab omnibus denicq; malis liberaturum, atq; sua diuina pastus doctrina nutriturum, atq; conseruaturum.

Habet ne Christus pastorum principes, alios sub se pastores uicarios?

Habet omnes discipulos, omnes Apostolos, Episcopos, Parochos, Prædicatores, quibus præcepit omnibus, ut exemplum suum imitati, suas oues accuratè pascant, Euangeliumq; prædicent. Quod qui non fecerint subituri sunt acerbissimum pastoris summi iudicium, audituri crudelem hanc sententiam: Vos, inquiet, uicem meam gessistis, sed oues meas non pauistis, sed uos ipsos sudore atq; sanguine mearum ouium saginatos Ecclesiæ bona deuorastis, Euangelium autem ouibus meis non denunciastis, imo nihil feciſtis, unde uel aliqua promanarit Ecclesiæ commoditas, aut mica salutis. Ergo uos ut inutiles seruos, pigrosq; uentres de regno meo sum deturbaturus.

Quid pœnarum malis pastoribus minatur?

Sic ait Ezechiel propheta cap. 34. Væ pastoribus qui pascebant semetipsos. Nonne greges à pastoribus pascuntur, lac comedebatis, & lanis operie-

bamini, & quod crassum erat occidebatis, gregem autem meum non pascebatis. Quod infirmum fuit non consolidastis, & quod ægrotum non sanastis, quod confractum est non alligastis, & quod abiectũ est non reduxistis, & quod perierat non quæsistis, sed cum austeritate imperabatis eis etc. Ecce ego super pastores requiram gregem meum, de manu eorum &c.

Quid autem petulcis atq; malis ouibus minatur?

Zacharias Propheta cap. 11. Non pascam (inquit) uos, quod moritur moriatur, quod succiditur, succidatur, & reliqui deuorent, unusquisq; carnẽ proximi sui. Suscitabo pastorem, qui delicta nõ uisitabit, dispersum non quæret, & contritum non sanabit, & id quod stat non enutriet, & carnes pinguium comedet, & ungulas eorum dissoluet.

Quid euenturum est ijs ouibus, quæ repudiant & reijciunt pastorem Christum?

Qui Christum auersatur pastorem, is patiatur oportet, se crudeliter à lupis, & animarum latronibus oppressum iri. Is enim in atrocium luporũ principis Satanæ manus incidit, qui principem omnium bonorum pastorum Christũ repellit. Hic eam propter causam homo factus, mortuus resurrexit, ascendit

cendit ad cœlos, & sedens ad dextram Dei Patris, assumpsit æternam maiestatis immortalis gloriã, ut rex atq; pastor noster fieret, nos pasceret, atq; regeret uerbo suo. Quod sceptrum est sui regni, quo cũctos propellit hostes, atq; profligat. Hoc ipsum uerbum qui synceriter docet, est Christi uicarius, atq; minister, contra qui non purè prædicat, lupus est, atq; latro.

Est ne salutaris pastorum, aut Euangelij prædicatorum status?

D. Paulus ait. 1. Timoth. 3. Si quis Episcopi munus appetit, honestum opus desyderat. At qui nulla difficilior nec ardua magis in orbe toto, neq; periculosior est conditio, quam officium pastorale, & animarum cura. Quod si Diuus Augustinus periculosam esse dixit, animarum habere curam suo tempore, quod annis mille nostrum præcesserit, quo splenduit adhuc uelut aurea Euãgelij doctrina, quid iam si reuiuisceret proloqueretur nostro, quod omnium est corruptissimum, seculo. Et Diuus Gregorius in Homilia super uerbis Christi: Messis multa, operarij pauci, conqueritur de periculosa pastorum negligentia, inquiens: Ecce mundus plenus est sacerdotibus, sed pauci fideles in Domini uinea operari. Dignitatis sacerdotalis nomẽ affectãt omnes,

omnes, sed nulli uolunt eius officio respondere, Deiq; mandata peragere. Rogemus Dominum messis ut extrudat operarios in messem suam, ut doceant nos Dei uerbum, per quod remissionem peccatorum, uitamq; æternam sumus consecuturi Amen.

DOMINICA EXAVDI Euangelium Ioannis XVI.

PVsillum, & non uidetis me. Et iterum pusillum, & uidebitis me: quia uado ad patrem. Dixerunt ergo quidam ex discipulis eius inter se: Quid est hoc quod dicit nobis, pusillum, & non uidetis me, & rursus pusillum, & uidebitis me, & quia uado ad patrem? Dicebant ergo: Quid est hoc quod dicit, pusillum? Nescimus quid loquatur. Cognouit autem Iesus quod uellent ipsum interrogare, & dixit eis: De hoc quæritis inter uos quod dixi pusillum, & non

non uidetis me, & iterum pusillum, & uidebitis me. Amen amen dico uobis, plorabitis & lamentamini uos, mundus contra gaudebit. Vos autem mœrore afficiemini: sed mœror uester uertetur in gaudium. Mulier cum parit, dolorem habet, quia uenit hora eius. Cùm autem peperit puerum, iam non meminit anxietatis: propterea quod gaudeat hominem esse natum in mundo. Et uos igitur nũc quidem mœrorem habetis, sed iterum uidebo uos, & gaudebit cor uestrum, & gaudium uestum nemo tollet à uobis.

Quid expedit in hoc Euangelio Christus?

Tria crucis genera nobis proponit: suam propriam, Apostolorum, & credentium omnium. Quamuis autem singularum afflictionem inuiat,

breuiore temporis momento perduraturam, at tamen cuiuslibet pars unicuique uidebitur propemodum æterna perseuerare.

Quid ita?

Christus in cruce clamabat: Deus meus, Deus meus, ad quid me dereliquisti. Et discipuli dicebant: nos sperabamus eum illum esse, qui redempturus esset Israël. Quasi dicerent, actum est, nulla spes amplius restat. Et Christianos uarijs iniurijs afficiunt, & affligunt Iudæi, gentes, Turcæ, atq; Tyranni, ut nullus calamitatum finis appareat, sed mala perpetuo duratura uideantur.

Quid Christus ijs uerbis, Pusillum & non uidetis me &c. significat?

Quemadmodum antea sæpius fecit, præmonstrabat crucem suam, passionem, mortem, atq; resurrectionē, idq; non sine causa, carnis enim & sanguinis magna credendi debilitas, & articuli tales perceptu nimis difficiles fuerunt, & apprehensu multis adhuc nimis ardui. Proinde Christus, quemadmodum præceptor fidelis repetit atque sedulus inculcat discipulis suis illos officio suo responsurus.

Ea ne discipuli Christi uerba percipiebant?

Non assequebantur. Dicebant enim inter se.

Quid est hoc, quod dicit nobis: Pusillum & non uidetis me, & rursus pusillum & uidebitis me, & quia uado ad patrem? Nescimus quid loquatur. Hic apertè fatentur, se non ea percipere, quæ tamen sæpenumero dixerit illis, de passione, morte, atq; resurrectione sua.

Sunt nobis ne consimilia ad percipiendum ingenia dura?

Quemadmodum non facilè Apostoli sine spiritus sancti gratia mentes illustrante poterant mysterium Euangelij percipere, atq; minus intelligere, ita nos non poterimus ad cognitionem Dei, & ad perceptionē iusticiæ atq; salutis peruenire, nostris uiribus arbitrioq; libero nostro. Etenim caro, & sanguis plane cæcutit, atq; succumbit in fidei atque iustificationis mysterio, nec omnino poterit id ulla ratione complecti, si non spiritus sancti gratia per uerbum operata, cordibus infuderit. Oportebit enim illud impleri, quod scriptum in Prophetis. Et erunt omnes docti à Deo Ioan. 6.

Discipulos sermonis non capaces, atq; stupidos erudiebat ne Christus?

Cùm Iesus cognouisset, quod uellent se in-

terrogare dixit eis (familiariter indicans, quomodo uerba sua uellet intelligi) de hoc quæritis inter uos, quod dixi pusillum & non uidetis me, & iterum pusillum, & uidebitis me, quia uado ad patrẽ. Amen amen dico uobis, plorabitis, & lamentabimini uos, mundus contra gaudebit. Vos autem mœrore afficiemini, sed mœror uester uertetur in gaudium.

Quid Christus per ea uerba significat?

Hoc dicit: post duas, aut quatuor horas, ex oculis uestris abductus, in truculentam sum peruenturus potestatem Iudæorum, qui gentibus me sunt tradituri, ut me crucifigant, ac interficiant. Et quidem iuxta Ionæ exemplum oportebit me terra sepeliri, non uidebitis me, nec mecum erit actum. Nam post exiguum tempus, nempe triduum à mortuis resurgam, tum me rursum uidebitis, sed non diu, quia uado ad patrem, ubi regnum meum auspicaturus, ac uobis uitã præparaturus, cœlumq; sum reseraturus.

Quid est regnum Christi?

Nihil aliud est, quàm à Christo mundum, peccatum, Satanam & infernum uictum esse. Ac illi potestatem omnem in terris atq; in cœlis traditam, ita ut iam potentissimus montis Sion rex, suos spiritu sancto confortet, ducat, atq; gubernet.

Quomodo

Quomodo Christum oportebat in tale regnum intrare?

Per passionem atq; mortem, quemadmodum ipse Christus ait: Lucæ ultimo. Et Dauid Psalmo 110. De torrente in uia bibet, propterea exaltabit caput. Et S. Paulus Philip. 2. Factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. Quapropter & Deus illum in summam extulit sublimitatem, ac donauit illi nomen, quod est supra omne nomen.

Erat ne discipulis regnum hoc Christi perspectum?

Illi putabant regnum Christi futurum aliquod in mundo præpotens imperium. In qua permanebant opinione tantisper, dum in eorum corda spiritus sanctus illaberetur, eosq; doceret regnum Christi cognoscere & ostendens uiam, qua possent in id peruenire, atq; permanere, nempe per crucem, passionem, atq; mortem.

Quomodo peruenimus in eiusmodi Christi regnum?

Credendo saluatorem unicum nostrum esse Christum; eundemq; nostrum regem, atque summũ Pontificem, cuius sanguine reconciliati simus patri cœlesti. Deinde crucem nostram tollendo, & illum se

quendo. Quippe si commoriemur cum Christo, & & conuiuemus, si sufferemus, & conregnabimus. 2. Timothei 2.

Quid ait de cruce discipulorum Christus?

Sic ait: Amen amen dico uobis plorabitis, & lamentabimini uos, mundus contra gaudebit: Vos autem mœrore afficiemini, sed mœror uester uertetur in gaudium.

Quid significant ea uerba?

Hoc dicit: Hac nocte miserabiliter à uobis abstrahar, atq; tradar in manus peccatorum. Crucifixus etiam abominabili morte trucidabor, atq; sepeliar. Ergo uos flebitis, ac lamentabimini, omnis spei, atq; consolationis expertes. In maxima autem tristicia uestra, mundus lætabitur, tripudiabit, ac genialiter uiuens triumphabit: ad hæc, uos in afflictione uestra summa calumniabitur, & prorsum extinguere connitetur.

Consolabatur ne discipulos in ea tribulatione Christus?

Maximè, dixit enim: Mœror uester uertetur in gaudium. Cùm me trucidauerit mundus, arbitrabitur nullam mihi restare spem, & omnibus armis (ut aiunt) præsidijsq; destitutum, sed non soliciti, bono animo sitis, ego enim tertia die resurgam à mortuis,

mortuis, & uos consolaturus in tranquillitatis æmœnioris portum traducam. Et licet postea uos propter nomẽ meum uarias iniurias, cruces, & afflictiones fueritis passi, tamen omnia persecutionum uestrarum mala sunt futura momentanea, sed insecutura gaudia æterna.

Quid de Christianorum cruce dicebat Christus?

Et nos oportebit experiri, quid sit, quod ait Christus, pusillum & non uidetis me &. Nam cum uenerit hora, qua nos oportebit cum Satana, morte, atq; peccatis confligere, tum arbitrabitur Christum à nobis absconditum, & oblatam eius gratiã, ita, ut in mortis & inferni, tremore & angustia uideamur destituti, tum implebitur hoc in nobis Christi dictum, Pusillum non uidebitis me. Sic enim mortuus, & sepultus Christus uidebitur, & nobis ante oculos obuersabitur omnis horror, metus, anxietas, atque summi discriminis summa necessitas, nimirum in illo capitali feruentis agonis prælio, unde uel mors æterna ueniet, aut uictoria læta.

Quid igitur in tali faciendum necessitate, desperandum ne est?

Absit desperatio: Quod si priorem huius dicti partẽ, nempe pusillum, & non uidebitis me, tolerãter expertus, nõ concedisti, patiẽter sustinẽs alterã

expecta, nempe iterum pusillum & uidebitis me, quia uado ad patrem. Sic igitur cogitabis: Iam licet Christus mihi mortuus, & sepultus, ut ab eo dereli ctus ego uidear, tamen non emanebit diu, sed emerget, ac mihi resurget auxiliator futurus. Sunt ergo tibi maximo solatio, quæ scriptura dicit: Tertia die resurget à mortuis. Item Ioan. 11. Ego sum resurrectio & uita. Qui crediderit in me, etiamsi mortuus fuerit uiuet. Quapropter quietus suffer, & patienter expecta, dum atra tempestas prætereat, quam certa tranquillitatis iucũdæ serenitas est subsecutura. Vt non semper iuxta prouerbium, æstas, ita non semper hyems. Sed per huius sæuitiam perueniendum est ad illius amœnitatem. Et nos oportebit fieri conformes imaginis filij Dei Christi Romanorum. 8.

Habebunt ne Christiani consolationem in tali cruce?

Habebunt. Quod pulcherrima Christus planum facit similitudine, dicens: Mulier cùm parit dolorem habet, quia uenit hora eius. Cùm autem pepererit puerum, iam non meminit anxietatis, propterea quod gaudeat hominem esse natum in mundo. Et uos igitur nunc quidem mœrorem habebitis, sed iterum uidebo uos, et gaudebit cor uestrum etc.

Quorsum

Quorsum ea uerba tendunt?

Hoc dicit: Mulier cùm parit, & cùm eius hora uenit, affecta mœrore, cogitur atrox subire periculum, ut ipsa nesciat, an conualescere debeat, an fato succumbere. Vbiq; dolor est & angustia. Sed elapso temporis momento, cùm puerum peperit, omnis anxietatis obliuiscitur, propter lætum nati pueri conspectum. Cuius uicissitudinis ratio debet esse perspecta Christianis, sciemibus afflictiones eiusmodi non perpetuo duraturas, sed in gaudia permutandas esse. Iam se malis uictos, mox eu suros uictores, Osculana, quod aiunt, pugna. Iam tenebras esse, mox clariorem exoriturum diẽ, quẽ aliquando parentem esse, quandoq; nouercã. Nunc pluere, & clarum nunc illucescere solem. Et breuiter, quantumuis amarulentus, atq; truculentus immineant Satanas, mundus, atq; tyranni, tamen crudelitatis finem sunt habituri, nec immanis ferocitas duratura est ultra terminum præscriptum à Christo. Hic est ille uerus regum rex, dominus dominorum, cui potestas à patre tradita in cœlis & in terra. Hic ille Christus est, Deus Sabaoth, Dominus exercituum, in cuius manu sunt omnia, cuiq; parent, obediunt, & subiecta sunt omnia, terra cum imperijs, mare cum uentis. Iam ergo licet Satanas exagitetur furore, mundus insaniat, tyranni fremant & ferociant, inhorreant ac insurgant uenti,

procellarum uortices intumescant, ac minentur naufragia, tamen ista omnia non poterunt quicquam efficere, nec diutius intentare pericula, quàm à Deo fuerit permissum. At qui si uenerit hora, & qui præteriri non poterit terminus, fiat Domini uoluntas. Semel extrema (quod aiunt) extremorum mala nos oportebit subire, & per medium uelut annulum trahi, siue id breui sit futurum, siue post moram longiorem. Semel nobis est cum morte conflictandum. Illud manet omnes homines, ut semel moriantur, ad Hebræos 9. At qui nos siue uiuimus, siue morimur, Domini sumus, Rom. 14.

Sed cur suis Christus tam grauem imponit crucem, & permittit eos à Satana mundoq; tentari, ac miserabiliter affligi?

Ad æternum gaudium, & perpetuò duraturam salutem homo conditus fuit, sed cùm gessisset morem infernali serpenti, nec obtemperasset Deo, fœlicitatis omnem commoditatem amisit, damnatus ad æternas tribulationes atq; dolores. Sed quoniam homo nõ tam temere (quemadmodum Satanas cum suis complicibus) peccauerat, nec tam maliciosa uoluntate deliquerat, sed illecebrosis insidijs Diaboli fuit deceptus, æternas calamitates illas misericors Deus permutauit in temporarias, atq; momentaneas afflictiones, atq; cruces, propter merita passionis atq; mortis Christi. Oportebit igitur omnes Dei filios, imò Christianos in terris omnes crucem portare, et ad tẽpus lugere, sed post hanc uitã æternaliter gaudere. Contra Satanas, & omnes homines inferno destinati gaudebunt, momentaneis huius mundi gaudijs delibuti, et furore perciti, filios Dei persequentur, afficientq; uarijs supplicijs, sed in futuro seculo perpetuis luctibus, atq; pœnis excruciabuntur, quemadmodum Christus ait Lucæ 6. Væ uobis, qui ridetis nunc, quia lugebitis, et flebitis. Beati autem qui lugent, quoniam ipsi cõsolationem accipient, Matth. 5. Quamuis autem Christiani luge ant, non tamen sunt consolationis expertes.

Quænam igitur Christianorum consolatio, quod gaudium?

Christus ait: Vos nunc quidem mœrorem habetis, sed iterum uidebo uos, et gaudebit cor uestrum, & gaudium uestrum nemo tollit à uobis. Quo dicto significat internum cordis gaudium, & conscientiæ pacem: Quam habentes Christiani, sciunt, ac firmiter credunt, sibi propitium atq; misericordem Deum futurum, propter Christum, ac eiusdem gratia condonaturum miseris peccata, præsentemq; auxiliaturum in omnibus afflictionibus, & ad æterna denique gaudia perducturum. Amen.

DOMINICA CANTATE,

Euangelium, Ioannis XVI.

NVnc autẽ uado ad eum qui misit me, & nemo ex uobis interrogat me quo uadam. Sed quia hæc locutus sum uobis, mœstitudo impleuit cor uestrum. Sed ego ueritatẽ dico uobis, expedit uobis ut ego uadam. Si enim non abiero, cõsolator ille non ueniet ad uos: Sin autem abiero, mittam eum ad uos. Et cum uenerit ille, arguet mũdum de peccato, & de iustitia, & de iudicio. De peccato quidem, quia non credunt in me. De iustitia uerò, quia ad patrem uado, & post hac non uidetis me. De iudicio autẽ, quia princeps huius mundi iam iudicatus est. Ad hæc, multa habeo quæ uobis

bis dicam, sed non potestis portare nunc. Cùm autem uenerit ille, qui est spiritus ueritatis, ducet uos in omnem ueritatem. Non enim loquetur à semetipso, sed quęcunq; audierit, loquetur: & quæ futura sunt, annunciabit uobis.

Quid in hoc Euangelio Christus docet?

Primò, causſam aſcenſionis ſuæ Chriſtus ſuis tradit, nempe ſe miſſurum diſcipulis ſpiritum ſanctum. Secundò, quid cùm uenerit ſpiritus ſanctus ſit facturus. Tertiò, diſcipulorum imbecillitatem, fideiq; fragilitatem prodit.

Quid ab initio dicit?

Nunc, inquit, uado ad eum, qui miſit me, & nemo ex uobis interrogat me, quo uadam. Sed quia hæc locutus ſum uobis, mœſtitudo impleuit cor uestrum. Sed ego ueritatem dico uobis, expedit uobis, ut ego uadam. Si enim non abiero, conſolator ille non ueniet ad uos. Si autem abiero, mittam eum ad uos.

Quid hiſce uerbis Chriſtus ſignificat?

Hoc

Hoc dicit: Vaticinijs suis Prophetæ prædixerunt, Christum oportere pati, mori, & resurgentem à mortuis, ad cœlos adscendere, ibiq; parare nouum regnum, in quo uiuant homines per æterna secula. Necesse igitur est, ut impleãtur eadem oracula Prophetarũ. & iam ea perficiendi tempus affulsit. Et ego sum ille, quem uenturum, & ista quæ de me scripta sunt, completurum sancti uates præcinuerunt. Ergo si non abiero, hoc est, si non mortuus fuero, nec à mortuis resurrexero, nihil prorsum ex illis perficietur, sed in ueteri, quo iam diu fuerunt, statu, permanebunt omnia. Et ea ratione Iudæi, iuxta consuetudinem antiquam, perseuerabũt in hypocrisi, Gentes autem in superstitionibus, & Idololatrijs, ut nemo saluari possit. Quòd si autem abiero, mortuus fuero, & resurrexero, supernumq; regnum illud, quod decreto suo pater cœlestis, per operam meam constituit apparari, suscepero, tum ueniet S. spiritus, qui corda uestra illuminabit, & officiarios mihi cõregnaturos faciet uos, reddetq; alacres & animosos ad mundum reformandum, ad Iudaismum tollendum, ad conculcãdam gentiũ idololatriam, ad docẽdum denique mundum uniuersum. Vestra autem doctrina uictrix euadet, ac æterna, cõtra quã nõ sunt prævalituræ inferorũ portæ.

Quid est quod Christus ait: Expedit uobis ut ego uadam?

Cùm

Cùm in carne præsens adesset Christus, discipuli nihil aliud quærebant, nec aliud cogitabant, quàm externum in hoc mundo Christi regnum, ad fauorem igitur melioris æterni regni spem non erigebantur. Etenim optabant semper Christum præsentem habere, audire, atq; eius consuetudine perfrui. Sed hoc ipsum non fuisset discipulis utile, nec salutare. Quapropter expediebat Christum abire ad patrem, spiritum sanctum suis mittendi gratia.

Quid in mundo spiritus sanctus agere debebat?

Sit ait Christus: Cùm uenerit spiritus sanctus, arguet mundũ. Non gladijs, nec armis decertans inuadet, neq; uiolenter ordines nouos, aut leges introducet, sed Dei uerbum, & Euangeliũ prædicari mandabit. Et in Ecclesia Christi nõ potens esse debet officiũ regnandi, sed coarguendi, cùm oporteat oẽs homines reprehendi per Euangeliũ, si modò cupiãt Dei fauorem et gratiam consequi, uitamq; æternã possidere. Munus autem hoc redargutionis liberrimum esse, & à nemine prorsum impediri debet. Cui qui restiterint, uelut illisi durissimo saxo, peribunt, ut multorum testantur exempla.

Quid cùm uenerit spiritus sanctus arguet?

Tria Christus enumerat: Cùm uenerit, inquit, ille Mundũ arguet de peccato, de iustitia, de iudicio.

Cur

Cur de peccato?

Quoniam, inquit Christus, non credunt in me.

Quomodo debet hoc intelligi?

Mundus peccata uocat hæc: Superbiam, auaritiam, luxuriam, inuidiam, odium, accidiam, prædari, occidere, adulterium committere, et consimilia patrare facinora, quæ mundus ipse dānat & punit, ut digna supplicijs crimina. Sed de scelerib. eiusmodi non loquitur hic Christus, cùm ad ea uindicanda constitutus sufficiat magistratus externus, qui Dei minister est, ultor ad iram, ei qui quod malum est, fecerit. Rom. 13. Est igitur hic uerus Christi uerborum intellectus. *Cùm uenerit spiritus sanctus, arguet omnes homines, Iudæos simul ac Gentes, atq; eos peccatores, diuina gratia cassos, iræ, æternæq; perditionis filios, damnabit, ita, ut omnes nunq; in æternū saluari, uel ad spem salutis aspirare possint, nisi crediderint in Iesum Christum. Nec ulla proderunt eis (nisi fides adsit) opera, quantumuis bona, cum omni totius uitæ sanctimonia, nam cùm spiritus Domini sufflauerit in eis, quasi flaccidus agri flos, corruent. Esaiæ 40 Longè perspicaciores oculos habet spiritus sanctus, ad peruidenda crimina, et acrius multò iudicium, quàm homines ad cognoscendum. Ille enim cordium scrutator, intima perquirit animorum penetralia, & indagine certa peruestigat scatebras, atq; fontem, à quo*

quo caput prosiluit, et origo peccatorū, nēpe Incredulitas, atq; sui quos producit fructus, qui sunt inobedientia, idololatria, uana superstitio, falsus Dei cultus, dei contēptus, cōtradictio uel oppressio uerbi diuini, blasphemia, hæresis, atq; mendacia, &c.

Est ne igitur incredulitas radix, & omnium peccatorum origo?

Caput atq; fons, unde promanant omnia peccata, est Incredulitas, hæc eadem est radix illius hæreditarij, quod à primis nostris parentibus Adam & Eua, ueluti per manus accepimus, criminis. Quæ una si non esset, & obthuratus, & obstructus ille malificiorū omnium fons, nulla flagitia profunderentur, utpote, nulla adulteria, scortationes, homicidia, sacrilegia, rapinæ. Iam Mundus non id quod spiritus sanctus perspicit, sed pistillo retusior, externa solùm intuetur, & examinat ea crimina, muratur etiam, & conqueritur, tot iniquitatis exundari fluenta, sed causam, ac malorum originem uidere non potest. Peccatorum riuos, & malarum arborum germina contemplatur, sed ebullientes uenenatorum riuorum scaturigines non consyderat, nec abditas uiciosarum arborum radices perpendit. Ductus igitur ratione peruersa, contendit legibus atq; mandatis suis malo mederi, & inundantes criminum scatebras incogn tas reprimere, et obthurare, sed nihil agit, Isthmum (ut aiunt)

perfodere uisus. Nam si difficulter externa turpissima uisu criminum proluuia potest prohibere, multò minus in intimo cordis recessu nascentes scelerum fontes restinguere, et si hoc ipsum multis suæ prudentiæ conatibus efficere collaboraueris, inaniter aquam (ut aiunt) consumpserit, lateremq; laueris. Nam qui crimina funditus tollere uoluerit, ipsum oportebit illorum fontes euacuare, & prorsum exiccare, & qui malos arborum fructus perdere constituerit, ipsum prius oportebit profundam arboris inutilis radicem extirpare, id enim si non fuerit factum, noui protinus riui prosilient, atque fruticantes, noui stolones, noua germina protrudent. Quòd si uulnera non fuerint ex intimis curata fibris, semper immedicabilia manent, etiamsi forinsecus adhibueris omnia cunctorum chirurgorum cataplasmata, uel malagmata.

Da paulò clarius cur spiritus sanctus arguit mundum propter incredulitatis crimen?

Quoniam omni talpa cæcior mundus, non uidet, nec cognoscit Iesum Nazarenum Mariæ filium, esse uerum illum Christum, Messiam, mediatorem, atq; saluatorem. Ergo quilibet homo quærit ac cõstituit alium sibi Messiã, Iudæi Mosen, Turcæ Machometh, Gentes idololatriam, Falsi Christiani sua

sua opera, et inuentiones propriæ iustitiæ, Diuites Mammona, Prudentes, carnalem rationis solertiam, Potentes, suam potentiam, Hæretici, suas opiniones atque placita. Quos omnes spiritus sanctus arguit, inquiens: Non sic impij, non sic. Ista uestrorum consiliorum decreta, nõ sunt uera, nec uia recta perducturæ uos in uitam æternam. Quòd si pius, si iustus, si deniq; beatus fieri cupis, in Christum Dei filium crede, qui tuæ salutis caussa factus est homo, qui pro te crucifixus & mortuus, qui propter tui iustificationem à mortuis resurrexit. In illum, inquam, crede solum, atq; fidem tuam, ne uana atque mortua uideatur, bonis operibus testare, atque sancta fide dignos fructus profer, per opera charitatis atq; misericordiæ. Quòd si per carnis imbecillitatem aliquando cespitaueris, aut ceciderís, recordatus tui baptismi resurge, & ad fœdus, quod cum Deo pepigisti, reuertere. Nam ut diuus Paulus ad Romanos 8 inquit: Nulla nunc est condemnatio his, qui insiti sunt Christo Iesu, qui non iuxta carnem uersantur, sed iuxta spiritum.

Cur spiritus sanctus arguet mundum de iustitia?

Quoniam, inquit Christus, ad patrem uado, & post hac non uidetis me.

Quomodo hoc est accipiendum?

Non loquitur hic Christus de mundi iustitia, quæ dicitur æquitas, unicuiq; quod suum est, tribuens, sed intelligit spiritus iustitiam, quam Deus solam respicit, atq; librat, quam Christus ipse nobis impetrauit, atq; promeruit amara sua morte, resurrectione, & gloriosa ad cœlos adscensione. Christus enim nobis eam restituit atq; reparauit iustitiam, & innocentiam, quam in Paradiso per Adæ crimen, amisimus. Quasi dicat Christus: Ante tempus quàm pater uester Adam in Paradiso peccaret eratis iusti, & innocentes, sed postquàm Dei præceptum ille transgressus, factus est iniustus cum omnibus suis filijs, nepotibus atq; posteris, ad primam igitur istam uestram iusticiam ac innocentiam non poteratis redire, sine me, quem oportebat suum corpus atq; uitam pro uobis tradere, pro uobis satisfacere, nempe, mea passione, morte, resurrectione, & adscensione ad patrem, cui iam uos reconciliaui, & ad eam, quæ uobis in Paradiso fuit ante peccatum Adæ, iustitiam reduxi. Ergo nunc omnes arguit iniustitiæ spiritus sanctus, qui non credunt mihi ueræ iustitiæ reparatori, nec me uerum redemptorem suscipere uolunt, sed proprijs suis cariosis meritis & operibus, sibi iusticiam comparare student, propria sua facta, morti meæ, & effuso meo pro mundi peccatis, sanguini precioso, temere præ-

ponentes, non reuoluentes animo, nec quid sibi uelit illud Lucæ 17. perpendentes. Vos cùm feceritis omnia, quæcunque præcepta sunt uobis, dicite: Serui sumus inutiles, quod debuimus facere, fecimus.

Cur spiritus sanctus arguet mundum de iudicio?

Quoniam, inquit Christus, huius mundi princeps iam iudicatus est.

Quomodo hoc intelligendum?

Non accipies huius mundi iudicium, quo ferunt homines sententiam de rebus ijs, quæ uel ad corpus, uel bona fortunæ pertinent, sed intelliges spirituale iudicium, quod animarum est, atque conscientiarum, nempe iam à Christo principem huius mundi Satanam, cum omnibus suis socijs, & auxiliaribus copijs iudicatum, atq; damnatum esse. Lata quidem de eo capitalis sententia, ut nihil omnino restet nisi publica promulgatio, qua in extremo iudicio, in totius mundi conspectu pronunciabitur damnatus, & cum omnibus suis membris per æterna secula perditus deturbabitur in ignes infernales. Quasi dicat Christus: Satanas, mors, peccatum & inferna per me uicta sunt, iudicata, atq; damnata. Quòd autem uecors & insanus mundus, diabolicis præstigijs obcæcatus, adhuc laudat, & in bo-

uis habet damnatos omnes Satanæ cultus, apparatus, offucias, incredulitatem, idololatriã, incãtationes, falsas doctrinas, mendacia, errores. Item quod præceps in exitium ruens mundus, fidei iustitiam non cognoscit, nec eam ab operum humanorum iustitia separare uult, atque contradicit mihi filio Dei, studens placere mundo, atq; eius Diabolico fuco, bullatis delusionibus, omnibusq; simulantibus sanctimoniam laruis. Item quòd timet Satanam, qui per me uictus, quòd metuit mortem, quæ per meam absorpta est, quòd deniq; reformidat, et exhorret inferna, quæ per me sunt expugnata. Has omnes propter causas spiritus sanctus arguet mundum. Et hic murus (ut aiunt) aheneus esto. In causis atque rebus diuinis, non mundus, non princeps mundi, non Papa, non concilia, non patres, iudices esse, sed Dei filius Christus, per uerbum suum omnes iudicare debet, qui solus lydius lapis, amussis, gnomon & regula, iudex omnium, & pœnarum etiam exactor. Qui ait Ioannis 12. Qui reijcit me, nec accipit uerba mea, habet qui iudicet ipsum. Sermo quem locutus sum, ille iudicabit eum in extremo iudicio.

Quid dicebat Christus de discipulorum imbecillitate?

Multa, inquit, habeo quæ uobis dicam, sed non do-

potestis portare nunc. Cùm autem uenerit ille, qui est spiritus ueritatis, ducet uos in omnem ueritatem. Non enim loquetur à semetipso, sed quæcunq; audierit, loquetur, & quæ futura sunt annunciabit uobis. Ille me glorificabit, quia de meo accipiet, et annunciabit uobis.

Quid hisce uerbis docet Christus?

Omnis salutis atq; fœlicitatis fundamentum ponit fidem, sed incredulitatem perditionis, & æternæ damnationis fulcra, baseisq;. Et ueram iustitiam soli sibi uendicat, uerbumq; suum constituit iudicem omnium. Reijcit igitur, execratur, atque condemnat omnia, quæcunque Papa, patres, atque concilia constituunt sine uerbo Dei, atq; capitibus propriis, cerebrosoq; fastui placentia, non in scripturis fundamentum habentia, decernũt, quantumuis etiam arrideant hominibus, & in mundo coruscent. Nam quicquid non ædificatum est supra petram Christum est meram peccatum, atque condemnatio. Et Ecclesiæ suæ in hoc mundo satis prospexit Christus, atq; ita fundauit, ut alieno non opus habeat fundamento. Verbũ suum atq; sanã doctrinam ubertim dedit, ceremonias item, & ecclesiasticam disciplinã, ut iudicia nõ indigeamus superstitione. Adest Euangelium, Verbum Dei, scripturæ

el ritas, quæ omnia Christus ueritatẽ appellat. Habemus Christianæ iuuentutis exercitiũ, nempe Catechismum, in quo examussim traduntur, & exercentur decem præcepta, articuli fidei, oratio dominica, prætereaueræ Christianorum ceremoniæ, baptismus, absolutio, & sacramentum corporis atq; sanguinis Christi. Adhæc sunt alia ueluti domestica Christianæ institutionis tabula, è sacrario diuinarum literarum deprompta, & in quæstiones redacta, in quibus indies erudiri, atq; sic conueniet exerceri, ut fidei pietatisq; nostræ fructus appareant, hoc est, opera bona producantur. Quo facto nos cum mundo non arguet spiritus sanctus, sed fidem nostram adaugebit & confirmabit, atque nos in omnibus tribulationibus conseruaturus, ducet in omnem ueritatem, & denique in uitam æternam. Amen.

DOMINICA VOCEM IVCVNditatis. Euangelium, Ioannis XVI.

AMen amen dico uobis: Quęcunque petieritis patrem in nomine meo, dabit uobis. Hactenus non petistis quicquam in nomine meo. Petite, & accipietis, ut

ut gaudium uestrum sit perfectũ. Hæc per prouerbia locutus sum uobis. Veniet tempus, cum iam non per prouerbia loquar uobis, sed palàm de patre meo annunciabo uobis. In illo die in nomine meo petetis. Et non dico uobis, quod ego rogaturus sum patrem pro uobis. Ipse enim pater amat uos, quia uos me amastis, & credidistis quod à Deo exiuerim. Exiui à patre, & ueni in mundum: iterũ relinquo mundum, et uado ad patrem. Dicunt ei discipuli eius: Ecce nunc apertè loqueris, nec prouerbium ullum dicis: Nunc scimus quod scis omnia, nec opus est tibi ut quis te interroget. Per hoc credimus quod à Deo existi.

Quænam in hoc Euangelio præcipuè traduntur?

Tria docet Christus. 1. Quomodo uerè, rectèq; petendum sit, & orandum, ut exaudiamur à Deo. 2. Quid petendum, nempe gaudium cordis, atque conscientiæ. 3. Cuiusnam rei causa petendum, nempe propter consolationem in afflictionibus, atque cruce.

Quot res ad piam requiruntur orationem exaudiendam à Deo?

Oratio præcipuè partes efflagitat quatuor, quas in hoc Euangelio Christus comprehendit, hisce uerbis: Amen amen dico uobis quæcunque petieritis patrem sub nomine meo, dabit uobis.

Quænam est prima?

Est diuinum præceptum, atq; Dei promissio. Nã si Deus non præcepisset petere, nec se promisisset exauditurum, ne gry quidem impetrare posset omnis creatura. Atqui non modò Christus ut petamus mandauit, sed etiam promisit se nos exauditurum, ait enim Lu. 11. Petite & dabitur uobis, quærite & inuenietis, pulsate, & aperietur uobis. Omnis enim qui petit, accipit, et qui quærit inuenit, & pulsanti aperietur. Quam promissionem hic additò confirmat iuramento, in quiens: Amen, amen, Vt omnino certissimus de promissione diuina, atque

que exauditione, nec ambigamus, quin oratio nostra Deo futura sit accepta. Præterea nostram impetendo negligentiam atq; socordiam reprehendit dicens: Hactenus non petistis quicquam sub nomine meo. Petite & accipietis, ut gaudium uestrum sit perfectum.

Quænam est pars secunda petitionis à Deo exaudiendæ?

Vera fides stabilita atque fundata in Dei promissionem. Nam qui de hac dubitat, is in duplex malum incurrit. Principiò frustra petit, & incassum orat: Ait enim S. Iacobus cap. 1. Petiturus aliquid à Deo, postulet cum fiducia, nihil hæsitans. Nam qui hæsitat similis est fluctui maris, qui uentis agitur, & impetu rapitur. Neque enim existimet homo ille se quicquam accepturum à Domino. Deinde mendacij coarguit Deũ, ut qui promiserit, quod præstare non possit. Quod est crudeliter blasphemare Deum, qui uerax est, imò ueritas ipsa. Cum autem fidès omnium rerum diuinarum maxima sit, ut fieri nequeat, quò sine illa quis possit Deo placere ad Hebræ. 11. In id omnibus studijs incumbendũ erit, ut tantum Dei donum assequamur, & assecuti iugiter exerceamur in ea. Precibus igitur assiduis petamus, ut omnipotens Deus fidem nobis largiri dignetur & augere concessam, in eademq; nos conseruare semper.

Quænã

Quænam tertia?

Est sub nomine Iesu petere. Etenim ut Petrus ait actorum 4. Nõ est aliud nomen sub cœlo datum inter homines, in quo oporteat nos saluos fieri. Et Dei mandato nos obstricti debemus Dei nomen honorare, atq; glorificare. Sed honore nullo sublimiore poterimus afficere Deum, nec gloria maiore dignari, quam si nostris in necessitatibus & angustijs illum sub nomine Iesu Filij Dei petierimus, & implorauerimus.

Quænam quarta?

Omnia necessitatis, angustiæ, atq; tribulationum quotidie nos grauiter urgentiũ et affligentium mala Deo proponere, & breuiter quidem sed intimis animi suspirijs, atq; uotis ardentibus. Eam autem procul dubio Deus orationem exaudiet, in qua fuerint enumeratæ res quatuor. In Psalmo. 49. inquit Deus ipse: Inuoca me in die tribulationis, eruam te, & honorificabis me. Et Christus Ma. 11. Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego refocillabo uos. Item. 21. Amen amen quæcunq; petieritis in deprecatione credentes, accipietis.

Quænam genuina est sententia horum Christi uerborum: Amen amen dico uobis, quęcũque petieritis in nomine meo etc?

Ego,

Ego, inquit, Iesus Christus, qui Dei filius æterna patris cœlestis sapientia, qui ueritas, non mentiri, nec fallere possum. Ego qui inter Deũ, & uos mediator atq; reconciliator. Ego deniq; qui uester saluator atq; redemptor, dico uobis, meis discipulis, quos è mũdo percharos elegi, uobis, qui omnia quæ à patre accepi manifestaui: Vobis meis fratribus et cohæredibus æterni regni: Vobis meis filijs quos pater omnipotens in oculis fert, uobis ego qui non possum uerba dare, nec imponere iuro per meipsum, per caput meum: Vobis, inquam, fidẽ meam in arrabonem atq; pignus offerens, iuro uos consecuturos quicquid petieritis, quod corpori uel animabus uestris profuturum, quicquid petieritis, inquã non in uobis, nec in ulla creatura spem uel auxilium habentes, sed in me solo. In tribulationibus igitur uestris in nomine meo patrem petite, & accipietis. Nam pater cœlestis propter me uos diligit, qui nõ uult nec potest uos spe frustratos dimittere.

Quando petimus sub nomine Iesu?

Cùm per fidem in Iesum Christum erecti prodimus in Dei conspectum, & indubitata spe nos consolamur, certoq; nobis pollicemur à Deo nos exauditum iri per mediatorem nostrum Christum, per quem omnia nobis donauit Deus Ro. 8.

Oportebit igitur nos sub nomine Iesu Christi petere?

Sine

Sine Christo promeremur indignationem, & iram Dei meam. Nec ullus est in cœlo uel in terra sanctus, qui tam utiliter ac potenter apud patrem cœlestem pro nobis intercedere posſit, atq; patrocinari, quàm Dominus noster Christus. Cuius solius interceſsione, simul ac meritis adiuti, non modò cõsequimur remiſsionem peccatorum, atq; ueram iustitiam, sed etiam ipse nos fratres suos facit, atque nobiscum facit communem, & participat suam dignitatem sacerdotalẽ, ut nos in afflictionibus atq; neceſsitatibus cum fiducia posſimus accedere ad Deum atq; thronum gratiæ, ut cõsequamur misericordiam, & gratiam inueniamus atq; consolationem animabus nostris. Quare non dico uobis, inquit, quod ego rogaturus sim patrẽ pro uobis. Ipse enim pater amat uos, quia uos me amaſtis, & credidiſtis quod à Deo exiuerim.

Est ne sanctorum interceſsio nobis neceſsaria, cum habeamus interceſsorem, et mediatorem Christum, & cum eodem commune nobis officiũ sacerdotale?

Quod pro nobis orent, aut intercedant sancti, nullo certo scripturæ testimonio probatur. Nec cõstat nobis, quòd illi corda nostra inſpiciant, & perũideant, neq; perſpectum habemus, an preces atque clamores

clamores nostros intelligant & accipiant, cum hoc ipsum solius sit Dei, qui solus cordiũ est ſcrutator, & animorum conſcientiarumq; cognitor, atq; uerus perceptor. Hinc ſæpius in Pſa. Dauid, auribus, inquit, percipe orationem meam. Nec ulla nobis est de illis promiſsio, quæ certos reddat nos ab illis exauditum iri quemadmodum à Christo.

Quid à Deo nobis petendum?

Quãdoquidem adeo ſumus inepti, simul ac ſtulti, ut neſciamus, quid utile nobis atq; ſalutare debeamus petere, docet nos Christus, & uelut præmanſum in os inſerit, quid nobis petendum. Petite inquit, ut gaudium ueſtrum ſit perfectum.

Quale gaudium intelligit?

Non externum certè uel momentaneum corporis, aut huius mundi gaudium intelligit, ſed internũ, atq; ſpirituale: De quo D. Paulus Philip. 4. Gaudete in Domino ſemper, & iterum dico gaudete.

Vnde uenit tale gaudium?

Naſcitur ex fide in Ieſum Christum, Etenim ſi Dei uerbum, hoc eſt, quo per Christum peccata condonantur hominibus, Euangelium audieris prædicari, nihil omnino proderit eiuſmodi prædicatio niſi credideris, ſed credere non poteris, niſi per uerbum datus tibi fuerit Spiritus ſanctus, qui talem in te fidem operetur, & accendat? Quod ſi igitur in te fidem operatur Dei uerbum atque

ſpiritus

ſpiritus ſanctus, non dubitabis, quin Chriſtus tibi non modo peccata remiſerit, ut te non poſſint amplius accuſare, nec damnare, ſed etiam factus ſit Deum omnipotentem, patrem tibi clemẽtiſſimum, qui te loco filij ſuſceperturus, & ad æterna gaudia ſit conſeruaturus. Et hæc eſt illa conſcientiæ gratiſſima pax, & gaudium, quod præſens Euangelium dicit eſſe petendum.

Oportebit ne ſemper nos petere?

Deus rogari uult, & implorari. Nihil habemus nos prorſum quod Deo, cuius eſt terra, et omnis plenitudo eius, donare poſſimus. Neceſſe eſt ut ille conferat in nos beneficia, qui noſter Deus, creator, Dominus, atq; pater. Quoniam autem Chriſtus præcepit nobis petere gaudiũ cordis, obedire debemus, ut cum Maria poſſimus dicere: Magnificat anima mea Dominum. Exexultauit ſpiritus meus in Deo ſalutari meo.

Tribulationibus ne tentantur, illa pax atq; gaudium cordis?

Maximè: Chriſtus enim ait ſuis diſcipulis: Nunc creditis. Ecce inſtat tempus, & iam uenit ut diſpergamini unus quiſq; in ſua, meq; ſolum relinquatis, & tamen non ſum ſolus, quia pater mecum eſt. Hæc locutus ſum uobis, ut in me pacem habeatis: In mundo afflictionem habetis, ſed bono animo ſitis, ego uici

uici mundum.

Quid per ea uerba Chriſtus intelligit?

Hoc dicit: Vos quidem pij eſtis filij qui putatis uos ſolidam habere fidem, ſed ea poſt elapſam horam ſubſidet, & qui iam uobis eſt alacris animus, in pedes decidet, omnes à me fugietis, ſolumq; me relinquetis. Id tamen peccatum uobis non eſt exitio futurum, cùm mei ſitis diſcipuli, amici mei, nõ hoſtes, quemadmodum ſummi Pontifices, Hannas, Cayphas, & Iudas, qui me prodiderunt, atq; damnauerunt: Et licet diſperſi uos me deſtituetis, non tamen deſtitutus, nec ſolus ero, Pater enim cœleſtis mecum eſt futurus.

Quid eſt quod dicit: Hæc locutus ſum uobis?

Hæc, inquit, eſto rerum ſumma. Quæcũq; dixi, quæcunq; promiſi uobis, ego certa præſtabo: Cogitate uos, ut omnia ſenſibus imis reponatis, et uos inuicem conſolemini. Carnis ego naturam noui, ſatis animoſa, ſatis imperterrita, ſatis itẽ eſt ferox, cum abeſt paſſio, atque tribulationes, ſed cùm ingruit crux, atque neceſſitatis pericula, tum haſtam (ut aiunt) abijcit, & in pedes retrocedit animoſitatis omnis oblita. Hic, Chriſtus, In mundo, inquit, afflictionem habetis, in me pacem.

Quid est mundus?

Mundus est Satanæ regnum, spelunca latronum, domus mendaciorum, offendiculorum officina, larua denique malorum. Hæc insignia, atque trophæa Christus affigit eius ualuis, Ioannis 8. Et mundi princeps Satanas, hostis infestissimus est Dei, & Christianorum omnium, quos quibuscunque potest insidijs captos, & iniurijs circunuentos rapit ad interitum. Et quicunq; de mundo sunt, adhærentes Satanæ, sunt Dei hostes, omniumq; credentium, utpote Tyranni, Turcæ, Iudæi, Gentes, Hypocritæ, Prudentia carnali absorpti, sectarum autores, & Hæretici.

Quibus in mundo tribulationibus Christiani tentabuntur?

A dextra Christianos tentabunt Hæretici, atq; pernicioſarum sectarum, dogmatumq; falsorum assertores, A sinistra infestabunt Turcæ homicidijs, & cædib. assiduis: à fronte Papistæ, Hypocritæ, iusticiarij, operumq; prædicatores ingraueſcent ludibrijs atq; persecutionib. A tergo gentes imminebũt, atq; Iudæi infra, supraq; spiritus omnes infernales.

In quonam acquiescent, et pacem habebunt?

Christus, inquit, in me pacem habetis, in uerbo meo salutari, & Euangelio sancto, quod est Dei potentia

tentia Roma. 1. Et uerbo Dei, sacrisq; diuinæ scripturæ dictis, quasi firmissimo scuto tribulationes, atque tentationes omnes repellere potest homo Christianus, & seipsum in sua infirmitate consolari potẽter. Ergo D. Pa. ait: Ephe. 6. Scutũ fidei, galeãq; salutaris accipite, & gladiũ spiritus, qui est uerbũ Dei, quo positis omnia iacula ignita extinguere.

Quid Christus uult hisce uerbis, bono animo sitis. Ego uici mundũ?

Quasi dicat: Bellũ confeci, hostes superaui, trophæa statui, victor euasi, cunctis deniq; debellatis hostibus, in meam potestatem omma redegi. Nihil igitur trepidetis, sed infracto sitis animo. Quod si uideretis draconem, infernalem illum serpentem uiderit is caua guttura pandere, & flammas spirantem in uos denes exacuere, Si uideritis mundum furore correptum insanire: Si denique tyrannos omnes ebrios ira conspexeritis crudeliter insolescere, & extrema uobis minari, nolite timere, uerborum horum memores. Ego uici mundum: Ego qui rex regũ, qui dominus dominantium ego, ego in quam uici mũdum, cui data est potestas in cœlo, & in terra.

Ista maximam afferunt Christianis omnibus consolationem?

Quem non uehementer afficeret, impenseq; consolaretur uictoria Christi: qua nostræ salutis gratia, crudelissimos hostes nostros uicit ita, ut

nullus omnino timor hostilis, nullumq; restet periculum, sed ita victi iaceant ac prostrati, ut integrato periculo nobis non sit opus cum illis congredi, atq; manus conserere. Etenim commisso prælio ceciderunt trucidati, Mundus, Sathanas, mors, inferna. Victoriam obtinuerunt, opimaq; spolia retulerunt cœlum, iusticiã, atq; uitã. Nihil superest præter epenicion, & honores decernendos victori Christo. Qui participes etiam fecit suæ victoriæ credentes omnes, in fine seculi cum illo triumphaturos, ac ingressuros cœlestem Hierusalem, hoc est, uitam æternam. Amen.

ALIA CONCIO, Lucæ XI.

AIt ad illos: Quis uestrum habebit amicum, & ibit ad illũ media nocte, & dicet illi? Amice da mihi mutuo tres panes: quoniam amicus meus uenit de uia ad me, & non habeo quod apponam illi. Et ille intus respondens dicat: Noli mihi molestus esse, iã ostium clausum est, & pueri mei mecum sunt in cubili, nõ possum surgere

surgere & dare tibi. Dico uobis etiamsi nõ daturus sit illi surgẽs, eo quod amicus eius sit: Propter improbitatem tamen eius surget, ac dabit illi quotquot habet opus. Et ego dico uobis: Petite, & dabitur uobis: quærite & inuenietis: pulsate, & aperietur uobis. Omnis enim qui petit accipit: & qui quærit, inuenit: & pulsanti aperietur. Quis autem ex uobis pater à quo si filius petierit panem, nũ lapidem dabit illi? Aut si piscem, num pro pisce serpentem dabit illi? Aut si petierit ouum, num porriget illi scorpium? Si ergo uos cũ sitis mali, nostis bona dona dare filijs uestris, quanto magis pater uester cœlestis dabit spiritum sanctum poscentibus se?

Quid in hoc Euangelio Christus efficit?

Cum discipulis suis Christus orandi modum, atq; rationem ostendisset, iam docet, & adhortatur semper orandum esse, non oportere desistere, nec defatigari. Nouit homines eo præditos animo, atq; natura esse, ut aut diuinam erga se beneuolentiam, atq; bonitatem desperent, aut se iudicent indignos quos Deus omnipotens debeat, uel possit, exaudire. Hinc est, quod rarius, aut nunquam soleamus orare. Aut si semel atq; iterum orauerimus, nec statim fuerimus exauditi, relinquamus orationem, incipiamusq; malè de Deo cogitare, uel etiam malè dicere. Proinde necessaria fuit hæc ad discipulos admonitio Christi.

Quid igitur in hac paræneticа Euãgelij doctrina proponit Christus?

Duo lucidissima profert exempla. Alterum de homine, qui cum ad se de uia diuertisset hospes charus iuit ad amicum media nocte, acceptum mutuo tres panes. Quo planum facit excitari posse Deum, ad preces nostras exaudiendum. Alterum de Patre, quem filius panem, ouum, piscemq; poposcit. Quo confirmat Deum certò nobis aures clementes præbiturum.

Quod prius est exemplum?

Sic ait Christus: Quis uestrum habebit amicum, &

& ibit ad eum media nocte, & dicit illi: Amice da mihi mutuo tres panes, quoniam amicus meus uenit de uia ad me, & non habeo quod apponam illi, & ille intus respondens dicat: Noli mihi molestus esse, iam ostium clausum est, & pueri mei mecum sunt in cubili, non possum surgere & dare tibi. Dico uobis etiam si non daturus sit illi surgens, eò quòd amicus eius sit, propter improbitatem tamen eius surget, & dabit illi, quotquot habet opus. Quod plenissimum consolationis exemplum, & cum primis conducibile.

Quis est iste ueniens de uia hospes?

Nocte media diuertens ad nos hospes, est uaria tentatio, uariæ tribulationes, & aduersitates, quæ ex improuiso, & repente nobis eueniunt. Et cum affligimur aliquo malo, uel afficimur etiam dentis, aut alius membri dolore, solemus uulgo dicere. O quàm malus hospes est mihi, qui me dies noctesq; macerat, & excruciat.

Quisnam intelligitur per amicum aut uicinum dormientem?

Amicus dormiens, est Deus Dominus noster, qui nobis in tribulatione & angustia nostra clamantibus dormire uidetur, cum preces nostras non exaudit cito. Precationum igitur malleo pulsamus paterni cordis tanuam. Et eiusmodi sonitum

edit ex corde credente prolata uox orationis, ut etiam in cœlis audiatur. Dicit enim Ecclesiasticus 35. Oratio humiliantis se, nubes penetrabit, donec propinquet, non consolabitur, & non discedet, donec altissimus aspiciat. Media autem nocte petimus in cruce, & in afflictionibus nostris, panes tres, hoc est, auxilium atq; salutem à Deo Patre, filio, atque spiritu sancto.

Sed quomodo se Deus, pater ille cœlestis exhibet, ac gerit?

Nos orationem multiplicare sinit, ac multum clamare permittit, sed ab initio tacet ipse, quasi dormiat, nec audiat pulsantes. Et quod ipse pater familias simulat, id omnes quoq; pueri, totaq; familia facit. Deinde licet excitatus, respondeat tamen non consolatur, nec uoti compotes reddit, sed acerbo dicto, quod petitur negat, inquiens: Noli mihi molestus esse, iam hostium clausum est, & pueri mei mecum sunt in cubili, nec tui causa sunt exuscitandi, uel inquietandi. Alium amicum tibi quære. Ego non possum surgere, & dare tibi.

Sed ista dura nimis est afflictis cordibus insultatio, & acerbum responsum?

Est quidem admodum durus stimulus, sed ecõtra dulcissima consolatio, quod Christus ait: Dico uobis

uobis etiã si non daturus sit illi surgens, eò q; amicus eius sit, propter improbitatem tamen eius surget, & dabit ei quotquot habet opus. Q. d. Quòd si potest homo quispiam ab alio suis importunis efflagitationibus, & improba pulsatione quod petit impetrare, quãtò magis homo pius oratione cordis deuota, poterit à Deo, quod precatur, assequi.

Quid igitur faciet petiturus?

Cùm tibi surdus esse uidebitur Deus, ut preces tuas non suscipere, nec te uelit exaudire, noli desistere, sed uiglãter insta suppliciter inquiens: Pater clementissime. Quo me uertam, quo me conferam, ubi spem uel auxilium quæram? Quem iustius imploro, quàm te? Cuius ianuam æquius pulso, quàm tuam, qui es bonitatis omnis & clementiæ ianua. Te precor, te solum quæro. Surge igitur Domine, & clementi gratiæ tuæ respõso, languidum cor meum lætifica. Tu meus es Deus atq; Dominus, meus creator atq; redemptor. Quem iustius peto, quàm te? Vbi iustius suppetias quæro, quàm apud te? Vbi iustius pulso, quàm ad paterni cordis tui fores. Tu qui omnia in omnibus es, opus non habes ianitore, nec famulo. Tu qui custodis Israël, non dormitabis, neq; dormes, etiam si pueri tui omnes, omnes etiam angeli, sanctiq; dormiant. Tu principium ac finis. Tu pater omnis gratiæ, atq; misericordiæ, ne desertas me, ne media nocte summis in afflictionibus meis

ẽ ianua tua miserum detrudas: Qui mea spes unica, Qui meum refugium, Qui denique meæ salutis asylum. Te non dimittam, nec me patiar à te (res etiam utcunque successerit) auelli. Huc referri debet, iniquum iudicem illa precata fœmina, Lu.18. Et mulier Chananæa, Mat.15. Quæ quoniã ab oratione non destiterunt, quod petebant, assequebãtur.

Quam Christus exemplo dato subiungit consolationem?

Et ego dico uobis, inquit: Petite, et dabitur uobis, Quærite & inuenietis, Pulsate & aperietur uobis. Omnis enim qui petit, accipit, & qui quærit inuenit, & pulsanti aperietur. Hæccine communis est promissio, pertinens ad omnes homines, siue sint Christiani, siue gentes, siue Iudæi, liberi siue serui. Quicũq; enim petituri sunt spiritu & ueritate, exaudientur. Quicũq; cœlestem apud lucem Christũ quæsituri sunt, inuenient. Quicunq; denique malleo fidei pulsaturi sunt, ijs aperietur.

Quod est alterum Euangelij huius exemplum?

Sic ait Christus: Quis ex uobis pater, à quo si filius petierit panem, num lapidem dabit illi? Aut si piscem, num pro pisce serpentem dabit illi? Aut si petierit ouum, num porriget illi scorpium? Si ergo uos cùm sitis mali, nostis bona bona dare filijs uestris, quantò magis pater uester cœlestis dabit spi-

ritum sanctum poscentibus se.

Quid per hæc uerba demonstrat Christus?

Benignissimam erga nos bonitatem atq; uoluntatem optimam patris cœlestis ostendit, omniq; dubitatione remota, nos certos reddit, patrem omnipotentem nihil magis uelle, quàm ut credentes exaudiat, et quod fide petunt, elargiatur. Quis enim tam audax fuerit, imò tam impudens atq; temerarius, qui clementissimum, cuius misericordiæ non est finis, Deum præsumpserit homine crudeliorem facere, atq; magis immisericordem, cùm Deus ipse natura sit bonus, omnis autem homo mendax, atque prauus. Euenire potest, ut alicuius patris conspicua sit in filios bonitas, ut q; donet quæ postulauerint, sed ea bonitas nullo modo conferenda, cum diuina. Sic enim ait Esaias cap. 49. Numquid obliuisci potest mulier infantem suum, ut non misereatur filio uteri sui. Et si illa oblita fuerit, ego tamen non obliuiscar tui. Christus item in hanc sententiam loquitur. Quamuis in terra pater peccatis obnoxius sit, ingenioq; prauus, & efferus, tamen bona suis petentibus donat, quanto magis pater cœlestis, qui summum bonum est, dabit filijs suis poscentibus spiritum sanctum.

Sed cum Deus sit clemens, & tam facilis ad exaudiendum, qui fit,

ut

licet multi petant atq; clament, non tamen exaudiantur?

Huius rei multæ sunt causſæ, multæq; rationes, quarum aliquot referam. Multi petunt ex consuetudine, citra fidem, de quibus dicitur Psal. 17. Clamauerũt, nec erat qui saluos faceret, ad Dominum nec exaudiuit eos. Item multi petunt, quod ipsis non utile, nec salutare. Sic D. Paulus 2. Corinth. 12. Cùm rogaret ut discederet à se stimulus carnis, & nuncius Satanæ, responsum accepit tale: Sufficiat tibi gratia mea. Nam uirtus mea per infirmitatem perficitur. Item multi petunt, & licet eos exaudiat Dominus, tamen non permittit, ut statim sentiant, & percipiant, se exauditos esse, idq; propter eam causſam, ut eos ardentes in fide, conseruet, & ijs præbeat occasionem in precatione feruente perseuerandi, atq; indies magis atque magis oratione flagrandi.

Quinam petunt panem, & consequuntur lapidem?

Hij sunt, qui summis in templis, in cœnobijs, & in sacellis indesinenter canunt, atque precantur, ut ut Deus ipsis succurrere atq; patrocinari, suoq; sancto uerbo ducere uelit, ac pascere, & hoc ipsum non serio petunt, nec poscunt ex intimo cordis recessu. Quod ipsi planum faciunt, nam licet ijs panem cœlestem apponat Deus, faciat q; per Euange-

lij

lij ministrum sanam Verbi Dei doctrinam prædicari, tamen nolunt audire, nedum suscipere. Petentes igitur pro pane recipiunt lapidem, hoc est, duræ ceruicis euadunt, ferream acquirunt frontem, cor dasaxea, spiritum æneum assequuntur, inuidia semper, odioq; plus quàm Vatiniano flagrantes, habentes deniq; cor obduratum, ut Pharao.

Quinam poscentes piscem accipiunt serpentem?

Qui molles in delicijs habent, atq; gaudent alios iudicare, calũniari, criminari, atq; mala proximo precari. Hij non petitum piscem assequuntur, sed tartareum serpẽtem, hoc est cor uenenatum, quod in omnia membra uirus diffundit, ita ut homo uirulentia plenus, omnino boni nihil de proximo dicere, nec cogitare possit, et quicquid uidet, quicquid audit, omne rapit in partem deteriorem, nec aliquam famã, neq; uitam alicuius relinquit intactam.

Quinam postulantes ouum, acquirunt scorpium?

Qui petunt à Deo fidem sanam, constantem, uiuam, atq; producentem charitatis opera, sed eam uarijs superstitionibus, incredulitate, fascinationibus, uarijsq; Satanæ præstigijs conspurcant, & cõtaminant. Qui nullam in Deo spem neq; fiduciam habent. Quorum cor uersatilius (quod aiunt) cotharno, iam huc, iam illuc impellitur, quorum deniq;

q; uita nullis bonis operibus relucet, sed omnibus est offendiculo. Hi non petitum consolationis diuinæ consequuntur ouum, sed scorpium, hoc est, falsum, infidum, & impurum cor erga Deum atque homines. Deum labijs quidem honorant, sed cor eorum procul est. Et hominibus oretenus bona, fœliciaq; precantur omnia, sed exitia corde peroptãt. Quorum ferme plenus est totus mundus.

Quid ad ultimum accidit hifce tribus hominum generibus?

Quamuis diu, multumq; petãt, quærant, et pulsent, tamen non accipiunt bonum spiritum, quem Deus filijs suis daturum se promisit, sed cacodæmona (qui compellit eos atq; rapit ad omnia flagitiorum genera, præcipitatq; deniq; in barathrum infernale) sortiuntur, quoniam in incredulitate, atq; uerbi Dei contemptu permanent, ac perdurant, in maleficijs turpißimis indies magis atque magis deteriores redditi.

Quid pñs faciendum?

Nos qui de Christi saluatoris nomine gloriamur, aßiduò debemus & indesinenter petere, quærere, paternumq; patris cœlestis pectus pulsare, et perseueranter precari, ut clementiæ suæ gratia nos perfundere propter Christum, suam nobis misericordiam impertire, spiritum sanctum cum donis

ñs omnibus suis, atq; gratia donare dignetur. Et in extremo deniq; uitæ termino, fœlicem horam, ac uitam æternam. Amen.

IN DIE ASCENSIONIS DOMINI, Euangelium, Marci ultimo.

POstea discumbẽtibus illis undecim apparuit, & exprobrauit illis incredulitatem suam, & cordis duritiem, quòd ijs qui se uidissent resurrexisse non credidissent. Et dicebat eis: Ite in mundum uniuersum, & prędicate Euangelium omni creaturę. Qui crediderit et baptizatus fuerit, saluus erit: qui uerò non crediderit, condemnabitur. Porrò signa eos qui crediderint hæc subsequentur. Per nomen meum dæmonia ejicient, linguis loquentur nouis, serpentes tollent. Et si quid letale biberint, non nocebit eis. Super

per ęgrotos manus imponent, & bene habebunt. Itaque Dominus quidem postquàm locutus fuisset eis, receptus est in cœlum, & consedit à dextris Dei. Illi uero egressi, prædicauerunt ubiq;, Domino cooperãte, & sermonem confirmante per signa subsequentia.

Quotnam res dictu necessarię sunt de Ascensione Domini?

Quinq;: Tempus, locus, personæ, acta, utilitas.

Quando Christus ad cœlos ascendit?

Quadragesimo post resurrectionem die.

Quid per istos dies quadraginta præcipuè fecit?

Plurimis atq; uarijs argumentis suam resurrectionem Christus manifestauit. Plurimis: Nam principio apparuit Mariæ Magdalenæ, postea mulieribus pijs alijs, Postmodum Petro, Deinde discipulis in itinere duobus Emaus euntibus. Item discipulis omnibus excepto Thoma, Deinde post octo dies simi-

similiter omnibus, Thoma præsente. Item ad mare Tyberiadis, Deinde Iacobo, Deinde plusquàm quingentis fratribus, Postremò omnibus in Bethania ad montem Oliueti, ipso Ascensionis die. Varijs item sensuum iudicijs approbauit suam resurrectionem, nempe uisu, auditu, gustu, tactu. Dixit enim: Videte manus meas, & pedes meos, cõtrectate me, quia spiritus carnem & ossa non habet. In conspectu item discipulorum comedit.

Cur toties, atq; tot argumentis suam resurrectionem Christus manifestauit?

Quoniam humanæ rationi fuit impossibile perceptu diuinum opus tantum, nempe Christi resurrectio. Et quoniam ea non potuit per unicam temporis unius apparitionem declarari, nec apprehendi, Christus igitur sæpius, & diuersis in locis, & argumentis uarijs approbauit illam. Nec fuit ex articulis fidei difficilior alius acceptu, nec alius in utroq; testamento grauioribus arietareis ueluti machinis oppugnatus, quàm hic articulus de resurrectione. Ergo Christus compluribus argumentis per dies quadraginta conspectus fuit à discipulis, & locutus eis de regno Dei, Act. 1.

Quid igitur ijs de regno Dei loquebatur?

Docuit eos, neminem in regnum cœlorũ intrare

posse, nisi per crucē. Quēamodū Luc. ult. dicitur. Oportuit Christum pati, & intrare in gloriā suā.

Intellexerunt ne discipuli eum seremonem de regno Dei?

Sic ait S. Lucas. Illi ubi conuenissent percontabantur illum, dicētes: Domine, num in tempore hoc restituis regnum Israël? Profundissimas in illorum pectoribus radices egerat opinio, qua putabāt Christum præpotentē, regni terrestris Dominū futurū.

Quid discipulis Christus respondit?

Dixit ad illos: Non est uestrum nosse tempora & articulos temporum, quos pater in sua ipsius constituit potestate, sed accipietis uirtutem spiritus sancti, posteaquàm is aduenerit super uos, & eritis mihi testes, non solùm Hierosolymis, uerùm etiam in uniuersa Iudæa, Samariāq;, deniq; ad extrema terræ. Quasi dicat: Regnum Dei per me restituetur in spirituali populo Israëlitico, idq; eo tempore, quo iuxta præceptū meum exibitis prædicatum Euangelion omni creaturæ. Consummabitur etiam, cùm mea doctrina fuerit diffusa per omnes terræ fines. Prædicabitur enim Euangelium regni in uniuerso orbe in testimonium omnibus gentibus, & tunc ueniet consummatio, Matth. 24.

Vbinam Christus ascendit ad cœlos?

Sic

Sic ait S. Lucas: Eduxit eos foràs in Bethaniam, ad montem, qui uocatur oliueti, qui abest ab Hierosolymis iter Sabbati, Lucæ 24. Act. 1.

Cur in Bethaniam eduxit?

Bethania significat domum afflictionis. Quod si uolumus igitur cum Christo ad cœlos adscendere, et in gloriā intrare, necesse est, ut prius cū Christo patiamur, tollētesq; crucē nostrā, sequamur illum.

Cur ad montem?

Quàmuis durum factu, nobisq; graue uideatur, tamen cogemur montem adscendere, hoc est, crucem subire propter Christum, si modò uoluerimus ad æterna gaudia peruenire. Non in plumis atq; delicijs ad cœlos ascēsuri sumus, sed per afflictiones. Et gentiū Poëtæ, Viam uirtutis asperam, uoluptatis mollem, describūt: illam ad honores & gaudia, hanc ad exitia & opprobria ferentem.

Cur ad montem Oliueti?

Oleū significat gratiā atq; misericordiā. Inuit ergo, nos si Christo fuerimus, Hierosolymis, hoc est, in trāquilla, puraq; conscientia, cōmortui, et si crucem nostrā patienter tulerimus, omnibus peccatis mortui, tum etiā cum Christo in cœlos à patre trāsumptum iri, per gratiam, misericordiam, spiritus exultationem, & cordis illuminationem.

Quid præcipiebat discipulis?

Præcepit eis ne discederent Hierosolymis, sed

expectarent promissum patris. Ecce, inquit, ego mitto promissum patris mei super uos. Vos autem sedete in ciuitate Hierusalem, quoadusq; induamini uirtute ex alto. Quoniam Ioannes baptizauit quidem aqua, uos autem baptizabimini spiritu sancto post dies hosce non multos.

Quomodo Christus fuit in cœlum sublatus?

Sic scribit S. Lucas: Sublatis in altum manibus suis, benedixit eis. Et factum est, dum benediceret illis, multaq; post resurrectionem locutus esset, recessit ab eis, ac ferebatur in cœlum, ac uidentibus ipsis sublatus est, & nubes subduxit illum ab oculis eorum. Quo facto significauit Dei regnum esse supra nubes omnes, cœleste, spirituale, inuisibile, æternum, quod in fine mundi manifestandum. Christus autem non assumptus fuit ut Enoch, aut Helias, sed propria sua diuina potētia atq; uirtute ascendit supra omnes cœlos, ut impleret omnia, Eph. 4.

Cur ad dextram patris, non ad caput aut pedes sedit?

Ad dextram Dei patris omnipotentis sedet, hoc est, regnat, & implet omnia cum patre, & cum eodem habet simulem omnipotentiam, diuinam maiestatem, atq; celestem gloriam similem. Ergo D. Paulus Eph. 1. Deus, inquit, suscitauit Christum ex mortuis, & sedere fecit ad dexteram suam in celestibus, supra omnem principatum ac potestatem, et uirtutem, & dominium, & omne nomen quod nominatur, nō solùm in seculo hoc, uerùm etiam in futuro.

Quid significat Dei dextra?

Nihil aliud, quàm Deum ipsum, atq; plenam omnipotentis Dei potestatem.

Quid denotat ad dextram Dei sedere?

Significat Christum factum esse Dominum omnium, quæ sunt in cœlis simul ac in terris, per omnia patris similem. Sic enim in Psalm. 109. ad eum locutus pater: Sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum. Et ipse filius gloriatur, Matth. ultimo, inquiens: Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra.

Quanam re Christus fuit illud assecutus?

Obedientia & humilitate sua. Sic enim ait D. Paulus Philip. 2. Christus humiliauit semetipsum factus obediens usq; ad mortem, mortem autem crucis. Quapropter & Deus illum in summam extulit sublimitatem, ac donauit illi nomen, quod est supra omne nomen, ut in nomine Iesu omne genu se flectat, cœlestium ac terrestrium, & infernorum.

Quid in ascensione Christi faciebant discipuli?

Cùm essent defixis in cœlum oculis, eunte illo, ecce uiri duo astiterunt amicti uestibus albis, qui et dixerũt: Viri Galilæi, quid statis intuẽtes in cœlũ? Hic Iesus qui assumptus est à uobis in cœlum, sic ueniet, quemadmodũ uidistis eum euntem in cœlum.

Quomodo rediturus est Christus?

Cum hortatu & uoce Archangeli, & tuba Dei descendet de cœlo. Veniet habitu uisibili conspicuus in nube, cum potestate et gloria magna. 1. Thes. 4. Lucæ. 21.

Quando uenturus?

In fine seculi, in extremo die.

Cur uenturus?

Ad iudicandum uiuos & mortuos. Viuos autẽ intelligimus, qui tum in hac uita superstites reperientur. Mortuos, qui prius ex hoc mundo discesserunt, quàm dies adueniret nouissimus.

Cur ueniet iudicatum?

Vt omnes credentes cum corporibus simul ac animabus accipiant uitam æternam. Impij autem præcipitentur in ignem æternum, qui Diabolo paratus est, & angelis eius.

Quid commodi nobis adfert ascensio Christi?

Triplicem producit utilitatem. 1. Quoniã Christus auxiliator et saluator noster, atq; redemptor, glorioſam uictoriam opimis spolijs atque trophæis onustus reportauit, & triũphauit, deuictis omnib. suis hostibus, Diabolo, morte, & inferno, captiuita temq; captiuam duxit. Quemadmodum Paulus ex Psalm. 67. ait Eph. 4. Cùm ascendisset in altum, captiuam duxit captiuitatem, ne nos ea uinculis cõstringere posset, ac captos opprimere.

Quænam fuit ea captiuitas?

Lex, peccatũ, conscientia tortrix, angustia, terror inferni, atque metus æternæ mortis, hæc omnia Christus è medio tulit, & nos ab eorũ metu, suppliciisq; liberauit. Impletum est igitur illud, quod ait Lu. 11. Cùm fortis armatus custodit atriũ suũ, in pace sunt ea quæ possidet. Vbi ucrò fortior eo superueniens uicerit eum, uniuersa arma eius, in quibus confidebat, & spolia eius distribuit.

2. Ascensionis Christianæ cõmoditas altera est, qua Christus nobis impetrauit, atq; misit spiritum sanctum, distribuitq; dona hominibus.

3. Quoniã in cœlis apud patrem cœlestem habemus iam interceſſorem, perpetuum mediatorem, & æternum patronum Christum, ut ad Hebræos 7. dicitur. Hic quòd idem maneat in æternum, perpetuum habet sacerdotium, unde & saluos facere ad plenum potest, qui per ipsum adeunt Deum, semper uiuens, ad hoc ut interpellet pro illis. Et capite 4. Habentes igitur pontificem magnum, qui penetrauit cœlos, Iesum filium Dei teneamus

professorem. Accedamus cum fiducia ad thronum gratiæ, ut consequamur misericordiam, & gratiam inueniamus ad oportunum auxilium. Et cap. 9. Non in manufacta sancta ingressus est Christus, sed in ipsum cœlum, ut appareat nunc in conspectu Dei pro nobis. Et S. Paulus. 1. Timot. 2. Vnus Deus est, unus etiam cõciliator Dei & hominum homo Christus Iesus, qui dedit semetipsum pretium redemptionis pro omnibus. 1. Ioãnis 2. Si quis peccauerit, aduocatum habemus apud patrem Iesum Christum iustum. Et ipse est propiciatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantùm, sed etiam pro totius mundi.

Quid est ascensio Christi?

Nihil est aliud quàm terminus, & omnium, quæ Christus corporaliter in humana natura fecit, operum finis, principiumq; nostræ salutis. Nam per ascensionem auspicatus est regnum suum Christus, & spiritum sanctum dedit Apostolis, eosq; misit in uniuersum mundum, ad prædicandum Euangelium omni creaturæ, sedens ad dexteram Dei patris, Rex cœli atque terræ, regnansq; in credentium cordibus, per gratiam suam, atque uerbum. In summa Christus pro nobis in cruce debitum exoluit. Cuius satisfactionis ascensione sua nos certos fecit, & indubitato ueluti pignore subarrhauit. Nam in cœlum præcedens, uiam nobis parauit, maximos prædones, atq; latrones animarum è medio tulit, nempe diabolum, mortem, & infernum, & breuiter omnia impedimenta, quæ difficiles, & periculosas ingressu uias reddiderant, ut iam omnè discrimine remoto Christum sequi, eiusq; beneficio tuti queamus, ex omnib. huius mundi fluctibus prosperosos ad regnum æternum peruenire: Amen.

DOMINICA EXAVDI Euangelium Ioannis, XV.

CVm autẽ uenerit paracletus, quem ego mittam uobis à patre, spiritus ueritatis, qui à patre procedit, ille testimonium perhibebit de me. Quin & uos testes estis, quia ab initio mecum estis. Hæc locutus sum uobis, ut ne quid offendamini. Alienos à synagogis facient uos. Sed ueniet tempus, ut quisquis interficiat uos, uideatur cultum præstare Deo. Et hæc facient uobis, quia non nouerunt patrem neque me. Sed hæc locu-

tus sum uobis, ut cum uenerit tempus illud, reminiscamini eorum, quod ego dixerim uobis.

De qua re dicit præsens Euangelium?

De tribus potissimum. 1. Quodnam sit officium Spiritus sancti. 2. Quænam Apostolorum functio. 3. Quomodo mundus utraque soleat munera suscipere.

Quod igitur est officium spiritus sancti?

Spiritui sancto Christus tria dat nomina: Vocat paracletum, spiritum consolatorem, contra terroris spiritus: Appellat spiritum ueritatis, contra mendaciorum spiritus: Nominat spiritum alacriter testimonia ferentem, aduersus tyrannos, atq; spiritus sanguinem sitientes.

Cur paracletus dicitur?

Quoniam pectora nostra, atq; meticulosas conscientias consolatur, & fidem confirmat, ut certò credere possimus, nos per Christum filios Dei factos esse, ut clamare queamus: Abba pater. Alacres etiam & intrepidos facit, ut nostram in Christum fidē imperterriti propalā confiteamur. Præterea nos consolatur in omnib. tribulationibus, afflictionibus,

nibus, atq; persecutionibus, quæ cogimur in hoc mundo propter Christi nomen tolerare.

Sunt ne in promptu exempla?

Exemplo sint Apostoli. Qui cum nondum accepissent Spiritum sanctum metu perculsi fugerunt, atq; reliquerunt Christum, ianuis item clausis sedebant, nō confitentes nomen Magistri, propter timorem Iudæorum. Atqui cùm spiritus sanctus in ijs confirmatus esset, animosi reddebantur, & Christum liberrimè, omni fornudine abstersa, confitebantur in toto mundo. Gaudebant etiam pro nomine Christi contumelijs affici, Actorum. 5. Hoc igitur Christus innuere uult. Quamuis mundus insaniat, Sathanas horrorem incutiat ac metum, minaces feroces q; tyranni cœlum, ut aiunt, territent, tamen ego uobis mittam paracletum, & eiusmodi consolatorem, qui præpollens omnipotentia uos protegere, atq; ab omnibus hostibus liberare possit. Ille corda uestra illuminabit fide, ignem diuini amoris accendet, & in omnibus afflictionibus ita consolabitur, ut Satanas, mundus atq; tyranni non sint uobis terrori futuri, sed imperterriti uos nomen meum liberrimè confessuri, patienter etiam, & infractis animis, omnes, quibus affectifueritis, iniurias passuri.

Cur à Christo Spiritus ueritatis appellatur?

Quoniā homines studiosos, et amantes ueritatis facit,

facit, quib. nõ placent mendacia, nec est falsa doctrina cordi, sed curæ, maximoq; solatio uerbũ Dei, qui ueritatem Euangelicã mordicus tenent, nihil curantes Satanæ uel mundi fastum magnificum, uel authoritatem sanctitatis pigmentatam. Quis in Iudaismo fucatam Phariſæorum, atq; Saducæorum Hypocriſin uituperare: Quis in Chriſtianiſmo præfulgidum religionis, atq; ceremoniarum Papiſticarum ſplendorem, auſus fuiſſet damnare, ſi ſpiritus hic ueritatis, non protuliſſet in lucem, nec aperuiſſet hominibus diuinam ueritatem? Hic ſpiritus per omnia recto gradu tranſiens, & neminem expauescens, liberè dicit: Quicquid Chriſtus Dei filius docuerit, ſtatuerit, decreuerit atq; confirmauerit, id ratum, certum, & ueluti murus aheneus eſto. Cõtrà, quicquid ſine Dei uerbo docuerint, atq; conſtituerint Phariſæi, Saducæi atq; Papiſtæ, rationum humanarum argutijs producti, mera ſomniorum deliramenta ſunt, & Hiberæ, quod aiunt, næniæ. Quamuis autem mendaciorum ſpiritus à principio ſemper obſtiterit, & inſaniuerit aduerſum ueritatis ſpiritum, tamen hic potentiſſimus ueritatis patronus, & auxiliator, ſemper Eccleſiam ſuã hactenus conſeruauit, in æternum etiam contra portas infernales conſeruaturus.

Cur teſtimonij ſpiritus uocatur?

Quoniam teſtatur Chriſtum Dei uiuentis eſſe filium

filium, atq; ſaluatorẽ mundi: Quaſi dicat Chriſtus: Quæ prius docui, atq; prædicaui, ea uobis ſuggeret atq; cordibus ueſtris hic ſanctiſſimus teſtis imprimet, ut eorum nunquam obliuiſcamini. Non autem futurus eſt legis prædicator, ſed gratiæ doctor. Et teſtaturus deuictum à me Sathanam, mortem abſorptam, Inferna deuaſtata, deleta peccata, ſublatam Dei iram, cœlos fidelibus apertos, omnes denique credentes per me factos hæredes æternæ uitæ.

Reſpondet ne atq; ſatisfacit huic ſuo nomini ſpiritus ſanctus?

Maximè. Nam afflictos conſolatur, docet ueritatem, atq; teſtatur Chriſtum eſſe Dei filium, mundiq; ſaluatorem. Proinde quicquid ex ſpiritu ſancto ſcribitur, aut docetur, manebit ſtabile, atq; firmum. Quicquid autẽ ex eiuſdem ueritate non profluit, peſſum it, ac ruinoſum conſiſtere non poteſt. Corruit igitur inuitis atq; reluctantibus omnibus tyrannis, & diabolica ſocietate. Quid? Verbum Domini manet in æternum.

Quodnam eſt officium Apoſtolorum?

Apoſtolorum eſt teſtari de Chriſto: Sic enim ait ſpiritus ueritatis, qui à patre procedit. Ille teſtimonium perhibebit de me. Et uos teſtes eſtis, quia ab initio mecum eſtis. Quaſi dicat: Vos omnia opera mea uidiſtis, & omnem uerbi mei doctrinam perce-

piſtis,

pistis, factorum igitur simul ac dictorum meorum testes futuri estis. Ergo cùm spiritus sanctus illustrauerit corda uestra, & accenderit, non obticescetis ut muti, nec attoniti silebitis, sed erumpentes in omnibus terræ finibus confitebimini, atq; prædicabitis me Christum mundi saluatorem. Et quicquid est diuinæ ueritatis id laudibus euehere, atq; prædicare, contrà quicquid falsum & impium, id reprehendere atq; damnare cogemini. Quam uestram libertatem non passurus mundus crudeliter exandescet, fremetq;. Quare uos martyres ueri, testesq; mei ueri estis futuri, sic ut compellamini sanguine uestro testimonium perhibere de uerbo meo. Iure bono mundus cederet Deo suo, locumq; daret, creatori atq; saluatori suo, atq; meritò acciperet testimonium eius, sed non potest, nec uult, neque oportet. Non enim permittit id mundi princeps Satanas. Quemadmodum igitur hic Deo resistit, ita mundus etiam reluctatur, ut unà tandē præcipitentur in flāmas infernales, coacti nolentes etiam permittere, ut Christus, atq; uerbum eius maneat in æternum.

Quomodo spiritus sancti, & Apostolorum officia atq; testimonia placent mundo?

Nihil prorsum. Hinc mundus anathema iudicat, omnesq; damnat eos, qui suscipiunt Euangelij doctrinam, uarijs etiam supplicijs afficit, ac uelut Hæreticos,

Hæreticos, trucidat.

Huius rei quænam est causa?

Christus adijcit causam, inquiens: Hæc facient uobis, quia non nouerunt patrem, neq; me. Quasi dicat: Nihil aliud est in culpa, quàm infœlix cæcitas, & ignorantia, qua ita sunt perditi corruptiq;, ut neq; me, neq; patrem cognoscāt. Quod uicium, tartareaq; lerna si fuerint illorum cordibus exempta, magno gaudio, & gratiarum actione me susciperent. Sed ubi sublata est Dei cognitio, ibi splendorem suum iusticiæ sol amisit, nihilq; restat, nisi meræ tenebræ, cæcitas, inscitia, intellectus peruersus, adeo ut homo tricis & apinis errorum, falsarumq; doctrinarum, & præstigiarum diabolicarum se nō possit explicare. Contrà ubi relucet in cordibus credentium Dei cognitio, ibi solis æterni lumen refulget, ibi Christus in animi penetralibus irradiat, ibi denique resplendet uerus, syncerusq; iudicij sanioris intellectus, quo de rebus omnibus rectè iudicare atque decernere, ne quid deliret amussis, quoque purè sanctéq; de articulis fidei sentire, atque credere possumus. Atq; eadē in fide simpliciter exercita, non argutijs sophisticis examinat Dei uerbū, nō philosophico supercilio subijcit, nō rixatur de lana caprina, nō impiarū dubitationū argumenta uenatur ac hæreticæ prauitatis seminaria diffundit,

sed

sed si fuerint argutationum Sophisticarum argumenta obiecta, diluit ac propellit gladio spiritus, qui est uerbum Dei. Habet enim spiritum ueritatis, qui fœliciter ducere poterit, ac in fide conseruare.

Quid significat: Alienos à synagogis facient uos?

Hoc est, ab Ecclesia uos anathematizatos eijcient, ac uobis interdicent aqua & igni, bona uestra diripient, exulare compellent, & ad ultimam denique fati necessitatem persequentur. Nam anathematizare nihil aliud est, quàm execrabilem à Dei populo segregare, & uelut hæreticum deuouere, atque damnare. Quod fecerunt omnibus prophetis & apostolis, atq; ijs meliora non sperabunt Christiani, maximè Euangelij prædicatores ueri.

Hanccine mercedem consecuturi ueritatis concionatores?

Preciosissimum Dei uerbum, sanctum Euangelium, atq; credentes non habituri sunt prosperiorem in hoc mundo fortunam. Etenim qui Christianus liberè Christum confitetur, non in terris, uelut in amœnissimo uicturus est paradiso. Res succedet iuxta illud S. Paul. 2. Timoth. 3. Oēs qui nolunt piè uiuere in Christo Iesu persecutionem patientur. Et Galat. 1. Si hominib. placuissem, Christi seruus haud quaquam essem. Item Ioan. 16. In mundo afflictionē habetis, in me pacem, Item in hoc loco. Veniet tēpus ut

ut quisquis interficiat uos, uideatur cultum præstare Deo.

Quid damni Christus intulit mundo, ut tot meritis in eo malis afficiatur?

Nulli prorsum detrimento fuit, sed maximā potius omnibus utilitatem attulit suis laboribus, molestijs, peregrinationibus, & Euangelij prædicationibus, ægrotos sanauit consolatus afflictos, & breuiter omnia diligenter fecit, quæcunq; pertinere uidebātur ad officiū boni pastoris, animarūq; curatoris. Inseruiuit omnib. Iudæis, pariter ac gentib.

Hij quam Christo gratiam retulerunt?

Præmij loco recipiebat Christus acerbissimam hominum ingratissimorum iram, inuidiam, odiū, & postremò crucis ignominiosissimā mortem. Quòd si mundus igitur ita persecutus est Christum Deum suum, creatorem, dominum, atque redemptorem, quid non faciet Apostolis, atq; Christianis?

Quid est mundus?

Est regnum tenebrarum, paradisus atq; palatiū Satanæ, naufragumq; animarum: qui cæcitate atq; mendacijs ita est inuolutus & absorptus, ut lucēnō uidere, nec ueritatem audire possit. Cuius princeps Satanas homicida, & mendacij pater, corpora gladijs, animas aūt falsis doctrinis occidit. Eius domi-

ſticam diſciplinam S. Ioannes. 1. Ioan. 2. deſcribit, inquiens: Omne quod eſt in mundo, ueluti concupiſcentia carnis, & concupiſcentia oculorum, & faſtus uitæ non eſt ex patre, ſed ex mũdo eſt. Quæ tria, nempe ſpurcam libidinem, auariciam atq; ſuperbiam potenter in mundo Satanas exercet. Et qui diabolicis illecebris eiuſmodi captus obtempe rat Satanæ, eum amicum diligit. Illi autem qui non morẽ gerit, qua ratione poterit, incõmodat: Sũma ſummarũ. Nihil prorſum in ſe bonitatis habet mũdus, & ea parte qua melior apparet, totus eſt in diaboli poteſtate. Res ipſa loquitur, mens uidet, mens audit. Qui modò uerbum Dei, ſanctum Euangeliũ turpiter uituperare, nequiter inſectari atq; criminari nõ erubeſcunt, eos in precio contẽplamur haberi, pinguiſſimis donari ſacerdotijs, & magiſtratuum eccleſiaſticorum, mundanorũq; dignitatibus exornari. At qui tu qui pietatem amas ſine patienter, ut alij largiantur, accipiant alij. Deus procul dubio benedicturus eſt illis eo modo, quo D. Paulus Simoni: Actorum. 8.

Nulla ne igitur in mundo ſpes Chriſtianis, aut mica ſalutis reſtat?

Quamuis in hoc mundo Chriſtiana Eccleſia uiuat in regno diaboli, Inter Iudæos, Turcas atque Gentes, nõ aliter atq; roſæ inter ſpinas, tamen hunc glorioſum

glorioſum, ex Pſal. 109. titulũ occupat: Dominare in medio inimicorum tuorũ. Poſitus quidẽ Chriſtus eſt in ſignum cui contradicetur, ſed quod non poterit ſubuerti. Multi præſumunt Eccleſiam perdere, ſed incaſſum. Decretum enim atque certum eſt illud: Portæ inferorum non ualebunt aduerſus illam.

Quid eſt, quod ait: Hęc locutus ſum uobis, ut cùm uenerit tempus illud, reminiſcamini eorum, quòd ego dixerim uobis?

Ea ſunt in afflictione maximo ſolatio Chriſtianis recordaturis uerborum Chriſti monentis, ut tollamus crucem noſtram, & ſequamur, cum ſic & non aliter oporteat fieri, ſtatuente atque decernente Deo omnipotente. Quod ſi non certò ſciremus bonam Dei uoluntatem eſſe, perſecutionem pati, tum caro & ſanguis non poſſent ſubſiſtere uel perdurare. Statim offenderentur (ij potiſſimum qui uerbi prædicatores ſunt) homines. Dicerent enim: Quòd ſi mei, quo doctrinam Euangelicam prædico, laboris hoc futurum eſt præmium, & ea mihi gratia refertur, non in poſterum ego, ſed concionetur, uicemque meam ſuppleat in templo Satanas ipſe. Talia uetus Adam ingratitudinis & iniuriarum impatiens loqueretur, ſi neſciret ſic oporteri fieri. Cùm igitur Chriſtianus non ignoret crucem &

afflictiones primitus à Deo proficiſci, & ſibi per diuinam prouidentiam impoſi, non ad interitum & perniciem, ſed ad emendationem atq; ſalutem. Præterea cùm ſciat Deum in mediis tribulatiõibus atque paſſionibus adeſſe præſentem, patienter omnia ferat, nihil conſternatus malis tolerat in ſilentio manum Dei, & in bono propoſito progreditur, & pergit quod bonum eſt expedire, donec eum dominus conſolatus fuerit elargiendo æternæ uitæ gaudia. Quæ nobis idem pater clementiſſimus concedat: Amen.

IN DIE PENTECOSTES
Euangelium, Ioannis XIIII.

SI quis diligit me, ſermonem meum ſeruabit, & pater meus diliget eum, & ad eum ueniemus, & manſionem apud eum faciemus. Qui non diligit me, ſermones meos non ſeruat: & ſermo quem auditis, non eſt meus, ſed eius qui miſit me patris. Hæc locutus ſum uobis, apud uos manens. Paracletus autem ille, qui eſt ſpiritus ſanctus,

ctus, quem mittet pater nomine meo, ille uos docebit omnia, & ſuggeret uobis omnia, quæcunq; dixi uobis. Pacem relinquo uobis, pacem meam do uobis: non quomodo mundus dat, ego do uobis. Ne turbetur cor ueſtrum, neque formidet. Audiſtis quod ego dixi uobis, uado & uenio ad uos. Si diligeretis me, gauderetis utique, quod dixerim, uado ad patrem: quia pater maior me eſt. Et nunc dixi uobis prius quàm fiat, ut cum factum fuerit, credatis. Poſthac non multa loquar uobiſcum. Venit enim princeps mundi huius, et in me nõ habet quicquã. Sed ut cognoſcat mundus, quod diligo patrem, et ſicut mandatum dedit mihi pater, ſic facio.

Quænam in hoc Euangelio docet Christus?

Principiò tradit quanam re filij Dei cognoscantur, nempe Dei amore, & ex fructibus ab eodem profluentibus amore. Deinde promissa dat, quibus pollicetur se discipulis missurum spiritum sanctum ad consolandum, docendum, & suggerendum omnia, quæ præceperat ipsa. Postmodo pacem eis suam dat, pronuntens se futurum solatio non solum in hac uita, sed etiam in futura.

Quando contigit hæc Euangelij historia?

Post cœnam Domini, breuiore passionem præcedente tẽporis interuallo, quo dixit: Qui habet præcepta mea, & seruat ea, ille est qui diligit me. Qui autem diligit me, diligetur à patre meo, & ego diligam eum, & apériam ei meipsum. Dicit ei Iudas Thadæi: Domine, quid factum est, quod manifestaturus es nobis te, & non mundo? Quasi dicat: Nos ne soli futuri sumus pij, iusti, atq; beati. Quid ad hæc mundus est dicturus? Asseris ne perditos, tot in orbe uiros insignes doctrina, tot mundi sapientes, tot homines sanctos, tot summos sacerdotes, tot denique scribas atq; Pharisæos? Quid nos præ illis sumus? Nõne potius illis te manifestare debebis, quos penes est solos uasti custodia mundi. Quippe si prius illis aperueris te, tum Euangelium tuum prosperioribus

ribus auspicijs procederet. Quid nos terræ filij poterimus efficere? Quis pauperibus nobis piscatoribus, atq; publicanis adhibiturus est fidem? Quid nos expedire, quos in nostram sententiam poterimus pertrahere? Et hæc est eadem quæstio, qua mundus omnis adhuc offenditur hodierno die. Dicit enim argutando: Quinam isti noui sunt concionatores, in antro (quod aiunt) Trophonij uaticinati? Nihil prorsum in momentaneis istis prædicatoribus elucet, quod sanam doctrinam arguat. Quis assentetur eloquijs eorum, qui ablegandi essent in lapicidinas, ad cynosarges, ad coruos? Quis in illorum numero refulget Papa, Cardinalis, Episcopus? Quinam summi Sacerdotes, atque monachorum principes in illorum accedunt sententiam? Proinde si uera illorum esset, atque diuina doctrina procul dubio Deus eam per alios, nempe summos proceres, quorum interest arduà negocia conficere, curasset promulgari, non per homines mendicos, atq; uilia telluris onera.

Quid respondit Iudæ Christus?

Respondit Iesus, & dixit ei: Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, & pater meus diligit eum, & ad eum ueniemus, & mansionem apud eum faciemus. Quasi dicat: mi Iuda, Ego non sum me manifestaturus mundo, cum non sit mei rẽ-

nil, sed propriam sibi uendicet dominationem, qua præsumit mihi leges præscribere, uerbumq; meum pro sua libidine tractare, uisus sibi longè sapientior, quàm ego sum. Quam temerariam atque proteruam arrogantiam ferre nõ possum. Nolo mihi dominentur huius seculi filij. Non sint mei Magistri, sed discipuli. Proinde me sum illis aperturus, qui pauperes spiritu me diligunt, qui sermonem meum audiunt, atque præcepta mea seruant. In meo autem, quod à mundo reuulsum est, regno, par omnium æqualitas erit, nulla personarum futura differentia. Qui Codro uel Iro pauperior, nusquamq; paxillo crediderit in me, fueritq; baptizatus homo, is sacramentorum atq; gratiæ meæ particeps futurus est, iustus atque beatus, æquè ac princeps atque rex.

Quonam signo filij Dei cognoscuntur?

Nulla certior est nota, nullum apertius indicium, quo filij Dei manifestantur, quàm Deum diligere, Verbum Diuinum audire, & præcepta Dei seruare. Ergo qui Deum non diligit, uerbum eius non audit, nec seruat eius mandata, sed odio Deum prosequitur, uerbum contemnit atque calumniatur, atque eius auditores pios, atque ministros persequitur filius Dei non est, sed inimicus Christi, & Satanæ filius.

Quinam

Quinam ex amore Dei promanant fructus?

Sic ait Christus: Pater meus diliget eum, & ad eum uenemus, & mansionem apud eum faciemus. Quasi dicat: Qui diligit patrem, qui uerbum audit, & qui mandata Dei factis bonis perficit, is non modò tutus est futurus ab ira Dei, à Diabolo, morte & inferno, sed etiam futurus est nostra domus, arx nostra, palatiumq; nostrum. Etenim pater & ego conuictores quotidiani, hospitesq; assidui futuri sumus, & æternam apud illum hominem mansionem facturi.

Nonne consolationis pleniſſima sunt ea dicta?

Maximè: Quid enim gratius nobis miseris hominib. accidere, quid felicius euenire possit, quàm nos futuros summæ diuinæ maiestatis templum, mansionem, amœnitatis hortum, Paradisum, imò cœlum ipsum, nostramq; cum rebus uitã feliciter processuram, fortiterq; perduraturam contra portas inferorum, cõtraq; omnes totius mundi furiosas insulturas atq; truculentiam. Deus enim suos conseruabit, nisi pater omnipotens non sit Deus, nec filius, neq; spiritus sanctus.

Quales nam isti sunt hospites?

Sunt mites atq; benefici. Non ueniunt inani, aut uacua manu, nec ingrati recedunt. Et quemadmo-

dum uenientes secum afferunt omnium bonorum thesauros, utpote, gratiæ, atque cœlestium donorum mnemosyna, sic postse relinquunt diuinam benedictionē atq; felicitatem. Quod electro lucidius ostendūt exempla Abrahæ & Loth, Gen. 18, et 19.

Sed licet in pijs & sanctis hominibus habitet Deus, nihilominus tamen illos persequitur mundus?

Verum id est: Nec aliud æquè meditatur mundus, quàm Christum, eiusq; membra persequi. Et in Ecclesiæ Christianæ principio, tanta cædes, tanta q; fuit Christianorum mactatio, ut sæpius uno die fuerint interfecta plus quàm 70000. credentium, ut mundus putauerit Christianam fidem penitus extirpatum, & extinctum iri. Sed quid effectum est? Ecclesia Christiana permansit, & adhuc permanet. Quò plures interficiebantur ab impijs Christiani, tāò plures in locum interemptorum successerunt, quasi uisa fuerit hydra Lernæa secta. Non enim poterat excindi, & aboleri templum, de quo Christus ita dicit: Pater & ego ueniemus, & mansionem in eo faciemus. Quod nullis rationibus uetare, nullisq; modis prohibere potest mundus, etiamsi medius rumpi, aut funditus perire deberet, ut Pharao, Antiochus, Herodes, aut ut deinceps Hierosolyma, cum toto regno Iudaico. Et nostra tempestate clamant Euangelij hostes, et inimici nostri: Tolle eos, tolle eos, & in id utribus omnibus incumbunt, ut funditus deleant Euangelij doctrinam, sed Deus ipse pater, filius, & spiritus sanctus in excelsis sedentes, inquiunt: Terrarum domini non tanto pere ferocite, iras nimias comprimite, à sæuiendo cessate, & nobis permittite, ut unam aut alteram in terris mansionem habeamus, non expellite nos, nec in exilium eijcite. Nobis apud uos conciliet beneuolentiam, quod mundum condidimus, & uos eius dominos constituimus. Quòd si autem eò malitiæ, atq; uesaniæ processistis, ut non beneuoli trucidatores me prosligare conemini, scire debetis, uos iumento (quod aiunt) uestro malum uobis accersituros, & attracturos (ut cæcias solet nubes) mala ad uos, Pyraustæ gaudia gauisuros. Sic ad inuidiam & indignationem mundi atq; Satanæ sunt in hoc seculo Christiani templum, Dei mansio, & palatium, mansuri semper nolentibus uolentibus omnibus creaturis, inuitis etiam omnibus. Nam pater, filius, atq; Spiritus sanctus ita proloquuntur: Qui hostes estis acerrimi, Sathanæ chorus, ac mundi principes, audite: Ecclesiam construximus, eamq; sanctificauimus nostro sanguine, conseruabimus igitur eam, et aduersus furiosos impetus & insanias uestras defendemus, etiamsi præ nimio dolore uindicandi, pectora uestra debeant disilire.

Est

Est ne rursum hæccine magna consolatio?

Maxima est: Qua nos Satanæ atq; mundo possumus insultare, atq; dicere: Vos quæ uestra libido est, insanite, fremite, iugulate, mactate, occidite. Nos manum non uertemus, susq; deq; feremus, qui Christum habemus hospitem, qui Christi sumus habitaculum atq; mansio. Hanc nobis felicitatem eripere non potestis. Quamuis autem corpus atq; uitam nobis abstuleritis, tamen diuinos istos hospites, patrem, filium, atq; spiritum sanctum non ualetis auferre. Hic murus aheneus esto.

Quid aduersarijs hisce Christus dicit?

Sic dit Christus: Qui non diligit me, sermones meos non seruat. Quibus uerbis taxat mundum atque tyrannos, & omnes incredulos. Nam ij Christum non diligunt, nec audiunt Dei uerbum, neque seruant eius præcepta. Nullos unquàm odio capitaliore mundus prosequitur, quàm Christianos. Omnem idololatriam, omnes sectas atque hæreses ferre potest, solùm Christum & eius uerbum tolerare non potest.

Sed cùm à Deo recipiat mundus omnes honores, potestatem & diuitias, cur Christum persequitur, quid inde capit emolumenti?

Fu-

Furoris sui fructum percipit, nempe iram Dei, & inclementiam diuinam, qua sibi ipsi cœlos claudit, atq; Satanam cum infernalibus cateruis et ignibus omnibus imponit ac demergit. Præterea huius mundi diuitias, pacem, & gaudium, amittit, nunq; exigens amœnam aut serenatã ætatem, semper habens uermiculum conscientiam arrodentem. Nam hic indubitatus est sermo, certaq; sententia: Quẽ Christum non diligunt, nec uerbum eius audiunt, neq; eius præcepta seruant, eos nec pater redamabit, neq; uenturus, neq; apud eos mansionem facturus, sed effusurus est super eos iram suam, ut in ijs Satanas habitet cum omnibus infernalibus spiritibus, qui præoccupatos exagitabunt ita, conscientiasq; diuexabunt, ut ad ultimum ad desperationem adacti, rapiantur ad æterna supplicia. Nam ubi dilectio Dei non est, ubi nec uerbum, neque præcepta, ibi mera est ira, et ipsissimus infernus. Præterea apud quem non facit mansionem Deus, ibi suum diuersorium habet infernus. Item cuicunque se Deus per lumen ueritatis non manifestauerit, is permanebit in æterna cæcitate, atque tartarea cordis induratione.

Vbi Christus discipulis suis promisit spiritum sanctum?

Christus ita loquitur: Hæc locutus sum uobis apud uos manens, Paracletus autem ille, qui est spi-

ri

ritus sanctus, quem mittet pater nomine meo, ille uos docebit omnia, & suggeret uobis omnia, quæcunq; dixi uobis. Et paulò antè: Ego, inquit, rogabo patrem, & alium consolatorem dabit uobis, ut maneat uobiscum in æternum, spiritum ueritatis, quem mundus non potest accipere. Quæ uerba Christianis maximæ sunt consolationi, cùm Spiritus sanctus sit apud eos futurus, eosq; docturus in seculi finem. Et ipsi credentes in terris mansuri sint inter incredulos, Turcas, Iudæos, Gentes, Hæreticos, sectas, etiam inter omnes angelos Sathanæ, non aliter atq; lilium inter spinas. Nam hoc loco talis est firmissima promissio, ut maneat nobiscum in æternum, Quæ nos minimè fallet, sed certos confirmabit, ut habentes Dei Verbum atque fidem, possimus alacriter gloriari de sancto, qui in nobis est, spiritu, qui nos consolaturus, docturus atq; sanctificaturus. Hæc enim sui muneris sunt opera. Hinc uocatur Paracletus, consolator, spiritus sanctus, spiritusq; ueritatis.

Quomodo consolabitur?

Certas faciet de bonitate diuina conscientias nostras, ut indubitanter sciamus, nos Dei filios esse. Consolabitur etiam nos in tentationibus, angustijs, tribulationibus, & in omnibus deniq; malis, quæ propter Christum coacti fuerimus sufferre.

Quid docebit spiritus sanctus?

Non

Non fabulas, nec mendacia, neq; traditiones hominum, aut figmenta, sed ueritatem, preciosum Dei Verbum, Euangelicæ doctrinæ catechismon, tabulamq; domesticam, & quicquid utile atq; salutare nobis, ex diuinarũ literarũ sacrario depromptum.

Quænam discipulis in memoriam reuocabit?

Christus inquit: Ille uos docebit omnia, & suggeret uobis omnia quæcunq; dixi uobis. Quæcunq; dixi uobis, ait Christus, non dixero, quemadmodum legunt Papistæ, qui nugantes argumentantur, atq; probant ex hoc loco Spiritum sanctum Papis, patribus aut concilijs inspiraturũ, atq; docturum, quomodo nouis constitutionibus, & cæremonijs inutilibus, nullum in sacris literis fundamentum habentibus, deberent Ecclesiam onerare. Quæ Christi sententia non fuit. Vnde paulò post ait: Propterea dixi, q; de meo accipiet, & annunciabit uobis.

Vbi pacis meminit Christus?

In hoc Euangelio sic ait: Pacem relinquo uobis, pacem meam do uobis. Hæc uerba sunt ultima concionis suæ, qua habita, surgere, & ad passionis locum ire uoluit. Quasi dicat: Vobis pacem meam relinquens ego, uos iubeo ualere, precorq; bonam noctem, ac Dei benedictionem. Hinc migratus ego, nihil uobis in hoc mundo charius aut preciosius relinquere possum, quàm pacem meam, summum

the-

thesaurum, quo consecuturi estis cor intrepidum, & infractum, pacatamq; conscientiam in Deum.

Cur ait: Non quomodo mundus dat, ego do uobis?

Huius mundi pacem opponit ex diametro pacidiuinæ. Quasi dicat: Mundus in pace floret, cùm id facit, quod eius principi Satanæ placet, quèadmodum in papatu contigit. In quo præ nimia tranquillitate, & securitatis ocio uix sciebat quid agere deberet Satanas. In nonnullis igitur ædibus, tabulatis aut templis, nocturnos lemures, striges, fragosq; strepitus excitauit, ac formidinem horripilantibus incussit sub specie laruata flebilis alicuius animæ, desyderantis à supplicio liberari per uigilias, atq; missas pro defunctis, aut nouorũ sæculorũ exructiones. Quarum rerum caussa muros ædidit ludos, uariaq; spectrorum exempla. Et iam nostro seculo, quo lux Euangelica phanaticos illos errores prodit, ac reprehendit, redigitq; ad nihilum eiusmodi diabolicas illusiones, relinquit phantasmata præstigiasq; suas ille mundi princeps, & ad horridiora spectacula crudelitatis adiungit animum, mouet enim prælia seditionibus Respub. inquietat, tartareum irarum uirus per omnia regna diffundit, populos concitat, gentem contra gentem exasperat, multa denq; sectarum inter sese digladiantium

tium introducit genera, perdendo miserabiliter animas infinitas.

Quænam huius discordiæ caussa?

In caussa est Verbum Dei, quod mundus atque Sathanas ferre non possunt, nec tolerare, ut homines pij ad Christum adhærescant, aut bonũ aliquod de eo uerbum loquantur, aut cogitent, sed malunt ut Christum maledictis insectẽtur omnes, eiusq; sanctum uerbum execrentur. Hæc gaudijs illos perfunderet, afferretq; lætitiam summam. Sed aduersus eiusmodi persecutionem nos armemus oportet, ut uirtute sancti spiritus adiuti, possimus dicere: Quãuis insaniant, furant, lanient, mactent, terrasq; cœlo misceant tyranni, mundus, atq; Sathanas, tamẽ Christum saluatorem nostrum confitebimur, prædicabimus atq; glorificabimus, & rumpantur etiam ut ilia Codris, omnem in eo spem nostram collocabimus, precioso eius sanguine, mortisq; uigore cõfirmati. Recte Solomon inquit: Turris fortissima nomen Domini, ad ipsam curret iustus & exaltabitur. Nam qui confidit in Domino, maximam concipit animi robur atq; fiduciã, habens cor lætum atq; conscientiam tranquillam. Consyderat, secumq; reuoluit, quæ & quanta cœlitus acceperit, consecuturusq; sit bona. Principiò, Deus in baptismo concedit remissionem peccatorum, apertiq; cœlos. In altaris sacramento uiuus nos pascit alimonia, po-

tuq;. In uerbi sui ministerio, & Euãgelica doctrina confert nobis gratiam suam atq; benedictionẽ, innumeraq; diuinæ munificentiæ beneficia, nempe bonos, obseruantesq; omnis pietatis atq; iustitiæ parẽtes, magistratus, filios, familiã fidelem, publicã pacem, Reipublicæ tranquillitatem, concordiam domesticam, quotidianũ solem, saluberrimã aëris temperiem, uaria frugum genera, uilem annonam, sanum corpus, integros sensus, syncerum intellectum, & æternam denuq; uitam.

Cur ait Christus: Ne turbetur cor uestrum?

Quemadmodum hanc concionem Christus Ioan. 14. fuit exorsus, ita etiam ad finem perduxit, atq; eodem uerborũ sensu concludit. Q. d. Hæc patris mei cœlestis uoluntas, hoc immutabile decretũ est, ut à uobis ego discedam, & uos meo nomine uarias afflictiones patiamini. Ad eam igitur tribulationis pugnam uos præparetis oportet, ne concidatis in medio cõflictu, sed magnis animi uiribus assumptis fortiter aduersitatũ malignitati resistatis, & semper appareatis imperterriti: nihil uos moueat, uel exterreat, si me uideritis miserabiliter excruciari, et uelut à Deo prorsus derelictũ, trucidari. Nec turbetur cor uestrum, neq; formidet, si propter meum nomen fueritis in exilium electi et profligati, uariisq; malorum procellis iactati. Nam tribulationes

nes uestræ & angustiæ non perpetuò sunt perduraturæ. Ego uadam quidem, et ad tempus à uobis abstrahar, sed tamen ad uos breui rediturus sum, atq; consolaturus. Vnde nihil erit, quòd tristemini propter abitionem meam, sed multò magis lætemini, quòd non migraturus sim ad inferna, sed ad cœlestem patrem, non ad mortem, sed ad uitam æternam, idq; salutis uestræ caussa.

Quid est quod ait: Posthac non multa loquar uobiscum. Venit enim princeps mundi huius, & in me non habet quicquam. Sed ut cognoscat mundus, quòd diligo patrem, & sicut mãdatum dedit mihi pater, sic facio. Surgite eamus hinc?

Hæc dicit: Tempus meum adest, ex hoc seculo mẽ grandi. Sathanas appropinquat, stipatus Iuda, atq; turbis armatis. Irarũ plenus, me crudeliter adorietur. Nam me deuorare, prorsumq; è medio tollere constituit, sed ipse sibi perniciẽ accerset, reperiẽtq; mali fontẽ. Vt aũt mundus uideat, me patri futurũ obedientẽ, atq; me uos, oẽsq; credẽtes mea passione et morte liberaturũ à Diabolo, morte, peccato, & inferno, nihil detrecto genera supplicioru̇ omnia subire. Surgite igitur, eamus. Et hoc iter, & ad mortẽ profectio mea, uobis afferet omne bonũ, imò

Dei gratiam omnem, fœlicitatem, salutem, remissionem peccatorum, atque uitam æternam. Amen.

DIE LVNÆ POST PENTEcosten, Euangelium Ioannis III.

SIC Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret: ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat uitam æternam. Non enim misit Deus filium suum in mundum, ut condemnet mũdum, sed ut seruetur mundus per eum. Qui credit in eum, non condemnatur. Qui uerò non credit, iam cõdemnatus est: quia nõ credidit in nomen unigeniti filij Dei. Hæc est autem condemnatio, quòd lux uenit in mundum, & dilexerũt homines magis tenebras quàm lucem. Erant enim eorum mala opera. Omnis enim qui mala agit, odit lucem: nec uenit ad lucem, ne arguantur opera ipsius. Qui autem operatur ueritatem, uenit ad lucem, ut conspicua fiant facta ipsius, q̃ per Deũ sint facta.

Quidnã in hoc Euãgelio traditur?

Tria potißimum: Primò, cur Deus pater filium suum miserit in mundum. Secundò, quænam bona consecuturi sint illi, qui uera Christum fide suscipiunt. Tertiò, quænam illos pericula manşura, qui Christum reijciunt atq; persequuntur.

Cur igitur in mundum Deus misit suum filium?

Vt filius exuberantem patris beneuolentiam et amorem erga nos aperiret, omnibusq; planum faceret. Quemadmodum S. Ioãnes ait 1. Ioan. 4. In hoc apparuit Charitas Dei, quòd filium suum unigenitum misit Deus in mundum, ut uiuamus per eum. In hoc est charitas, non quòd nos dilexerimus Deum, sed quòd ipse dilexerit nos, & misit filium suum, propiciationem pro peccatis. Quòd si Dei clementia nostri non fuisset misereta, funditus ipsi perijssemus, æterna morte per nostram culpam oppreßi. Quicquid igitur boni nobis accidit, id omne charitati diuinæ acceptum referamus oportet. Nihil boni, imò ne micam quidem gratiæ uel salutis mundus

promereri potuit. Quòd si Christus eo tempore, quo uenit in mundum, uoluisset mundum pro meritis suis iudicare, crudeliorem oportuisset uenire, quemadmodum tempore diluuij, uel exitij Sodomitici. Nil enim sani tum fuit in mundo, nec in toto Iudaismo. Proinde redemptio nostra longè aliam habet causſam, quàm hominum opera atq; merita.

Quæ igitur uera, rectaq; nostræ redemptionis est causſa?

Flagrantissimus amor, & ex intimo cordis paterni recessu promanans Dei charitas. Occasionē maximam habuisset ille, iustāq; summi iuris oportunitatem in nos perpetuò sæuiendi, suaq; ira, & æterno furore persequendi, sed ab indignatione recessit, et omnē, nostri miserum, iram remouit, receptosq; in gratiā, liberauit nos ab omnib. periculis, à diabolo morte, peccatis & inferno, facitq; pios, iustos atq; beatos.

Per quam rem id fecit?

Per fidem in Iesum Christum. Nam sic ait Christus ad Nicodemum: Sicut Moses exaltauit serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis, ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat uitam æternā. Hic audimus, & tanquàm in speculo uidemus, homines per opera legis non iustificari, sed per aspectum suspensi serpentis, hoc est, per fidem, in Christum crucifixum.

Est ne hæc patris uoluntas?

Maximè: Nam ita Christus ait: Deus non misit filium suum unigenitum in mundum, ut condemnet mundum, sed ut seructur mundus per eum. Et pater per Prophetam inquit: Nolo mortem peccatoris, sed potius, ut conuertatur, & uiuat. Et filius: Non ueni condemnare mundum, sed seruare. Et spiritus sanctus: Fragilitati nostræ subueniens, & infirmitatibus auxilians, intercedit pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Quid amplius summa diuina maiestas facere posset. Omnipotens pater uniuersas creaturas uisibiles & inuisibiles nobis subiecit, nutrit, atq; conseruat nos cum corporibus & animabus. Filius redemit nos, & sua passione atq; morte liberauit à Sathana, morte, & inferno: Spiritus sanctus impertit omnia nobis sua dona, gratiā, sapientiā, intellectū, uigorē, robur, consiliū, Dei metū, patientiā, &c. ut in pietate possimus perseuerare.

Cur autē euenit, ut bona pars hominū facilius ac libentius audiant, & acquiescant Sathanæ placitis, quàm Verbo Dei & ob id animarū faciant iacturā?

Ipsi sunt in culpa, meritoq; pereūt. Nam qui amat periculū in illo peribit, Eccl. 3. Quòd si miles quispiā ab acerrimis hostib. suis captus, à principe potentiss. liberaretur, et efferatus is nullam gratiā assertori uel ageret uel haberet, nedū referret, sed magis cuperet apud hostes torqueri, q̄ apud suū redē

ptorem in pace uiuere. Propria igitur temeritate sua corpus & animã amittens, cuinã istius periculi culpã assignabit? Et quid laudis cõsequeretur ille miles, qui cùm diu multũq; per totam uitã suã fortiter præliatus, ac strenuè se gessisset, iam autem habiturus victoriã atq; triumphum, abijceret hastam Rhipaspis, & hostibus sese dederet, multis confici endum uulneribus. Item, qua gloria dignus mercator uel nauta, qui iam exuperatis omnib. maris procellis, tempestatumq; periculis, abiecerit, in portũ nauigans, clauum, permiserit q; nauim temere submergi? Ita nos Christiani nullis sumus honoribus afficiendi, qui nos è tuto conijcimus uecorditer in pericula, permittimusq; nos à Diabolo victo, omnibus uiribus & armis exuto, uinci, raptariq;.

Quid ijs boni cõtingit, qui credunt in Christum?

Quicunq; credit Iesum Christum filiũ Dei pro nobis passum, ac mortuũ, suoq; precioso sanguine pro peccatis omnib. nostris satisfeciſſe, atq; nos gloriosa resurrectione sua iustificasse, hæc qui firmiter credit, iam beatus est, filius Dei, et Christi cohæres, habitans in cœlis, non aliter atq; ciuis æternæ pátriæ, excepto, q. ueterem Adamum diutius adhuc portare cogatur, sentiatq; nihil aliud in hoc mundo, q̃ meræ peccata, diuinã irã, omnesq; tentationes Diaboli, mortis, et inferni. Sed hic adsit prudentia, con

cõiuncta cum animi uirib. ut Christianus ipse possit habere discrimen, inter sensum illum carnis, atque fidem in Dei uerbum, ut alacriter atq; liberè, cõtra omnem carnis sensum, atq; rationem dicere possit. Quamuis ego non sentire ualeam id, neq; tangere, tamen Dei uiuentis sum filius, propter Christum. Verum est quod Ioannes ait: 1. Ioan. 3. Maior est Deus corde nostro. Proinde mordicus tenebo æternum Dei uerbum, in hoc manebo, huc fundamentum ponam, & ergà illud fiduciam habebo solidam, ubicũque etiam benedictum Dei uerbum manserit, aut peruenerit, ibi & ego permansurus, tametsi uideantur etiam reluctari omnia elementa, atque creaturæ. Hæc Christi uerba certissima sunt, mihi tutissimo futura propugnaculo. Qui credit in me habet uitam æternam.

Sed longè aliter mundus loquitur?

Quamuis glorietur mundus atque iactet opera sua, merita, statuta, ceremonias, tamen hoc Christi proloquium (Qui credit in eum non condemnatur, qui uerò nõ credit, iam cõdemnatus est) multò plus ponderis habet ac momenti, quàm infiniti mundi, quanque multa patrum atque conciliorum milia. Quod si Papistæ omnes essent angeli Gabrieles, & uno ore clamarent iugiter. Opera iustificant. Sacrificium est missa. ITEM. Papa est caput Ecclesiæ, tamen superius Dei uerbum futurum, ista nugæ

menta ueluti paleas ad nihilum redigat, etiamsi tot Canones, totq; decretales haberent illi, quod tellus gramina, syluæq; folia, uel,

Quot lepores in Atho, quot apes pascuntur in Hybla.

Cærula quot baccas Palladis arbor habet.

Rectè Diuus Augustinus: Sileant, inquit, uoces humanæ, ubi sonant diuinæ. Et Zachariæ. 2. Sileat omnis caro à facie Domini. Et Abacuc. 2. Dominus in templo sancto suo, sileat à facie eius omnis terra.

Cum nulla debeat esse bonorum operum, atq; meritorum fiducia: Nihil igitur boni faciet Christianus?

Semper, sine intermissione Christianus quod bonum est, operari debet, & fidem suam bonis fructibus exornatam ostendere. Sed in bonis suis operibus non debet confidere, nec salutis spem collocare. Nam si iustificaremur ex operibus nostris, iam non esset gratia, Dei gratia, sed debitum & æqua retributio. Soli Deus sibi iustificationis titulum atque palmam attribuit. Et Deo soli debetur honor & gloria. Probè Sanctus Paulus ait ad Galat. 5. Christus factus est nobis otiosus, quicunque per legem iustificamini, à gratia excidistis. Et Christus ait: Ego sum uia, ueritas atque uita. Quod uerissimum Dei uerbum in æternum manebit, licet maxima hominum

minum pars uias ad salutem alias sibi quærant. Turcæ per Alcoranum contendunt in cœlum ascendere. Sacedotes Baalis per sua sacrificia, in quibus incidere solebant se iuxta ritum suum cultris & lanceolis, donec perfunderentur sanguine. Papistæ per fulgidos apparatus templorum, per ceremonias & per tot ordinum decreta, cœnobiorum statuta, atque opera. Sed Christiani debent nominis sui recordari, atque cogitare unde nomenclaturam habeant, cum primis in cuius uerba iurauerint, nimirum quòd non baptizati sint in nomine Moysi, patrum, Papæ. Sed in nomine patris, & filij, & spiritus sancti. Num Moses, patres, Papa, num etiã Paulus crucifixus est pro Christianis, aut in nomine illorum baptizati? Christum igitur solum amplexentur Christiani, et relinquãt Iudæis suum Thalmut, Turcis Alcoranum, Papistis Papam. Quòd si Moses, uel Papa, uel ullus homo nos potuisset saluare, quid necesse fuisset Christum nasci, atque crucifigi? Summa summarum: In causa iustificationis nulla nobis potest auxiliari creatura, nulla sapientia, nulla potestas, nulla denique maiestas, nisi solius eius qui dicit: Ego sum uia, ueritas, & uita. Nemo uenit ad patrem, nisi per me solum. Quis Alexandro potentior? Quis Hectore uel Achille robustior? Quis Romanis fortior? Quis opulentior Cræso, Attalo, Mida? Quis Aristotele perspicacior?

perspicacior? Quis eloquentior Cicerone? Quis denique sapientior philosophis? attamen eos sua nō potuerant animi uel corporis aut fortunæ bona iustificare, beatosq; facere. Nostra igitur iustificatio atq; salus omnis, pendet ex meritis atq; passiōe Christi. Hic est, ut Ioannes ait, Agnus Dei, qui tollit peccata mundi.

Quænam causa est, quapropter multi homines condemnentur?

Christus ait: Hæc est condemnatio. Quòd lux uenit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras, quàm lucem.

Quid est lux, quid tenebræ?

Ioannis. 8. Christus inquit: Ego sum lux mundi, Qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen uitæ. Tenebræ autem sunt corrupta perditaq; natura nostra, caro, sanguis, ratio, opiniones, sententiæq; non uenientes ex fide. Nam rationis nostræ sapientia cùm Dei uerbum non sequitur, ueluti caduceatorē, uel antesignanum ducem, in tenebris turpiter aberrare solet, atq; grauiter impingere: quemadmodum uidemus accidere non solùm in Iudæorum, sed etiā in Christianorum multitudine.

Quî fit hoc?

Nam si Iudæi lucem mundi Christum suscepissent, atque eius uerbo credidissent, in horribile Dei iudicium

iudicium non incidissent. Sed quid agebant? Tenebras magis, quàm lucem diligebant. Manserunt igitur in tenebris, atq; mendaciorum crassissimis nebulis. At quid aduersarij nostri, atq; inimici crucis Christi? Lux modò lucet, atq; clarissima resplendet in mundo, Euangelium prædicatur, Via salutis aperitur, sed ostensum ueritatis iter illi non ingrediuntur, nō acquiescunt sanæ doctrinæ. Nolunt lucem, nec possunt ferre. Quemadmodum luscioſi habentes glaucomata densa, uel oculorum ulcera luminis splendorem pati non possunt. Ita qui prauam, cauteriatamq; conscientiam habent, coruscantem ueritatis fulgorem nequeunt tolerare. Versantur igitur in tenebris aduersarij nostri, fenestras atque ianuas occludunt, ne sol irradiet, & eis illucescat Euangelij claritas. Verbum Dei nolunt audire, nedum suscipere, imò uel aliquem minimum eius rumusculum admittere nolunt, ne detur occasio uel argumentum ad Christi cognitionem, animæq; salutē perueniendi. Sed fulgidissimæ lucis radij non possunt impediri. Lucidissimus sol obstātes nubes perrumpit, atq; ui sua, cùm tempus est, pertranſit, non reprimens suum lumen, etiamsi nonnulli malint homines in opacis locis indulgere somno. Nōnulli quidem poterunt lodicibus & stragulis obtecti pigrescere, sed nihilominus suo fulgore sol omnia climata perlustrat, terrasq; peragrat. Et modò sol iusticiæ Iesus

Iesus Christus, sacrosanctum Euangelium remissis omnibus obstaculis erumpit, etiamsi omnes noctuæ atq; uespertiliones illius lumine prorsum occæcari deberent, & portæ inferorum diffringi.

Quænam est causa talium induratarum tenebrarum?

Christus ait: Erant eorum mala opera. Omnes enim qui mala agit, odit lucem, nec uenit ad lucē, ne arguantur opera ipsius. In magistratuum Ecclesiasticorum simul ac ciuilium numero, complures inueniuntur, quorum si reprehenderis opera, statim seditiosus aut hæreticus ab ijs damnabere, qua malignitate produnt conscientiam suam pessimam. Nā qui bene uiuunt, rectēq; faciunt, ij libenter patiuntur, suam uitam, doctrinæ professionem, statum, & omnia deniq; sui muneris opera non modo propalam referri, sed etiā ab omnibus in toto mundo prædicari. Contrà, qui turpem exigunt ætatem, & iniqua patrant, populi iudicium ferre non possunt, sed exhorrent, si quis tacito sermone loquatur. Nā sibi conscij de se putant omnia dici. Hij fructus sunt eorum, & eorum ducum. Sed quid ad arma mouet, & in odium, iramq; tam uenenosam rapit, ac inflāmat Papistas, ut tantopere ueritatem Euangelicam persequātur? Nihil aliud quàm uerbi ministerium, quo reteguntur eorum opera tenebrarum, & per iusticiæ

iusticiæ solem, Euangelium, orbi toti manifestantur. Hinc illæ lachrymæ, Hic ille hydrus in dolio. Quāuis autem ipsorum conscientia negare non possint falsam & impiam esse doctrinam atque uitam, tamen non cessant in Christum insultare cornibus suis, atque capitibus murum perfringere. Sed experientur idem, quod Iudæi. Etenim qui ceciderit super lapidem, hoc est petram Christum, confringetur, super quem uerò ceciderit, conteret eum Matthæi. 21.

Quænam est huius Euangelij summa?

Hæc summa est: Vnicus ille dilectus Dei filius, Saluator mundi Christus, uera lux, quæ illuminat omnem hominem, uenit in hunc mundum. Quemadmodum autem sol exoriens claritate sua non modò quicquid in terris est, exhilarat, sed etiam efficaciter præstat, ut omnia uel hominum uel pecudum genera possint negocijs suis commodum insudare, expedire, neruos intendere, & omnia deniq; corporum membra pro uotis exercere. Præterea calore suo fouet, nutrit, maturat oēs fruges, fructusq; producit in agris, hortis, ac in syluis. Sic item Sol iusticiæ Iesus Christus, Dei filius, per Euangelium suum facit. Nam illucescens non modò corda, atque conscientias afflictorū hominum lætificat, sed etiam per spiritum sanctum operatur, dat uires,

uires, administrat gratiam, dona suppeditat, de uirtutes confert, ut ad salutem conducentes boni fructus, atq; Deo placentia bona opera possint produci, eaq; perfici, quæ uoluntas diuina requirit. Et solus Christus est gratiæ thronus, profunditas diuitiarum, uas gratia plenissimum, è cuius exuberanti copia depromenda nobis, & haurienda Dei beneuolentia, gratia, misericordia, bona conscientia, iustitia, remissio peccatorum, et æterna denique uita. Ex hoc ipso uase, atq; gratiæ uitæq; fonte biberunt omnes Patriarchæ, & omnes Prophetæ, ab Adam usq; ad hodiernum diem, & ex eodem bibituri sunt omnes credentes, usq; ad seculi finem. Hinc est quod omnes homines ad sese Christus uocat, inquiens, Ioannis. 7. Si quis sitit, ueniat ad me & bibat. Qui credit in me, sicut dicit scriptura: Flumina de uentre eius fluent aquæ uiuæ. Et Ioannis quarto: Quisquis biberit ex aqua quam ego dabo ei, non sitiet in æternum, sed aqua quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in uitam æternam. Quod exundans diuinæ gratiæ flumen describit D. Paulus ad Titum 2. dicens: Apparuit gratia Dei, salutifera omnibus hominibus, erudiens nos, ut abnegata impietate, & mundanis concupiscentijs, sobriè, & iustè, & piè uiuamus, in præsenti seculo, expectantes beatam illam spem, & apparitionem gloriæ magni Dei, & seruatoris nostri Iesu Christi: Cùm igitur nos è Domino nostro

nostro Iesu Christo deprompsimus et hausimus gratiam, remissionem peccatorum, atq; uitam æternã, à nobis etiam profluere debet honesta uita, modestia, temperantia, continentia, & aliæ uirtutes, ne corporis procacitas animam suffocet.

ITEM, à nobis promanare debent opera bona, quibus proximo nostro seruiamus, consolemur & adiuuemus, quibuscunq; rebus, corporalibus & spiritualibus, id facere possimus, ex charitate non ficta, sed ex intimis animi penetralibus profectum.

ITEM, toto pectore in id incumbere semper, ut piè uiuamus, Deum timeamus, diligamus, imploremus etiam in necessitatibus nostris, & certa fiducia cõcepta de Deo nobis omnia bona polliceamur, credamus misericordissimum patrem, qui fugientes ad se peccatores, atq; resipiscentes nolit auersari. Debemus igitur eius benedictum nomen laudibus euehere, ubiq; gentium prædicare, atq; glorificare. Et sacramentis eius, quemadmodum ipse instituit, uti, atque gratias agere, ut tandem per Dei gratiam participes gloriæ fiamus æternæ. Amen.

DIE MARTIS POST PENTEcosten, Euangelion Ioannis. 10.

AMen amen dico uobis: qui non intrat per ostium in stabulum ouium, sed ascendit aliun-

de, ille fur est & latro. Qui autem intrat per ostium, pastor est ouiũ. Huic ostiarius aperit, et oues uocẽ eius audiunt. Et proprias oues uocat nominatim, & educit eas. Et cùm proprias oues emiserit, ante eas uadit, & oues illum sequũtur, quia nouerũt uocem eius. Alienũ autem non sequentur, sed effugient ab eo: quia non nouerunt uocem alienorum. Hoc prouerbium dixit eis Iesus. Illi autem non cognouerunt, quæ essent quæ loqueretur eis. Dixit ergo eis iterum Iesus: Amen amen dico uobis, ego sum ostium ouium. Omnes quotquot ante me uenerunt, fures sunt & latrones, sed non audierunt eos oues. Ego sum ostium: per me si quis introierit, seruabitur: & ingredietur,

gredietur, & egredietur, & pascua inueniet. Fur non uenit, nisi ut furetur, & mactet, ac perdat. Ego ueni ut uitam habeant, & abundantius habeant.

Quænam in hoc Euangelio traduntur?

Duo potissimùm. 1. De bonis & malis pastoribus, & quod in utros q; discrimen. 2. Quomodo sese debeant oues erga illos gerere.

Quomodo Christus bonum pastorem describit?

Bonus (inquit) pastor ouium est, qui intrat per ostium, hoc est, qui rationibus æquis, & Christiana uocatione accersitur ad officium prædicandi, quique munere suo piè fungitur, & adminustrat ad institutionis Euangelicæ normam.

Oportebit ne pastorem uocari?

Maximè. Nam qua ratione poterunt rectè docere, qui non à Deo uel ab ijs, quibus uelut interpretibus utitur ille, uocati? Et profectò prædicandi munus non uersatur circa res scrutarias, aut Calabri hospitis, xenia, sed spectat ad hominum non diuitias, quæ amissæ poterunt recuperari, sed animas

aut saluandas, aut perdendas in æternum. Requirit igitur hominem inculpatum, pium, sobrium, iustum, potentem exhortari per sanam doctrinam, & contradicentes conuincere.

Quid est ostium?

Ipse Christus interpretatur, inquiens: Amen amen dico uobis. Ego sum ostium ouiū. Omnes quotquot ante me uenerunt, fures sunt & latrones.

Quid? Sunt ne fures igitur Moses, atq; Prophetæ alij, qui ante Christum uenerunt?

Minimè. Nam ante Christum uenire, significat hic, aliter docere, quàm Christus ipse docuit. Moyses quidem, atq; Prophetæ longo temporis interuallo præcesserunt Christum, sed tamen contra Christum nihil prædicauerunt.

Quinam igitur sunt isti fures atq; latrones?

Omnes quicunq; non uocati sese ingerunt officio prædicandi. Primus omnium furum princeps, & animarum homicida Sathanas est, qui numerosissimam post se familiam reliquit utpote Cayn, Cham, Hismaelem, Esau, Sacerdotes Baalis, Principes Sacerdotum, Pharisæos, Saducæos, Hæreticos, Papistas, Anabaptistas, qui omnes Christi furantur honorē, atq; doctrinis falsis animas interficiūt.

Quomodo

Quomodo se gerit bonus pastor, & quid agit?

Bonus pastor intrat per ostium in stabulum ouium, & uocem eius audiunt oues, & propria oues uocat nominatim, & educit eas. Vadit ad eas, pascit, reducit, & ubi periculum imminet, ponit animam suam pro eis.

Cur se pastorem, & ostium ouilis, appellat Christus, Ecclesiam ouile, Spiritum sanctum ostiariūm?

Humilis ea nominandi ratio maximam consolationem attulerit Christianis, qui fortasse maximis potestatum summarum titulis potuissent exhorrescere. Quid autem humilius, & abiectius in mundo, quàm pastoris, aut opilionis nomē. Quod humilius ædificium quàm ouile, imò ostium ouilis? Attamen huius nominis Christum minimè puduit. Et ouis adeo simplex, et brutū animal est, ut prouerbio locū faciant ouium mores, attamē Christus earū nomine credentes, atq; Dei filios appellat. Et cur se Christus non uocet pastorem, cùm nemo maiorem pro suis ouibus gesserit curam, & habeat adhuc, quàm Christus? Væ illis, qui nolunt oues esse Christi, sunt enim lupis infernalibus prædæ futuræ.

Quid hisce uerbis intelligit Christus, per mesi quis introierit seruabitur?

Hæc est Christi sententia: Pharisæi, & eorum similes sese uenditant, atq; iactant Doctores, Magistros, & Pastores, sed ubi contemplatus fueris, & excussferis eorum doctrinam, opera, habitus, atq; uitam, inuenies meros lupos, fures, & animarum trucidatores. Nam doctrina merum est uenenum, uerba nihil aliud quàm seductiones, opera nihil nisi cõdemnatio, uita nihil præter offendicula. Volunt aliorum esse magistri, qui nunquam fuerunt discipuli: Volunt imperare, qui nunquam paruerunt imperio: Volunt esse pastores, et oues pascere, qui nunquam didicerunt. Væ uobis qui apponitis ouibus illita ueneno pabula, mortem pascentibus afferentia. Per ostium in stabulum deberetis ingredi, & uerbum Dei prædicare, sed traditiones atq; somnia uestra docetis. Per me uerum & unicum mediatorem deberetis ad patrem uenire, sed explosome, quæritis aliud in cœlum iter, & deuia lustra.

Est ne præsens hoc Euangelium de solis pastoribus intelligendum?

Quæ Christus hic dicit de uerbi ministris, eadẽ etiam uult de auditoribus intelligi. Non enim solùm prædicatores Euangelij, sed etiam auditores oportebit ad ouile per Christum uocari. Positum est utrunque in Dei potestate, prædicare & audire. Et quemadmodum Christus nihil aliud præcepit doceri, quàm Euangelium, ita nihil aliud mandauit audiri, quàm hoc ipsum. In summa prædicatores & auditores simul oportebit à Deo præsidium, spem atque salutem expectare. Et Christus omniũ pastorum princeps, uicarios pastores omnes, simul ac oues uocat.

Oportebit ne igitur omnes uocari?

Maximè. Nam non uocati prædicatores, ut sunt hæretici, Anabaptistæ, alijq; seductores spiritus, nihil promouent, nec boni quippiam expediunt, sed faciunt in Ecclesia turbas, offendicula pariũt, seditiones excitant, hæresin, errores, & pestifera bonas inter fruges zizania producũt. In rebus Euangelicis, ubi negocium agitur animæ, nõ conuenit uocari, neminem uerũ nisi uocatum oportet, sua ui nemẽnem se decet ingerere, sed expectare dum uel à Deo cõmunibus Ecclesiæ suffragijs uocetur, atque sic per ostium in stabulum ingrediatur.

Quid accidit ijs, qui per ostium intrant?

Christus ait: Per me si quis introierit, seruabitur, & ingredietur, & egredietur, & pascua inueniet.

Quid pascua?

Pascua nihil aliud est, quàm Dei uerbum. Nam

ubi uerbum est diuinum, ibi rerum omnium copia redãdat, ibi omnis est fœlicitas atq; salus: contrà, ubi non fuerit illud salutare pascuum, ibi mera fames, & omnium inopia rerum. Ibi contingit quod 1. Ca. *Iohel Propheta dicit, computruerunt iumenta in stercore suo, demolita sunt horrea, dissipatæ sunt apothecæ. Quid ingenuit animal, mugierũt greges armenti? Quia non est pascua eis, sed & greges pecorum disperierunt. Quare & pastores, mœrore atq; calamitatibus affecti, languent.*

Quid est, quod Christus ait, ego sum ostium?

Hoc est, Ego solus ille sum uerus Magister, Doctor, atq; pastor. Qui meus est discipulus, qui meã uocem audit, qui deniq; monitis meis obtemperat, is aberrare non potest, nec falli, neq; perire. Ego meas oues in saluberrimam pascuam duco, nempe in sanctam scripturam, in amœnissimum, & pinguissimum pratum, in salutiferum Euangelium, unde pabulum dulcissimum carpere possunt, et eulogias gratiosa, diuinas q; promissiones, quæ omnia si demiserint in corda, atq; firmiter crediderint, ab periculis omnibus liberabuntur in æternum.

Quomodo Christus describit malos pastores?

Sic ait: Amen dico uobis, qui nõ intrat per ostiũ in stabulũ, sed ascendit aliunde, ille fur est, et latro.

Quinam

Quinam non intrant per ostium?

Qui se non uocatos ingerunt Verbi ministerio, sed spe lucri ueniunt sua sponte, atq; se pertinaciter intrudunt. Item, quos fauore uel largitionibus ipsi suffragatores corrupti, suscipiunt.

Possunt ne boni quippiã efficere, qui non uocati ueniunt ad prædicandi munus?

Nihil omnino. Christus enim ait: Fur non uenit, nisi ut furetur, & mactet & perdat. Ostiarius ei non aperit, qui non intrat per ostium, sed adscendit aliunde: Cui autem non fuerit ostium apertum, is Christum non potest cognoscere, nec uitæ salutisq; doctrinam acquirere uel percipere, multò minus ingredi & egredi, & pascua inuenire. Quomodo poterit is Christum utiliter docere, qui diuinorum ignarus præceptorum, non nouit Christũ? Quomodo fidei iustitiam, diuinamq; gratiam prædicabit, quam extremis digitis non attigit, nec olfecit naribus summis. Quomodo pascet oues is, qui per totã uitã suam non didicit ouium curã habere?

Quid accidit apud eiusmodi pastores?

Nihil prorsum, nisi furari, prædari, mactare. Honorem Christo detrahunt atq; furantur, qui iustificationem operibus humanis ascribunt, cùm ea sola profluat ex meritis Christi. Sequũtur hæc pia

culum homicidia, cùm per doctrinas falsas, & prodigiosa mendacia tot animas à Christo seducunt, et concionibus suis profligant ad Tartara. De quibus pastoribus Hieremias capite 23. Væ pastoribus, inquit, qui desperdunt & dilacerant gregem pascuæ meæ, &c. Et Christus Matthæi 7. Cauete uobis à pseudoprophetis, &c.

Quomodo sese gerent oues erga pastorum genus utrunq;?

Christiani, ut oues Christi, bonum pastorem illum Christum cognoscere debent, et uocem eius audire, sequi, atque permittere se pasci. Similiter & Christi uicarijs, pastoribus, obtemperare. Atqui malorum pastorum doctrinas atq; uoces non audire, neq; sequi, sed procul fugere.

Quomodo euenit, quòd oues Christi citò cognoscũt boni pastoris uocem, ac sequuntur?

Quoniam sanis pabulis assueuerunt, semel ex Euangelio decerpserunt, atq; demiserunt in pectora, firmiter credentes in angustijs, cruce, passionibus, agnitione peccatorum, conscientiæ tremore, tribulationibus, & breuiter in omnibus necessitatibus, maximisq; periculis nullam aliam nobis consolationem atq; salutis spem esse repositam, quàm in solis Christi meritis, et eadem ijs tantummodo profutura, qui fide nõ inani mortuaq; comprehendunt.

Et

Et quoniam boni pastores ad solum Christum ducunt, libenter oues sequuntur, nihil addubitantes, quin illorum doctrina sit à Deo. Obediunt igitur, atq; recipiunt illos, ut ueros uerbi ministros, iuxta illud Matth. 10. Qui recipit uos, me recipit, &c.

Quid oues faciunt adueniente fure atq; latrone?

Cùm lupus, fur, latro, pseudopropheta, mendaciorumq; prædicator uenerit, & aliam iustitiam docuerit, quàm eam, quæ recta fide procreatur, statim oues eam doctrinam Euangelica statera librata, expendunt, iudicant falsam, & ut damnatam explodunt. Non audiunt igitur eiusmodi concionatorem impurum, nec sequũtur, sed effugiunt ab eo, quia non nouerunt uocem alienorum.

Quis euocat, facitq; bonos pastores?

Verus ille pastorum princeps Christus.

Quisnam malos protrudit?

Spes lucri, cupiditas habendi, procax arrogãtia.

Quis fures facit atq; latrones?

Sathanas, qui ab initio homicida, uanitatis omnis, atq; mendaciorum pater.

Quomodo pastores inter se discerni possunt?

Ex uerbis eorũ et operibus dinoscũtur. Boni pastores prædicant Euang. & salutari pabulo, nẽpe

Dei

Dei Verbo pascunt suas oues, atque sagnant. Sic uocationi suæ respondent, ac in matrimonio uiuunt, ut bonum ab incolis & extraneis habeant testimonium, sese præbentes formam bonorum operum. Contrà faciunt pastores mali, qui nugamēta, somnia, mendacia q; prædicant, Diabolica doctrina miseras animas occidunt: Sic ætatem exigunt in libidinibus, atq; scortationibus, ut maximo sint hominibus omnibus offendiculo. Facultates Ecclesiasticas turpiter abligurunt, sed nihil faciunt interim, quod prosit ouibus, uel ædificet ouile.

Quomodo poterunt internosci discriminatim oues, & olentes hirci?

Vtroq; uerba distinguunt et opera. Oues Christi colloquijs delectantur, quæ sunt de rebus diuinis, ut de Euangelio, fide, & quæ gerunt in corde ueritatis eloquia, ea comprobant uitæ sanctimonia. Sed fœtentes hirci loquuntur, crepanteq; mera Sathanæ mendacia, blasphemias, ut multos prauis colloquijs corrumpant, & turpibus uitæ exemplis offendāt. Verissimū igitur illud Christi dictū: Qui ex Deo est, uerba Dei audit, qui non audit, ex Deo non est. Item, Oues meæ uocem meā audiunt.

Sed quid faciendum in tanta pastorum & sectarum diuersitate atq; factionibus?

Mor

Mordicus tenendum erit, quod D. Ioannes scribit. 1. Ioan. 4. Charissimi, ne cuiuis spiritui credatis, sed probate spiritus, an ex deo sint. Item S. Paulus 1. Thess. 5. Omnia probate, quod bonum est tenete. Item Christus ipse, Mat. 7. Cauete uobis à pseudoprophetis. A fructibus ipsorum cognoscetis eos. Quòd si bonus Euangelion prædicans tibi contingit pastor, eum ut patrem dilige, tanquam fidum ministrum enutri, audi, atq; sequere uelut Episcopum uerum, & animarum curatorem uiglem. Quòd si autem nactus fueris mercenarium, auaritia, uel aliis contaminatum flagitijs, qui Dei Verbum docet, audi patienter, magis ad ea quæ dicit, quàm quæ facit, attentus, magisq; Deum orans, ut irreprehensibilis euadat. Quòd si prodierit tibi concionaturus lupus, fur, aut latro, non aliter atq; Sathanam ipsum fugito. Nem hic oleum & opera perditur.

Quid summatim hoc nos Euangelium docet?

1. Quòd si Christus pastor noster esse debet, nos oues oportebit sequi, & iuxta illius præcepta cursum nostrum dirigere, non secundum cerebrosum atque temerarium nostrum propositum aberrare, uel euagari scandendo saltuosos montes, aut arduas rupes.

2. Quamuis magna crudelium luporum, furum, atq; latronū multitudo cingat ouile, & insidias po

nat

nat ouibus, ut pernicioſis doctrinæ falſæ dolis interceptas occidant, tamen eam oues Chriſti conſolationem habent, atq; ſalutis ſpem certam, qua nouerũt ſe tutas propter Chriſtum, qui propugnaculum earum, qui ſepes, murus, ianua, porta, turris.

3. Omnium paſtorum princeps Chriſtus, uicariis ſuis gregem fideliter paſcentibus, immarceſſibilem gloriæ coronam daturus eſt. Atq; ille idem paſtor Deus Zabaoth, Dominus exercituum, qui multis angelorum militibus circũdatus, oues ſuas protegere poſſit, & ab omnium hoſtium inſultibus tutas cõſeruare, letasq; reducere ad ouile, nempe ad cœleſtem patriam atq; uitam æternam. Amen.

DOMINICA TRINITATIS.

Euangelium Ioannis III.

ERat homo ex Phariſæis, Nicodemus nomine, princeps Iudęorum: Hic uenit ad Ieſum nocte, & dixit ei: Rabbi, ſcimus quòd à deo ueneris magiſter: Nemo enim poteſt hæc ſigna facere quæ tu facis, niſi fuerit Deus cum eo. Reſpondit Ieſus, & dixit ei: Amen,

Amen amen dico tibi, niſi quis natus fuerit è ſupernis, non poteſt uidere regnum Dei. Dicit ad eum Nicodemus: Quomodo poteſt homo naſci cùm ſit ſenex? Num poteſt in uentrẽ matris ſuæ iterũ introire, ac naſci? Reſpõdit Ieſus: Amen amen dico tibi: niſi quis natus fuerit ex aqua & ſpiritu, non poteſt introire in regnum Dei: Quod natũ eſt ex carne, caro eſt, & quod natum eſt ex ſpiritu, ſpiritus eſt. Ne mireris quod dixi tibi, oportet uos naſci è ſupernis. Spiritus ubi uult ſpirat, & uocem eius audis, ſed neſcis unde ueniat, & quò uadat. Sic eſt omnis qui natus eſt ex ſpiritu. Reſpondit Nicodemus, & dixit ei: Quomodo poſſunt hæc fieri? Reſpondit

Ie-

Iesus, & dixit ei: Tu es ille magister Israelis, & hęc ignoras? Amē amē dico tibi: quod scimus loquimur, & quod uidimus testamur, & testimonium nostrum non accipitis. Si terrena dixi uobis, et nō creditis, quomodo si dixero uobis cœlestia crediturí sitis? Et nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit è cœlo, filius hominis qui est in cœlo. Et sicut Moses exaltauit serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis, ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat uitam æternam.

De quonam dicit hoc Euangelium?

De Nicodemo dicit, ostendens qualis fuerit, & quomodo commeauerit ad Christum noctu, ut eo tempore sermonum eius fieret particeps.

Qualis fuit Nicodemus?

Gra-

Grauissimus homo, magnæ uir authoritatis, unus Pharisæorū, magister Iudæorum. Si contempleris ciuilem potestatem, principum unus. Si consyderes doctrinam, doctissimorum unus. Si respicias religionem, externumq; habitum, sanctissimorum unus.

Cur igitur noctu uenit ad Christum?

Propter metum Iudæorum. Nam sine diuina gratia non aliter solet facere caro & sanguis. Non fuit in Nicodemo tantus animus, nec tanta fortitudo, neq; tanta authoritas, potestas, sapientia, sanctitas, ut ausus fuisset interdiu Christum accedere. Metuit enim ne non à Iudæis haberetur anathema, & ciiceretur è Synagoga.

Quid apud Christum faciebat?

Eum familiariter alloquebatur, & candidius ultrò citroq; differentem, audiebat

Qualis nam fuit Nicodemi disputatio?

Non fuit suspiciosa, uel insidiosa, qualis Iudæorum de numismate census, nec stomachosa uel inuidiosa, qualis Saducæorum de resurrectione mortuorum, neq; fastuosa uel superciliosa, qualis Pharisæorum cupientium uidere signa de cœlo, sed ciuile, syncerūq; fuit colloquium. Venit enim ad Iesum non tentandi, nec obseruandi, nec insidiandi, neque fallendi studio, sed gratia discendi, atq; cognoscen

ri quomodo posset homo saluari.

De quibus igitur rebus disseruerit?

De *iustitia carnis, & de iustitia spiritus.* Hanc *defendit Christus, illam Nicodemus, sed ita ne clamosa pertinacia saniori iudicio repugnauerit.*

Quid mouebat Nicodemum, ac præbebat ansam disputandi?

Ad colloquium induxit sitis iustitiæ, ratioq; salutis æternæ. Sed cùm Nicodemus audiret, quòd Christus suos discipulos doceret: Iustificationem non esse petendam ex operibus legis secundum Mosen, nec hauriendam ex traditionibus patrum, secundum opiniones Pharisæorum, sed tantùm depromendam ex Euangelio, tradente iustitiam recta uia quærendam, non in operibus legis, nec hominum meritis, sed in fide in Iesum Christum, cumq; uideret maxima signa, miracula et prodigia, quibus ipse Christus suam doctrinam confirmabat, utroq; (ut aiunt) nutans sententia dubitabat, utri parti calculum album addere deberet, illinc antiqua legis Mosaicæ consuetudo, receptusq; cæremoniarum ritus obstabat. Hinc mouebant admiranda signa, & diuina Christi facta. Ergo cùm ingenij cultu magister excelleret, sacrarum literarum peritissimus, doctrinam Christi tot signis approbatam

tam, non facile poterat, ut impiam, reijcere, uel reprehendere. Nec etiam salua conscientia, ualuerat eandem Mosaicæ legi repugnare uisam, admittere. Quapropter, ut iniectus ille scrupulus eximeretur, omnisq; tolleretur ambiguitas, ad Christum uenit, ad discendum, quod ignorabat. Quo suo facto Nicodemus hic, in extremo iudicio condemnabit omnes, qui maximam sibi sapientiam uendicantes & summâ humani iudicij censurâ arrogantes, Euang. ueritatem aspernãtur, atq; proculcant, reputantq; maximi loco dedecoris, per Dei Verbũ erudiri.

Quid ad Christum dicebat Nicodemus?

Exordio syncero captans beneuolentiam, salutabat Christum, & ait: Rabbi, scimus quòd à Deo ueneris magister. Nemo enim potest hæc signa facere quæ tu facis, nisi fuerit Deus cum eo. Quasi dicat: Tua sancta uita, salutaris doctrina, inaudita signa & prodigia mihi persuadent, & inducunt, ut nihil mali de te cogitare possim, nedũ suspicari. Nec eo moueor, quo summi nostri sacerdotes offenduntur, q, habes commerciũ cum publicanis et peccatorib. id enim attribuo tuæ bonitati. Verũ hoc unum me torquet, mordetq; cõscientiã meam, quod præcipis & doces de fide, cui soli omnia ad animæ salutem pertinentia refers accepta, Mosen eleuans, atque reijciens cum omnibus legis operibus.

Ego multos iam annos ego Phariſæum, qui non poſtremas inter doctiſſimos atq; ſanctiſſimos tenui, ſed ſi tua fuerit doctrina uera, nullam hactenus uel ſapientiæ, uel ſanctitatis meam conſecutus eſſem, nec ullam ueræ iuſticiæ ſcintillam nactus, tot meis ſudorum laborumq; moleſtijs. Hoc igitur quid ſibi uelit ignoro. Eſſet miſerabile dictu, ſi per tam longa tempora fruſtra laboraſſem, nec ullum ex tot meis uigilijs atque ieiunijs iuſticiæ fructum retuliſſem, ſed incaſſum operatus omnia. Quod non modò mihi, ſed etiam Iudæis omnibus graue, durum, & horribile. Aut igitur doctrina tua falſa erit, aut eam non ſatis aſſequor. Proinde tuam ſententiam mihi declares precor, ad iuſticiam & animæ ſalutem aſpiranti.

Quid reſpondebat Chriſtus?

Amen amen, inquit, dico tibi, niſi quis natus fuerit è ſupernis, nõ poteſt uidere regnum Dei. Quaſi dicat: Quòd ſi ueniſti ex me auditum, quomodo iuſtificari atque ſaluari poſſis, dicam igitur: Te renaſci oportebit. Nam ad iuſtificationem nihil confert, nec prodeſt lex, aut legis opera, ſed natiuitas ſola noua.

Quomodo placebat hoc reſponſum Nicodemo?

Nihil arriſit Nicodemo, quemadmodum nec eius ſimilibus. Quamuis autem iudicio mundi Nicodemus

mus erat homo pius, qui Chriſtum cupiebat uidere, & audire, qui credebat etiam eius uerbo, et laudabat facta & opera, tamen propterea non erat iuſtificatus. Oportebat igitur eum per ſpiritum ſanctum renaſci, & in alium nouum hominem transformari, nam uetus quomodo Chriſtum intellexerat, colligimus ex ipſius uerbis, quibus ait: Quomodo poteſt homo naſci cùm ſit ſenex? Num poteſt in uentrem matris ſuæ iterum introire, ac naſci? Ita ſcilicet humana ratio ſolet in rebus diuinis nugari, & anuliter argutari. Quod Chriſtus de natiuitate ſpirituali retulit, id intellexit de carnali Nicodemus, perſuaſum habens, ſe iuſtificatum iri à Deo, propter externa ſua legis opera, uitamq;, iuxta Moſis præcepta, luculentè tranſactam, ſed eam opinionem Chriſtus damnat, & inquit aſſeueranter: Quòd ſi uolueris iuſtificari, oportebit è ſupernis renaſci, nouum alium hominem fieri, & longè aliter cogitare, dicere, operari, quàm antea. Nam illud immutabile permanet decretum. Niſi abundauerit ueſtra iuſticia plus quàm ſcribarum & phariſæorum, non poſſitis ingredi in regnum cœlorũ.

Quid ad ineptum Nicodemi dictum Chriſtus reſpondebat?

Clariorib. ait uerbis: Niſi quis renatus fuerit ex aqua & ſpiritu, non poteſt introire in regnũ Dei.

Quid est renasci?

Nihil aliud est, quàm peccatis mori, & per fidem atq; spiritum sanctum iustitiæ uiuere.

Vbi contingit ea natiuitas noua?

In baptismo, cuius aquis immergitur homo, deinde extrahitur. Immersio, significat carnis mortificationem, et peccatorum abolutionem. Extractio denotat renouationem hominis in spiritu sancto. De utroq; D. Paulus ad Roma. 6.

Quando contingit?

Cùm in conspectu Dei poteris ista uerè dicere: Domine, uires omnes meæ nihil prorsum sunt. Omnus mea sapientia, mera est stultitia. Omnis mea iustitia uitaq;, nihil aliud est, quàm condemnatio. Quoniam igitur in me uel spei, uel auxilij nihil est, ad te Domine confugio, tuæ gratiæ me commendo, tu me guberna secundùm tuam uoluntatem atque spiritum sanctum.

Quorsum autem ea Christi de natiuitate noua disputatio tendit?

Dicit eum, qui uoluerit esse pius, iustus atq; saluus, oportere renasci, nouumq; hominem fieri, cùm primus homo per inobediētiam pessum iuerit, nullus factus. Et quamuis idem ad imaginem Dei cōditus, tamen per sceleratum lapsum, æquiparatus est

Sathanæ. Cùm igitur primæ natiuitatis sors adeò malè cecidit, oportebat nouam fieri. Illa fuit de terra, de puluere, de crasso elemento. Hæc de puriore futura, nempe, aqua, spiritu, igne & aëre. Nam quod est natum ex carne, caro est.

Quænam huius dicti sententia?

Hoc est, qualis arbor, talis est fructus. Quales Adam, tales etiam filij atq; omnes posteri. Non lupus procreat agnum, nec accipitrem noctua, nec imbellem feroces progenerant aquilæ columbam. Per casum factus est Adam homo carnalis, carnalis facta est omnis eius posteritas. Ergo si quid ex ea boni sperandum erat, oportebat carnem & sanguinem cum peccatis in baptismo submergi, atque suffocari, & rursus nouum hominem renasci, spiritus sancti gratia perfusum, radijs illustratum, igneq; diuino efferuefactum. Addit autem Christus similitudinem, inquiens: Ne mireris quòd dixi tibi: Oportet uos nasci è supernis. Spiritus ubi uult spirat, & uocem eius audis, sed nescis unde ueniat, & quò uadat. Sic est omnis qui natus est è spiritu.

Quid arguit hac similitudine Christus?

Ventus, inquit, est libera creatura, ferturhuc, & reuolat illuc, non potest comprehendi, nec

includi. Quemadmodũ igitur accidit in creaturis corporalib. aëre et uento, sic etiam in homine spirituali. Nam ubi per uerbum in baptismo renascitur homo, uel ubi prædicatur ac suscipitur Euang. ibi poteris affirmare spiritũ & uitã adesse. Sed si personã, & opera tantùm externa respicere uolueris, et in carnem atq; sanguinem fundamentum ponere, Spiritusq; sancti uirtutem carnali iudicio subijcere, frustra fueris conatus, lateremq; laueris.

Quod est discrimen inter carnalem & spiritualem natiuitatem?

Carnalis natiuitas meros gignit seruos peccatorum, qui nihil aliud possunt, quã mala cogitare, dicere, & operari. Sed spiritualis procreat homines liberos, qui hilaritate & amore, imò sancti spiritus instinctu ferantur, ut sponte sua promptiq;, faciant bonam Dei uoluntatem. Nam ubi Dei spiritus est, ibi libertas.

Quid ad hanc similitudinem Nicodemus?

Quò plura Christus adducebat, eò minus assequebatur Nicodemus, cui uidebatur hæc admirabilis, perceptuq; difficilis prædicatio. Quæ nullas homini externo uires relinquit, ac omne tollit prudentiæ carnalis iudiciũ. Ait igitur: Quomodo possunt hæc fieri. Respondit aũt Iesus, et dixit ei: Tu es

es ille magister Israëlis, & hæc ignoras. Q. d. Es tu legis Doctor, artium Magister, populi pastor, animarumq; curator, et ignoras ea, quæ apprimè necessaria cognitu? Ista ratione perperam est pleobi miseræ prospectum. Quòd si tanta summorum est Rabbinorum insciti a, quis non iudicet discipulos esse, quod prouerbio dicunt, nec sibi, nec alijs utiles. Pharisæorum est, & legis doctorum, docere populum, quomodo iustificari, atq; saluari possint homines, sed ignorant ipsi magistri, ut cæci sint cæcorum duces, & similes habeant labra lactucas: Amen amen dico tibi, quod scimus loquimur, & quod uidimus testamur, & testimonium nostrum non accipitis. Si terrena dixi uobis, & non creditis, quomodo si dixero uobis cœlestia crediturí sitis? Et nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit è cœlo, filius hominis qui est in cœlo.

Quidnam hisce uerbis significat Christus?

Hoc dicit: Omnes homines peccauerunt, solus Dei filius, agnus immaculatus non deliquit, solus igitur hic acceptißimus est patri cœlesti, atq; eius unica iustitia ualet, maximumq; pondus habet apud Deum, aliorum iustitiæ sordent, ac sunt ueluti pannus menstruatæ. Qui iam igitur ad cœlos ascendere cupiuerit, eum oportebit per Christum, ueluti scalam ascendere. Ille unus est, qui suo dorso benedicto, po-

test in cœlestem patriam homines transferre. Ille est cœli porta, uia, pons, nauis, atq; scala Iacob, qua nos oportebit ad patrem omnipotentem conscendere. Sed qui gradus alios in cœlum ducturos struunt, aliasq; uias quærunt, ij præcipites deturbabuntur ad inferos. Ergo Christus ait: Ego sum uia, ueritas, & uita. Nemo uenit ad patrem nisi per me. Hoc est etiam, quod hic dicit: Sicut Moses exaltauit serpentem in deserto, ita exaltari oportet filiũ hominis, ut omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat uitam æternam.

Vbi nam in scripturis habetur hæc historia?

Numeri. 21. scriptũ est in hanc sententiam. Cùm cœpissent populum itineris tædere atq; laboris, locutus est contra Dominum & Mosen. Quamobrem misit dominus in populũ ignitos serpentes, ad quorum plagas & mortes plurimorũ uenerunt ad Moysen atq; dixerunt: peccauimus quia locuti sumus cõtra Dominum & te, ora ut tollat à nobis serpentes. Orauit Moses pro populo, & locutus est Dominus ad eum. Fac serpentem æneum, & pone eum pro signo, qui percussus aspexerit eum uiuet. Fecit ergo Moses serpentem æneum, & posuit eum pro signo, quem cùm percussi aspicerent sanabantur.

Quid

Quid per hanc historiam Christus docet?

Ego sum, inquit, uerus ille serpens, quem oportebit in cruce exaltari, ut per meam passionem atque mortem totus mundus reconcilietur patri, iam igitur, qui morsi sunt à peccatis, & infecti ueneno, ut nullam in conscientijs requiem aut pacem habere queant, me pendentem in cruce contemplentur, & aspiciant, credantq; me pro salute hominum atroci morte confectum, atq; precioso meo sanguine deleta esse peccata. Hoc qui credunt, & pro collatis beneficijs Deo gratias agunt, quiq; sicut ego feci, proximo faciunt, ij non possunt damnari, sed consecuturi sunt diuinam gratiam, peccatorum remissionem, & æternam denique uitam: Amen.

DOMINICA PRIMA POST Trinitatis, Euangelium Lucæ XVI.

HOmo quidã erat diues, qui induebatur purpura & byssо & epulabatur quotidie splendidè. Erat autem quidam mendicus nomine Lazarus, qui iacebat ad ianuam eius hulcerosus, cupiens

cupiens saturari de micis quæ cadebant de mẽsa diuitis. Sed & canes ueniebant, ac lingebant hulcera eius. Accidit aũt ut moreretur mendicus, & deportaretur ab angelis in sinum Abrahæ. Mortuus est autem et diues, ac sepultus est: atq; in tartaro sublatis oculis suis, cùm esset in tormẽtis, uidit Abraham eminus, & Lazarum in sinu eius, & ipse clamans dixit: Pater Abraham miserere mei, & mitte Lazarum ut intingat extremum digiti sui in aquam, ac refrigeret linguam meã, quia crucior in flãma hac. Dixit autẽ Abrahã: Fili, recordare quòd receperis bona tua in uita, & Lazarus similiter mala: nunc autem hic solatio fruitur, tu uerò cruciaris. Et super hęc

hæc omnia inter nos & uos hiatus ingens firmatus est, ut nõ qui uolunt hinc transire ad uos, non possint, neque inde huc transcendere. Ait autem: Rogo ergo te pater, ut mittas eum in domũ patris mei: habeo enim quinq; fratres, ut testificetur illis, ne & ipsi ueniant in hunc locum cruciatus. Ait illi Abraham: habent Mosen & Prophetas, audiant illos. At ille dixit: Non pater Abraham, sed si quis ex mortuis ierit ad eos, resipiscẽt. Ait autẽ illi: Si Mosen & Prophetas non audiunt, neque si quis ex mortuis resurrexerit, credent.

De quibus dicit hoc Euangelium?

De duob. hominibus: Diuite atq; mendico. Quomodo uixerint, quomodo mortui, & postremò quæ illa post mortem præmia consecuti.

Cur

Cur duorum nobis hominum istorum exempla proponuntur?

Vt eorum exemplis admoniti disceremus nostrũ successum prosperum uel infœlicem exitum, nostrã damnationem, aut salutem æternam ob oculos ponere. Nam eiusmodi proferuntur à Christo ad terrorem impiorum, licet apud eosdem parum promoueantia, cùm nemo etiam impijssimus omnium, uelit haberi malus, & infidelis. Sed quod facit quilibet, id æquum, pium, atq; sanctum defendit. Hinc est, quod hæc, & exempla consimilia penitus eleuentur, uulgoq; contemnantur.

Quid ista præsentis Euangelij designat historia?

Admirabilem mundi cursum, ritusq; depingit, uariamq; filiorum hominum fortunam. Quorum alij diuites, alij sunt mendici. Alij uiuunt in abundanti rerum omnium copia & melle (quod aiunt) perunctι, sponsi uitam agunt, alij squalescunt inopia summa, consumpti fame Meliæa. Alij magnifico atq; prælucido coruscant, & turgent amictu, habentq; omnes uestibus & ornamentis plenas arcas, alijs pãnosis uix est, quo nates contegant. Alius ridet, alius flet contrarius, alius gaudet, alius luget, alij canunt atque læti saltant, alij decumbentes moriuntur. Hoc mundi stadium est, hoc curriculum. In quo duo sen-

tentiarum uel iudiciorum genera proferuntur, alterum ab hominibus, alterum à Deo. Hominum iudicium est, quo fœlicem illum esse censent, qui potens in hoc mundo, qui locuples, qui pecuniosus, qui denique magno pollentium amicorum numero septus effulget, contra prorsus infœlicem æstimant eum qui pauper, calamitosus, inops, destitutus, ut prouerbio locum fecerit: Qui mendicus est in terris, ostiatim in cœlo panem efflagitabit. Sed longè diuersum est Dei iudicium, quod in hac uidemus historia. Nam opulentum infernalibus supplicijs excruciat, & distorquet potentem, sed Lazarum mendicum æterno lætificat gaudio.

Quomodo sanctus Lucas describit hosce duos homines.

Principiò uitam utriusq; deliniat, postea mortem, & eam subsecuta præmia.

Quomodo describit diuitem?

Vt inutilem & infrugiferam arborem, & ut hominem impium depingit, in quo nulla fides, nullaq; reluxerit charitas. Qui tamen iuxta mundi iudicium habitus homo fortunatus. Nõ erat rex, nec princeps uarijs obrutus curis, sed homo priuatus, sine molestijs, solicitudine, laboribus uiuens, abundabat diuitijs, quicquid optabat ad manum habebat, ultra res (ut aiunt) Callieratis, aut Pelopis talenta. Ad

hæc

hæc prædutus erat bono corporis habitu. Domi Sybaritica mẽsa reniduit, præciosa ueſtimenta, regaliter extructum palatium, et in eo bonorum pecuniæq; magnus aceruus, & amici plurimi, fratresq;. Quicquid agebat, actum, ratumq; habebatur, quicquid denique loquebatur, quicquid cachabat, roſa (ut dicunt) fiebat.

Quinam fructus huius arboris carioſæ?

Sic ait S. Lucas: Inducbatur purpura & byſſo, & epulabatur quotidie ſplendidè.

Eſt igitur peccatum ueſtem portare purpuream, ſplendideq; uiuere, cùm hoc ipſum fecerint Ioſeph, Dauid, Solomon & Heſter, alijq; complures?

Purpura ueſtiri, lauteq; uiuere non condemnaſſent hunc diuitem, ſi non uoluptatem atq; felicitatem in ijs quæſiuiſſet, nec oblitus fuiſſet Dei, neque permiſiſſet Lazarum inedia contabeſcere.

Vnde colligimus quod illi diuiti nimio gaudio fuerint opes atq; uoluptati ſummæ?

Id tibi demonſtrat aduerbium illud. QVOTIDIE. Omnia, inquit Eccleſiaſtes cap. 3. tempus ha-

bent. Eſt tempus ridendi, eſt tempus flendi, eſt tẽpus ſaltandi, eſt tempus plangendi. Et ſic omnes affecti debemus eſſe, ut gaudeamus cum gaudentibus, & fleamus cum flentibus, Roma. 12. At qui cùm temperata noſtra & honeſta conuiuia mutantur in luxurioſas commeſſationes, turpium uoluptatum irritamenta, cùm uſus bibendi moderatus ac neceſſarius in ebrioſas compotationes, impiaq; cothoniſſantium certamina, cùm decorus corporum ornatus transfertur in ſuperbum luxum, & faſtuoſum apparatum, cùm deniq; honeſta gaudia conuertuntur in fœdam ac beluinam pecudum uitam, idq; deſignatur abuſu quotidiano, quo gignitur obliuio Dei, & uenter obſcœnus pro Deo colitur, & omni ope humana deſtituti negliguntur pauperes. Hæc ſunt ea crimina, quæ condemnant homines.

Fuit ne diues hic tam alienus ab omni humanitate atque miſericordia?

Tam fuit auarus, tam impius, & tam immiſericors, ut ipſi canes multò beneficentiores, longeq; mitiores apparuerint Lazaro, quàm ille, qui aſſiduò delitiatus in omni uoluptatum genere, ueluti fruges conſumere natus Epicuri de grege porcus, Dei, Lazariq; pauperis oblitus.

Nihil igitur eſt in hoc diuite, quod poſſit ei patrocinari?

Omnia defensionis argumenta diluuntur in hoc Euangelio, omnesq; uiæ præcluduntur ita, ut nihil prorsum reliqui sit, quod possit diues impius, in excusationem adducere. Nam si dixerit: Tanta mendicorum fuit multitudo, ut nemo potuerit omnibus auxiliari. Quod Euangelium redarguens, inquit, Erat quidam mendicus. Si dixerit: Non noui: At in Euangelio Lazarus appellatur. Si dixerit: Accepisset stipem, si non aliò sese recepisset. At Euangelium, inquit, iacebat ad ianuam eius. Si dixerit: Non aduersa laborabat ualetudine, potuisset igitur operando uictum quærere. Quod Euangelium confutat, inquiens, Plenus erat ulceribus. Si dixerit: Non magna fame premebatur. Euangelium respondet ac ait: Cupiens saturari de micis quæ cadebant de mensa diuitis. Sic omnes purgandi rationes tollit Euangelium, diuitemq; facinoris conuictum damnat, ut hominem ab omni mansuetudine, atque humanitate alienissimum.

Quomodo S. Lucas describit Lazarum mendicum?

Asserit frugiferam, bonamq; fuisse arborem, utpote pium hominem, qui suam paupertatẽ, famem, inopiam, & à Deo sibi crucem impositam tulerit patienter. Quamuis autem pietatis, atq; patientiæ nomine Deo charus esset, tamen iudicio mundi fuit infelix, & quartaneluti luna natus. Erat pauper, & calamitosus, quod onus Æthna grauius habetur. Accessit mendicitas, quod opprobrium mundus æstimat, atq; Dei plagam esse iudicat. Nam sic arguit, inquiens, mendicus est. Quare? quia peccatis suis offendit Deum, qui malè merentibus talia præmia confert, quemadmodum & amici Iob argumentabantur. Præterea fuit ulcerosus, & tam famelicus ut cupiuerit satiari de micis, quæ cadebant de mensa diuitis, sed nemo dederat, nemo consolabatur, sed ab omnibus destitutus, iacebat indigus rerum omnium, cibi, potus, opis, fauoris, amicitiæ, soli canes misericordia moti linxerunt ulcera.

Quosnam fructus hæc arbor bona, hoc est, pius homo proferebat?

Lazarus in benedictum illud semen, Abrahæ promissum, credebat, hinc etiã ab angelis in Abrahæ sinum deportatus fuit. Bonis item operibus suam fidem ostendebat, utpote modestia, æquanimitate, atque patientia. Iacebat ad ianuam diuitis, ulcerosus, spectaculum nauseosum. Qui præteribant oculos auertebant, frontem corrugabant, atq; contrahebãt supercilium, nihil tamen ille turbabatur, nihil ringebatur, nihil contra Deum murmurabat, sed conscientia tranquilla ferebat suam crucẽ, nõ mala precabatur diuiti, nec contemptores calumniabatur. Sed contentus sorte sua cum Iob dicebat: Dñs dedit dñs abstulit: sit nomẽ domini benedictũ. Et pulcher-

rimus syncerioris animi fructus erat, quo non opi-
para splendidiorũ epularũ fercula requirebat, sed
cupiebat saturari de micis &c. Nec faciebat, quod
solent alij plerunq; mendici, qui si non acceperint,
quod uoto responderit, murmurant, criminantur,
conuitia dicunt, atq; maledictis infectantur largito
rem tenacem.

Qualem uterq; consecutus est uitæ terminum?

Vt dissimilem uitam, sic dissimilem exitum sor-
titi sunt. Omnes homines diutem fortunatum arbi-
trabantur, & amicum Dei, sed uelocius, quàm aspe-
ragi coquuntur, detrusus in abyssum inferni. Con-
trà Lazarum ut miserabile paupertatis & calami-
tatis spectaculum omnes despiciebant, & auersa-
bantur, ut ne concha, uel ligula dignum, sed citius
quàm respexeris, delatus fuit in Abrahæ sinum, in
æterna gaudia, positus extra omnẽ fortunæ aleam.

Hæc profecto magna permutatio: Sed utrius modo sors beatior?

Qui prius in summa rerum copia florebat, is iam
inopia maxima laborat. Et qui prius inops, paxillo
nudior, iam ditior atque fortunatior est omnibus
principibus atque regibus terrenis. Accedunt dissi-
milia sepulturæ loca, Lazarus deportabatur ab an-
gelis in Abrahæ sinum: Diues sepultus in tartaro, in
Sathanæ cœmeterio. Tali parochiæ destinati sunt
tales

tales filij parochiales: Vbi perpetuis cum socio
lemurum grege supplicijs afficiendus. In inferno e-
nim est spes nullæ redemptionis: licet ipse, cùm esset
in tormentis, & sublatis oculis uidisset eminus Ab-
raham, & Lazarum in sinu eius, clamaret, auxi-
liumq; implo raret.

Quomodo clamabat?

Dixit: Pater Abraham miserere mei, & mitte
Lazarum, ut intingat extremum digiti sui in aquã
ac refrigeret linguam meam, quia crucior in flam-
ma hac.

Qualenam hoc est Abrahæ atq; diuitis colloquium?

Spirituale colloquium est, in conscientia contin-
gens. Non enim eo modo uel ratione spiritus col-
loqui solent, qua sermonem homines inter se confer
re. Nec spirituum localamis, uallibus, collibus, atq;
montibus distincta sunt, quemadmodum in terris.
Proinde spiritualem hæc historia requirit in-
tellectum.

Quidnam petebat hic diues?

Aquæ frigidæ guttulam postulabat, in uehemen
tissimis suis tormentis, & cruciatuum doloribus.

Vnde cruciatus illi tantus?

Videbat à Deo Lazarum exaltatum, & æter-
næ felicitatis gaudio perfusum, sed miserabiliter

in lacum infernalem demersum sese, qui cùm uiueret in honore summo atq; precio fuisset habitus. In mensa tem uenuebāt quotidianæ, in quibus deliciatus erat, uoluptates. Animo reuoluebat epulas opiparas, quibus indies saginabatur, & nobilissima uina, quibus multum exhilarabatur. Non excidebant memoriæ preciosissimæ uestes, & magnificus, qui maximam addebat autoritatem uiuenti, cultus, recordabatur denique pecuniarum, & opum immensarum, quas tamen non poterat contingere, nec perfrui ministerio fidelium famulorum. Quorum uicem infernales spiritus gerentes, palatum diuitis opplent igne atque sulphure. Luxum resarciunt fumo tartareo atq; tenebris. Diuitias compensant æterna fame, & inopia. Linguam, quam delicatissimis quotidiè ferculis reficiebat, æterno gehennæ inextinguibilis igne torrent & excruciant. Ad hanc refrigerandam Abrahæ poscebat auxilium.

Quid respondebat Abraham?

Dixit Abraham: Fili recordare, quòd receperis bona tua in uita tua, & Lazarus similiter mala. Nunc autem hic solatio fruitur, tu uerò cruciaris. Et super hæc omnia inter nos & uos hiatus ingens firmatus est, ut hij qui uolunt huc transire ad uos non possint, neq; inde huc transcendere?

Quid hæccine docet historia?

Deo

Docet hominem, qui cœlum in terris habet, post uitam habiturum inferna, & econtrariò. Euenit tamen aliquando, ut per singularem Dei bonitatem Christianorum paradisus atque cœlum hic in terris sumat exordium in conscientia bona, & in æternum post hanc uitam perduret. Accidit item ediuerso, ut exigente pœnas Deo, mortalium impiorū inferna principium trahant in hoc seculo, & post mortem in æternum permaneat. Quòd autem Abraham ait: ingentē inter utros q; firmatum esse hiatū, ostendit post hanc uitam esse nullam permutationem, nullam q; facultatem uariandæ conditionis semel acceptæ. Et enim quomodo quisq; proficiscitur illuc, ita permanet aut cœlo destinatus, aut inferno.

Nonne mihi mortuo patrocinia sanctorum inuocata, sunt auxiliatura: Et annuis uigilijs defunctorum, atque missis sacerdotum me de purgatorio sunt liberaturi?

Ne uel aliquam in illis spem habueris positam. Hic audis nullum, qui ab Angelis in sinum Abrahæ delatus, beatum posse damnato succurrere, & utriusque partis nemunem hiatum transilire. Quòd si Patres sanctissimi Abraham, Isaac, & Iacob, suppetias ferre non poterunt, quid

facerent uicijs coinquinati sacerdotes, & fornicarij sacrificuli? qui turpis uitæ simul ac doctrinarum falsarum nomine sunt execrandæ abominationes coram Deo.

Nonne, qui migrarunt ex hac uita, sancti pro nobis orant?

Certissimum est sanctos in Christo uiuere, atque nobis Christianis omnia bona precari, & prospe ros omnes euentus optare. Quòd si angeli pro nobis, ut ex Propheta Zacharia colligimus, orant, & loquuntur uerba bona, uerba consolatoria, quis non crediderit sanctos nobis fauere, omnemq; felicitatem optare. Attamen propterea non debemus eos implorare, nec adoratione nostra Deos Idolotricos facere. Quòd si autem diuitis orationem ad Abraham penitus introspexerimus, magis carnalē esse, quàm spiritualem deprehendimus. Etenim qui pius homo, suum proximum ex corde toto diligit, is non solùm bona precatur suis amicis, atque benefactorib. sed etiā inimicis suis, & hostib. acerrimis. Sed hic opulentus pro suis tantùm orat fratribus, omnium aliorū hominum oblitus. Cuius precationē imitabātur iam olim sacrificuli Calandici, atq; sacerdotes missifici. Qui suis in uiglijs, atq; missis pro defunctis, orabāt tantū pro fratribus, sororib. & amicis, quos habebāt in albo suæ fraternitatis, non

non paruo precio comparatæ, sed inimicorū atq; reliquorum hominum uel unico uerbo non dignabantur recordari.

Quid diues ad Abraham dicebat?

Cùm nihil in propria caussa promoturum se uideret, intercedebat pro fratribus suis, inquiēs: Rogo ergo te pater, ut mittas Lazarum in domum patris mei, habeo enim quinq; fratres, ut testetur illis, ne & ipsi ueniant in hunc locum cruciatus.

Quid Abraham respōdebat?

Habent Mosen & prophetas, audiant illos.

Quid ad hæc diues?

Non pater Abraham, sed si quis ex mortuis ierit ad eos, resipiscent. Tam magna scilicet ac arrogans est rationis humanæ sagacitas, ut diuino uerbo atq; sacris literis contenta non sit, sed etiam cōtra Dei præceptum à mortuis requirat testimonia.

Quid ad hæc uerba diuitis Abraham.

Ait Abraham diuiti: Si Mosen & Prophetas non audiunt, neq; si quis ex mortuis resurrexerit, credent.

Quænam potissimum digniora memoratu continet hoc Euangelium?

Tria præcipuè. Primùm: Quia sacræ literæ cōplectuntur omnia, quæcunq; nobis ad salutem ne-

cessaria sunt cognitu, non debemus ex mortuorum phantasmatibus pendere, cùm hoc ipsum uetuerit Dñs, qui ait, Deut. 18. Non inueniatur, qui consulat Pythones & diuinos, et quærat à mortuis ueritatẽ &c. Spirituum igitur quæcũq; laruatæ species apparuerint, & implorauerint hominum præsidia, meræ sunt illusiones diabolicæ, tartareorũq; lemurum fallacia spectra. Cùm igitur Sathanas mẽdax, imò mendaciorum pater, nullam ei fidem adhibere debemus. Quòd si uolueris omnino ueritatẽ à mortuis inuestigare, præsto tibi Christus est, Dei filius, qui resurrexit etiam à mortuis. Qui discipulis ad oppidum Emaus euntibus, scripturas à Mose & omnibus Prophetis est interpretatus, Eius doctrinis atq; testimonijs contentus, acquiescito.

Alterum: Hoc Euangelio monemur, ut bonis fortunæ, & fauore diuino concessis opibus, ita fruamur, ne quemadmodum hic diues obliuiscamur dei atq; proximi. Nã si nos Dei atq; proximi fuerimus obliti, uicissim nostri non recordabitur Deus. Dicit enim S. Iacobus cap. 2. Iudicium absq; misericordia erit ei, qui non præstiterit misericordiam.

Tertium: Pius homo bonis operibus in proximum collatis, fidem suam ostẽdere debet. Diues egenum eleemosynis sustentare. Pauper, oratione deuotalocupletem adiuuare. Vt enim à Deo conditus est alter alterius causſa, sic alter alterius onera portare debet, et charitatis atq; misericordiæ, præstitis inuicem operibus, fidem manifestare. Hæc sunt quæ Deus in extremo iudicio requisiturus est. Ergo si dederis pauperibus in hoc seculo, bona fortunæ, quæ fluxa sunt, accipies in futuro bona nunquàm interitura. Quòd si autem à proximo faciem tuam auerteris, & Deus à te faciem suam abscõdet in die nouissimo. Qui obturat aurem suam ad clamorem pauperis, & ipse clamabit, & non exaudietur, ut ait Solomon Prouerbiorum 21. Proinde bona faciamus, dum nobis superest temporis aliquid atq; lucis. Non habemus hic manentem ciuitatem, sed futuram inquirimus. Quicquid autem bonorum præmiserimus, id inuenturi sumus in futura patria, uitaq; æterna, Amen.

DOMINICA SECVNDA POST Trinitatis, Euang. Lucæ XIIII.

HOmo quidam apparauerat cœnam magnam, & uocauit multos, misitq; seruũ suum hora cœnæ, ut diceret inuitatis: Venite, quia iam parata sunt omnia. Et cœperunt simul oẽs excusare. Pri-

Primus dixit ei: Villam emi, & necesse est mihi exire, & uidere illã: rogo te, habe me excusatum. Et alter dixit: Iuga boum emi quinq;, & eo ad probandum illa: rogo te, habe me excusatum. Et alius dixit: Vxorem duxi, et ideo non possum uenire. Ac reuersus seruus, renunciauit hæc domino suo. Tũc iratus paterfamilias, dixit seruo suo: Exi cito in plateas & uicos ciuitatis, & pauperes, ac debiles, claudosq; & cæcos introduc huc. Et ait seruus: Domine, factum est ut imperasti, & adhuc locus est. Et ait Dñs seruo: Exi in uias & sepes, & cõpelle intrare, ut impleatur domus mea. Dico enim uobis, quod nemo uirorum illorũ qui uocati sunt, gustabit cœnam meam.

De

De quonam loquitur hoc Euangelium?

De quodam patrefamilias, qui cœnam magnam apparabat, multosq; uocabat. Et cùm nõ uenirent uocati, sed excusarent sese, iubebat seruum in plateas & uicos ciuitatis exire, & introducere pauperes, debiles, claudos atq; cæcos. Deinde cùm adhuc locus superesset, mittebat seruum in uias atq; sepes, ut quos inueniret, intrare compelleret.

Quis est ille paterfamilias?

Est Deus pater, qui magnam cœnam apparauit, nempe gratia plenissimam Euangelij prædicationem, in qua cibum nobis apponit dilectum filium suum, Iesum Christum. Dicit enim ipse Ioan. 6. Ego sum panis uitæ, qui uenit ad me, non esuriet. In hoc suo filio Deus suam nobis donauit iustitiam, gratiam, remissionem peccatorum, & uitam æternam, qui saluberrimi sunt animarum cibi. Quibus addidit acetosum oxybaphon, atq; salem acrem, nempe crucem, passionem, tribulationes atq; calamitates, idq; commoditatis maximæ gratia. Nam quemadmodum acetosa cibaria solent appetitum excitare, sic etiam afflictiones efficiunt, ut homo uitam hanc pertæsus, æternam futuram suspiret, teneaturq; desyderio cœlestem ad patriam reuertendi.

Cur Euangelium appellatur cœna?

Quo

Quoniam ante nouissimum diem omnium postrema futura est Euãgelij prædicatio. Sic enim ait Christus, Matth. 24. Et prædicabitur hoc Euangelium regni in uniuerso orbe in testimonium omnibus gentibus, & tunc ueniet consummatio.

Quare cœna magna uocatur?

Magna dicitur, non modò propter ipsum (qui Deus est omnipotẽs) Patremfamilias, sed etiam propter cibum, hoc est, diuinum (qui Christus est ipse) Verbum, qui nobis in Euangelio sic apponitur, ut summam dulcedinem percipiamus, credentes illius morte atq; resurrectione, nos à diabolo, morte & inferno liberatos, iráq; omni sublata patri cœlesti reconciliatos.

Quos ad hanc cœnam hospites uocauit?

Principio Deus uocauit Adam, cùm in Paradiso dixit ad serpentem: Inimicitias ponam inter te & mulierem, & semen tuum, & semen illius. Ipsa conteret caput tuum, & tu insidiaberis calcaneo eius, &c.

Deinde Abraham, cùm ait, Genes. 17. & 22. Ego Deus tuus: Eris pater multarum gentium, benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ.

Postmodum sine intermissione Deus Prophetas misit ad populum Israëliticum, ad primam uocationem iterandam, atq; renouandam.

Cur ante tam longa tempora sunt à Deo uocati ad hanc cine cœnam?

Hoc nemini mirum uideatur, cùm etiam homines aliquod grande, magnificumq; conuiuium apparaturi soleãt hospites suos ante dies aliquot, uocare, quàm celebrdum sit ãillud. Et Plutarchus, in cõuiuio septem sapientum, tradit apud Sybaritas hunc fuisse morem, ut hospites ab usq; anno priore ad conuiuium uocarentur, quò se per ocium possent utrinq; parare & exornare. Cùm igitur Deus pater cœnam omnium splendidissimam apparaturus esset, bono iure tempus ante longum, quàm illius festiuitas peragendæ esset, uocari iussit conuiuas, ut per ocium sese posset ad horã cœnæ parare.

Quænam fuit hora cœnæ?

Qua completum fuit tempus, quo saluator mundi Christus nasciturus, passurus, atq; moriturus erat. Eo tempore Deus seruum suum Ioannem Baptistã misit, qui diceret inuitatis: Venite, omnia parata sunt. Accedite ad regem ueri Messiæ cœnam.

Quid uocati faciebant hospites?

Cœperũt simul oẽs excusare. Primus dixit seruo: Villam emi, & necesse est mihi exire & uidere illam, rogo te habe me excusatũ. Et alter dixit: Iuga bouũ

boum emi quinq;, & eo ad probandũ illa, rogote, habe me excusatũ. Et alius dixit: Vxorem duxi, & ideo non possum uenire. Quæ uocatorum excusationes, adhuc in hodiernum diem perdurant.

Est ne igitur malum, agros aut boues emere, uxores ducere, cùm tamen Abraham in usum sepulturæ comparaue rit agrum, & habue rit uxorem?

Non agriculturam, nec emptiones, neque uenditiones, neq; matrimonia damnat Christus, sed maximas bonarum creaturarum abusus, impiumq; Dei contemptum. Et Dei præceptum exigit, ut quilibet in mundo faciat aliquod opus, atq; uiglanter in uocatione sua laboret, ita, ut fidem erga Deum, & charitatem erga proximum exercendo, uitam honestam inculpatamq; degat, dum à deo fuerit ad cœnam, & uitam æternam assumptus. Cæterùm qui negotijs ita distringuntur, & in rebus humanis ita uersantur, ut Dei prorsum obliuiscantur, ij non modò reprehenduntur, sed etiam cõdemnantur. Quorum in numero sunt, qui, cùm audiendum est Dei Verbum, dicunt: Non uacat audire concionem sacram, cùm rus nobis colendum, arãdum, serendum, rusticæq; res aliæ sint conficiendæ. Item, qui mercatores, inquiunt: Nos oportebit aliò proficisci, mare

re trajicere, & per enses, perq; ignem irrumpere, quò paupertatem effugiamus. Hæc faciendi maior est necessitas, quàm ad templum eundi. Item qui coniugati, loquuntur ita: In hoc nobis incũbendum erit, ut acquisitis facultatibus, corraſaq; pecunia, posimus uxores, lĩberos atq; familiã enutrire, nullum est ocium audire prædicantes sacerdotes. Cõcionibus interſint ij, qui commoditatem inde percipiunt, & habent stipendia. Qui quid aliud dicũt, quàm, non magnopere cœlestia curaremus, si daretur in hoc mundo uiuere semper in gaudijs & assiduis delicijs. Quid? edamus, bibamus, ludamus, post uitam nulla uoluptas. Si tantum ex concionibus ecclesiasticis compendij nobis proflueret, quantum ex domesticarum procurationum occupationibus utilitatis prouenit, sæpius ad conciones audiendas nos conferremus, quas iam mussas facimus, cùm inde nihil ad nos redit lucri. Nonne blasphemorum Christum contemnentium, Verbumq; Dei proterentium hæc uerba sunt? Quomodo grauius homo peccare, & ad iram uehementius incitare posset Deum? Quis eiusmodi procaces, atq; temerarios à Diaboli faucibus eripere poterit? quos bono iure sibi uendicat infernus?

Quid ad hominum uocatorum excusationes paterfamilias?

Tunc iratus paterfamilias, dixit seruo suo: Exi citò in plateas & uicos ciuitatis, & pauperes & debiles, claudosq; & cæcos introduc huc.

Quinam sunt isti pauperes, claudi, debiles, atq; cæci?

Sunt discipuli, telonarij, publicani, atq; peccatores. Cùm enim summi sacerdotes, Pharisæi, Scribæ, atque Iudæorum principes contemnerent hanc salutarem cœnam, & eluderent aduenientem Christi, & Euangelij prædicationem, uocauit Deus pauperes piscatores, atque publicanos, & quos nemo dignos Regno Dei iudicauerat, peccatores, iuxta illud Matthæi 21. *Amen dico uobis, quòd publicani & meretrices præcedent uos in Regnum Dei.* Et 20. *Nouissimi erunt primi, & primi nouissimi.*

Sed cùm adhuc in mensa locus esset, quid paterfamilias agebat?

Ait Dominus seruo: *Exi in uias & sepes, & compelle intrare, ut impleatur domus mea.* Hæc est Gentium uocatio. Nam quod Dei beneficium recusarunt impij Iudæi, id cum gratiarum actione Gentes acceperunt.

Quid per plateas atque uicos ciuitatis intelligit?

Iudæos significat, qui uarijs cæremonijs atq; legibus

buserant circunsepti, non aliter atq; ciuitas muris circundata.

Quid per uias atq; sepes?

Gentes intelligit, quæ liberè sub cœlo uiuebant, in Idololatrijs, peccatis atq; flagitijs. Non erant certis cæremonijs astricti, uel necessarijs Deorum cultibus obligati, quemadmodum Iudæi, tot legibus atq; præceptis deuincti.

Cur ait compelle intrare?

Deus uult, & oportet huic cœnæ conuiuas adhiberi, & si deberent etiam de lapidibus suscitari. Sunt enim cœli repleti, siue Iudæis, siue Gentibus.

Sunt ne igitur homines ad Dei Verbum compellendi?

Qui fungitur in terris officio Dei magistratus, procurare debet, ut in templis uerus Dei cultus sanctè conseruetur, explodatur autem doctrina falsa, abrogetur idololatria, puniantur impij, blasphemi plectantur, seducti & aberrantes à iustitiæ tramite, reuocentur in uiam, compellantur q; ad Dei Verbum & Euangelicam ueritatem. Ad fidem nemo debet nec potest impelli, sed cogi potius ad medium tenorem, à quo fides deriuatur. Magistratus igitur, quod multi pij Cæsares fecerunt, urgebit, & ex officio compellet subditos ad Euangelicæ ueritatis conciones, ad Verbum audiendum,

ad Christianam disciplinam, & ad uitæ melioris honestatem.

Quid significat, compelle intrare?

Hoc est: Non segniter ad salutarem Euangelij doctrinam adhortare, iugiterq; proponens, eis electionem offer, utrum uelint eligendi cœlum aut inferna, uitam aut mortem, Dei gratiam aut iram, animæ salutem aut perditionem, ut acribus tuis monitis experrecti, pœnitentiam agant, atq; redeant in uiam salutis. A sepibus igitur eos uelle potenter, & à uepribus abstrahe, hoc est, à conspurcata scelerum inquinamentis uita. Et si dixerint: Ne nimium urgeas, ne tam pertinaciter adigas, qui nostra sponte secuturi sumus, noli desistere cœpto, sed insta semper, adige, minare, urge, compelle. Et ut S. Paulus ait 2. Timoth. 4. Prædica sermonem, insta tempestiuè, intempestiuè: argue, increpa, exhortare cum omni lenitate & doctrina. Quod ut facias summa requirit necessitas. Trade etiam Sathanæ ad interitum carnis, quò spiritus saluus sit in die Domini Iesu. Quòd si autem omnino pertinaces noluerint ex te Verbum audire, quo saluentur, alias, quæ uehementibus adficiunt doloribus, adhibebo torturas, immissurus tot mala, totq; pericula, ut innumeris calamitatibus attriti, nihil magis exoptaturi sint, atq; libentius facturi, quàm ad salutis

tutis spem, atque præsidium adhortanti obtemperare atq; sequi.

Adhuc ne Deus compellit intrare?

Maximè: Nam Deus urget nos atq; compellit, ut ad hanc cœnam atq; Christi cognitionem perueniamus, & hoc ipsum causßis efficit impulsiuis duabus, internis & externis. Internis, per legum præcepta cogit & Euangelij prædicatione. Externis compellit, per uarias aduersitates, persecutiones, afflictiones, pestilentiam, famem, bella, &c. Væ igitur illis, qui uocati detrectant uenire, res autem eorum in uado, qui sequuntur.

Quid pronunciabat de præfractis & inobedientibus hospitibus?

Dico uobis, inquit: Quòd nemo uirorum illorum, qui uocati sunt, gustabit cœnam meam. Hoc est iudicium, atq; definitiua sententia, quam Deus protulit contra omnes Euangelij contemptores: Quam ita primò sunt experti Iudæi, ut in hodiernum diem rubo, quod aiunt, arefacto præfractiores, omniq; talpa cæciores inueniantur. Idem continget omnibus, qui nostra quoq; tempestate Verbum diuinum aspernantur. Nam quemadmodum agrorum, iumentorum, ædium, prædiorum, uxorum, atq; liberorũ amore capti, negligunt Dei Verbum, imò non pla-

vis faciunt, quàm, ut prouerbio dicunt, simiæ, ita eadem hora, qua omnia ista cogentur post se relinquere, & qua salutarem ad cœnam, si daretur, hanccine uenirent libenter, à Deo uicissim reijcientur, & exterminabuntur, illud Matthæi 7. audituri: Non noui uos, discedite à me, &c. Cœnam ego splendidissimam instruxeram, omniaq; parata mihi magno constiterunt, sed beneficia mea, quibus uos afficere decreueram, contempsistis, & uocati, uenire noluistis. Quòd si iam meliorem, quàm ego fortunam habetis, utimini, cœnam meam gustabitis nunquàm. Hæc summa rerum esto.

Quænam præcipuè coarguuntur in hoc Euangelio?

Præsens Euangelium tria potissimùm, ueluti capitalia scelera, damnat, Superbiam, Auaritiam, Luxuriam, in quibus totus mundus est absorptus, ut D. Ioannes ait, 1. Ioan. 2. Omne, inquit, quod in mundo, ueluti concupiscentia carnis, & concupiscentia oculorum, & fastus uitæ, non ex patre, sed ex mundo est. Quæ crimina turmatim abducunt homines à Deo, & abeius uerbo detrudunt, atque rapiunt ad æternam perditionem.

Quinam habentur superbiæ fructus?

Vbi

Vbi superbia regnat, ibi rerum omnium superfluitas requiritur, ut cibi, potus, uestium, aliarumq; rerum. Quæ si desunt, nec aliquid prouentuum est in promptu, aliunde conquiruntur, aut accipiuntur mutuo, uel commodantur, ut fastui satisfiat. Hinc nascitur amor excellentiæ propriæ, placitumq; carnis blandimentum, atque proximi contemptus. Quod crimen adeò peruertit hominem, ut uelus ebrius nesciat, quomodo sese debeat gerere in rerum omnium luxu. De qua re Diuus Gregorius luculenter Moralium 23. Radix, inquit, cunctorum malorum, & Regina omnium uitiorum, Superbia est, de qua, scriptura attestante, dicitur: Initium omnis peccati superbia. Septem principalia uitia de superbiæ uirulenta radice profruntur: inanis gloria, inuidia, ira, tristitia, auaritia, uentris ingluuies & luxus.

Quinam fructus auaritiæ?

Vbi auaritia est, ibi rerum omnium penuria, ibi desperatio, ibi nunquàm quod naturæ satis est editur, neq; bibitur satis, nemo recreatur inops uel adiuuatur, pauper Lazarus inedia perit, ut, nisi cùm moritur, nihil rectè facere prouerbio dicatur auarus: Apud quem nulla prorsum uel cõsolationis uel auxilij spes est. Nam si pauperi obulo, uel unicæ panis buccellæ posset à maximis afflictioni-

T 4

bus liberare, nunquam faceret. Exemplo sit ille dives, Lucæ 16.

Quinam luxuriæ fructus?

Vbi luxuriæ crimen est, ibi superfluitas simul ac inopia regnat, utpote scelerum abundantia, uirtutum autem penuria. Procacitas adest, feritas, turpitudo Spintriarum, Cyclopica uita, Dei contemptus, & hominum despectio. Qui iam hisce uitijs cooperti, negligunt atque contemnunt in hoc mundo salutarem Euangelij prædicationem, nec uocati ueniunt ad audiendum Dei Verbum, ij in futuro nullam habituri sunt spem, sed afflictionem cum illo diuite crapulatore passuri. Contrà, qui libenter ad hanc cœnam sacrosanctam accesserint, atq; per fidem opera uirtutis produxerint, ij non solùm in hac uita gratiam, diuinamq; benedictionem, sed etiam in futura gloriam æternam sunt consecuturi. Amen.

DOMINICA TERTIA

post Trinitatis, Euang. Lucæ XV.

ACcedebant autẽ ad eum omnes publicani et peccatores, ut audirent illum, & murmurabant Pharisæi ac Scribę, dicẽtes: Hic

Hic peccatores recipit, ac cibum capit cum illis: Dicebat autem ad illos parabolam hãc, dicens: Quis ex uobis est homo, qui habet centum oues, et si perdiderit unam ex illis, nonne relinquit nonaginta nouem in deserto, & uadit ad illã quæ perierat, donec inueniat eã? Et cùm inuenerit eam, imponit in humeros suos gaudens: ueniensq; domum, conuocat amicos & uicinos, dicens illis: Gaudete mecum, quia inueni ouem meam quæ perierat. Dico uobis: quod ita gaudium erit in cœlo super uno peccatore resipiscente, magis quàm super nonaginta nouem iustis, qui non indigent pœnitentia. Aut quæ mulier habens drachmas decem, si perdiderit drachmam u-

nam, non accendit lucernam, & uerrit domum, quæritq; diligenter, donec inueniat? Et cùm inuenerit, conuocat amicas et uicinas, dicens: Gaudete mecum, quia inueni drachmam quam perdideram. Ita dico uobis gaudium erit coram angelis Dei super uno peccatore resipiscente.

Quid nobis præsens hoc Euangelium indicat?

Tria docet. Primum: Quomodo publicani atq; peccatores ad Christũ accesserint, ut audirent Dei uerbum. Alterũ quòd Christus tam humaniter atq; benigniter peccatores susceperit. Tertium habet duas parabolas, quibus declarat quomodo sit erga nos affectus Christus. Et hoccine plenissimum consolationis est Euangelion, in quo depingitur amabilis imago Domini nostri Iesu Christi, perditam ouem quærentis, & inuentã in humeros suos imponentis, atq; portantis. Quæ semper homini proponenda, maximè autem cùm in tentationibus Cacodæmõ exterret conscientias, & ad desperationem adigere conni-

tenitur. Tunc per hanc Euangelicam consolationem erigenda sunt, atq; lætificanda pectora.

Quotnam in terris præcipuè genera peccatorum inueniuntur?

Tria. Primi ordinis sunt, quos illa crassa carnalium flagitiorum crimina contaminarunt, & absorpserunt ita, ut non solum Dei, sed etiam omnis modestiæ atq; honestatis obliuiscantur. Qui prorsum impij iacentes in uiciorum uolutabro scelerumq; profundo, & Deum, & homines contemnunt, nec non & præsumptuosa delinquendi licentia quoslibet offendunt, ne per somnium quidem (ut dicitur) cogitantes, de agenda pœnitentia, atq; uita corrigenda, cum eiusmodi peccatoribus nihil habet commercij Christus. In secundo sunt ordine, qui forinsecus ficta sanctimonia conspicui coram hominibus lucent, sed intus pleni fictione & iniquitate: Quos Christus, Mat. 23. similes facit sepulchris dealbatis, quæ fòris opparent speciosa, intus uerò plena ossibus mortuorum, omnicq; spurcitia. Hij sunt, qui, ut Esaias ait cap. 5. bonum malum dicunt, & malum bonum, ponunt amarum in dulce, & dulce in amarum, uocant lucem tenebras, & tenebras lucem, mẽdacia ueritatem appellant, ueritatem mendacia. Cũ ijs multum fuit negocij Prophetis & Apostolis. Eos iustas dicit Christus, nõ quòd iusti sint, sed quòd sibi per-

persuadeāt esse, et ab alijs haberi studeāt, uelintq; Tertij sunt qui peccata sua confitentes, ad Christum appropinquant, petuntq; ueniam, atq; remissionem delictorum. In horum numero fuerunt publicani Matthæus, Zachæus, & alij.

Quinam fuere publicani?

Publicani fuerunt qui per omnes prouincias atque ciuitates uectigalia aliosq; populi Romani reditus exigendos certo constituto precio redimebāt. Sed cum nimis magna pecuniæ summa conduxissent ipsi duriter exigendo, extorquendoq; curare solebant, ne de sorte uenirent in dubium. Erat igitur ijs lucri (quod aiunt) bonus odor ère qualibet, non erubescentibus à mortuo etiam tributum exigere, uel statuis fārmas. Hinc est quod à Iudæis malè audierint publicani, iudicati exactores crudeles et impij.

Cur accedebant ad Christum publicani?

Quoniam sentiebant, agnoscebantq; peccata, & ab ijs cupiebant liberari. Quandoquidem igitur Christus gratiam, & misericordiam, remissionemq; peccatorum, ac æternam fœlicitatem pollicebatur, & offerebat, appropinquarunt ad eum, audieruntq; sanctum eius Euangelium, quod uerbū est gratiæ, & æternæ uitæ. Accesserunt ut ad medicum ægroti. Qui possunt esse nullibi commodius, quàm apud curatores. Et nullibi peccatores utilius quam

quàm apud Christum archiatrum.

Quid autem Pharisæi?

Tam uenenosi, tamq; pestilentes fuerunt homines, ut non solùm aduersarentur Christo, sed inuidebant etiam animarum salutem peccatoribus, nec ferre poterant, ut ij Christo sese adiungerent, & audirent uerbum Dei. Proinde murmurabāt, ac ringebātur.

Quam ob causam?

Quoniam (inquiunt) peccatores recipit, ac sumit cibum cum eis. Quasi dicant: Pares cum paribus, ut est in ueteri prouerbio, facilimè congregantur. Æqualis æqualem delectat. Simile gaudet simili. Quis crederet illum esse prophetam, qui se peccatoribus admiscet. Qui uorax comedo, uini potor, publicanis amicus, & peccatoribus.

Aequum ne fuit, & excusabile iudicium eorum de Christo?

Homines aliquando, iuxta mundi iudicium, possunt alios ex conuictorum societate iudicare. Sumuntur enim (ut ait Seneca) mores à conuersantibus. Et ut quædam in contactis corpore uicia transiliunt, ita animus mala sua proximis tradit. Hinc illud est. Si iuxta claudum habites subclaudicare discès. Et corrumpunt mores bonos colloquia prava. Atqui non id semper & ubiq; uerum æstimandum erit, nec ueluti gnomon & regula censenda, cùm fallant in multis illa prouerbia. Nō enim sunt

omnes

omnes ægroti, qui uersantur apud ægrotos, sic etiã essent omnes ægroti medici. Nec omnes indocti rudesq; qui uiuunt inter indoctos, sic enim omnes ludimagistri atq; concionatores nulla literarum aut rerum cognitione præditi essent. Quapropter illa Iudæorũ murmuratio non è sano iudicio profluxit, sed è proterua malicia. Nec Christus cibi potusq; gratia diuersabatur in peccatorum ædibus, sed ut eos in uiam ueritatis reuocatos in æternum conseruaret. Diuinum igitur hoc opus Christi laudare iustius, atq; glorificare debebant, & sanctum exemplum imitari, non obtrectare, nec lacerare, neq; cõuiciari, cùm, iuxta prouerbium, carpserit longè citius aliquis, quàm imitatus fuerit. Verùm tanta malicia simul ac inuidia flagrabant Pharisæi, ut nihil approbare poterant, quod dixerit Christus, uel egerit, sed utrunq; calumnijs amarulentissimis prosciderunt.

Quî fiebat hoc?

Quoniam operum humanorum fiduciam ferre non potest Euangelium Christi, nec eandem hypocritæ, atq; iusticiarij damnosam reputare, neq; nissam facere possunt. Hinc origo simultatis, & inimicitiæ caput exoriebatur inter Abel et Cayn, Israë & Ismaël, Iacob & Esau, Saul & Dauid. Hinc murmurabant operarij aduersus patremfamilias, quòd nouissimi tantundem accipiebant, quantum primi.

Et

Et filius senior patri indignabatur, quòd filium perditum in gratiam recepisset.

Sed quid Christus ludęis murmurantibus faciebat?

Agebat pro more suo consueto. Nam cùm Phariseos atq; Scribas murmurantes, & indignantes uideret, arripere solebat occasionem acrius concionandi, & oportunum captare locum ardentius ueritatem Euangelicam prædicandi. Quod etiam hoc loci faciens duas parabolas recensebat, & earum euidentibus argumentis ora illorum obstruebat, conuincebatque proprijs ipsorum factis & & exemplis.

Quænam prior est parabola?

Sic ait Christus: Quis ex uobis homo, qui habet centum oues, & si perdiderit unam ex illis, nonne relinquit nonaginta nouem in deserto, & uadit ad illam quæ perierat, donec inueniat eam? Et cùm inuenerit eam, imponit in humeros suos gaudens: uenienśq; domum conuocat amicos & uicinos, dicens illis: Gaudete mecum, quia inueni ouem meam, quæ perierat. Dico uobis, quod ita gaudium erit in cœlo super uno peccatore resipiscente magis, quàm super nonaginta nouem iustis, qui non indigent pœnitentia.

Quænam est altera parabola?

Christus

Christus ita refert: Quæ mulier habens drachmas decem, si perdiderit drachmam unam, nunquid accendit lucernam, & uerrit domum, quærit & diligenter, donec inueniat? Et cùm inuenerit, conuocat amicas & uicinas, dicens: Gaudete mecum, quia inueni drachmam, quam perdideram. Ita, dico uobis, gaudium erit coram angelis Dei super uno peccatore resipiscente.

Quidnam Christus duabus hisce parabolis docet?

Ostendit qualem erga nos animum habeat, hoc est amore nostri flagrantissimum. Vult item ut nobis omnia bona polliceamur, certoq; persuadeamus de se ipso, qui noster uerus pastor, atq; nos eius oues. Quas, si aberrauerint, & à recta uia deflexerint, quæsiturus est donec inuenerit, inuentas autem in humeros suos impositurus, reducturusq; ad uiã salutis. Præterea quemadmodum diligens materfamilias nostræ conscientiæ domum uersus est, atq; purgaturus scopis aduersitatum & afflictionũ, incensurusq; diuini uerbi lucernam, & drachmam perditam quæsiturus, ut propter inuentam gaudia magna fiant, quibus etiam perfusi lætentur angeli.

Nos ne reputamur oues perditæ?

Maximè. Nam Propheta Esaias sic ait cap. 53. Omnes nos quasi oues erramus, unusquisq; in uiã suam

suam declinauit. Porrò stupidum atq; solidum animal est ouis, quæ si deerrauerit, è conspectu pastoris euagata, non potest per se rectam in uiam redire, nec sibi suppetias ferre: palantem igitur si pastor non requisiuerit atque reduxerit, oporteret inedia perire, uel à lupis deuorari. Sic homo cùm aberrauerit, atq; deuolutus fuerit in peccatorum profundum, non poterit uiribus proprijs emergere: solet enim differre in seram commissa piacula mortem, nec ad uiam salutis redire sine pastoris auxilio, hoc est, Dei gratia, quæ sceleribus coopertum extrahat, atq; reducat ad misericordiæ thronum, salutis asylum.

Fertne libenter opem Deus?

In hoc maximos labores impendit, grauissimosque sumptus fecit Deus, ut post Adæ casum perditã ouem, hoc est, genus humanum recuperaret, reduceretq; in uiam rectam. Principiò misit sanctos Prophetas: deinde filium suum unigenitum: postremò per orbem uniuersum Apostolos. Quod non fecisset, si non tantus adiuuandi nos amor Dei refulsisset.

Quibus beneficijs nos Dei filius afficit, & quam operam præstat?

Optimi pastoris officio functus nos quærit, uocat, comitatur, indagine solicita perueſtigat errantes, accendit uerbi diuini lucernam, tradit legem

& Euangelium. Verrit domum cõscientiæ nostræ scopis tribulationum, et omnem deniq; lapidem mouet, ut oues perditas inueniat. Deinde repertas humeris suis sanctis imponit, et reportat ad ouile, ubi molliter in eius sinu quiescimus, tuti à truculenta lu porum humanitate, atq; canum morsib. A curis itaq; uacui, nihil turbabimur, si circumeuntes ouile diduxerint rictus, atq; denes sanguinolentos nudauerint lupi, ferociterq; canes latrauerint, cùm fortissimus pastor Christus, nos defensurus sit, & à nobis omnia pericula Sathanæ & inferni profligaturus, & ad cœleste tãdem ouile perducturus, ut inibi cũ omnibus angelis atq; spiritibus sanctis gaudeamus in æternũ. In portu igitur nauigant, atq; beati sunt, qui ab erroribus atq; peccatis recesserunt, egerintq; pœnitentiam ad Dominum reuersi, & non tantum ipsi lætantur angeli super magnifico mundi fastu, potestate, diuitijs, operosis palatijs, splẽdidisq; traditionum humanarum cæremonijs, quantum gaudent super uno peccatore resipiscente.

immanitate.

Nos comparamur ne drachmæ perditæ?

Comparamur quidem ad imaginem Dei cõditi, fuimus & charactere diuino signati, sed per Adæ casum imago Sathanæ facti sumus. Atqui tanta Dei bonitas & clementia fuit, ut semper Euangelicæ ueritatis lucernam incenderit, & quemadmodum mater familias sedula domum uerrerit, quæsieritq; drachmam perditam. Ante tempora diluuij, cùm nihil sani, sed omnia deplorata perditaq; essent, suscitauit Dominus Patriacham Noë, qui succensa uerbi diuini lucerna perditã drachmam quæreret, licet pauciss imos inuenerit. Sic ante Zodomitarum & Gomorritarum interitum Loth. Et ante Pharaonis & Ægyptiorum submersionem Moses. Consimiliter ante captiuitatem Israël atq; Iuda, sunt à Domino suscitati Prophetæ. Et ipse Christus ante Hierosolymitanam uastationem misit Apostolos suos atq; discipulos: quemadmodum adhuc Deus operatur hodierno tẽpore, quo uidemur impendere maxima pericula, & omnium rerum exitium immineare. Quapropter ut Deus consoletur, confirmet, conseruetq; suos, ad ultimũ accẽdit splendidissimũ Euangelij lumen, ut quod perditum est quærat. Beati autem qui inueniuntur, & in ouile Dei reportantur, sed omnium infelicissimi, quos peccata contegunt ita, ut inueniri non possint.

Possumus ne solida consolationis argumenta nobis ex hoc Euang. depromere?

Euidentissima. Nã si cordib. nostris imprimeremus talẽ Christũ ualeremus, qualẽ nobis hoc Euangeliũ depingit, tũ fortes insultare diabolo possemus, et in eius cõtemptũ alacriter dicere: En Satana, Christus est sola mea spes atq; fiducia, & inexpugnabile, quo

ſuffulciet, munimentum. Hic paſtor meus eſt, eius ouis ego. Vt igitur libet minare, pro tua libidine crudeliter exterre, plauſtra etiam cõuitijs & omnia malis effunde, manum ego non uertam. Quòd ſi quæſieris an ego ſim pius atque iuſtus, reſpondebo minimè. Quòd ſi rogaueris an peccator, non negabo maximum eſſe. Quid tum? Quòd ſi totius mundi crimina deſignaſſem, non tamen ego protinus arborem ſuſpendio deligerem, ſed potius in bonum illum paſtorem Chriſtum omnia conijcerem, in maximam eius miſericordiam confiſus. Sum in hoc baptizatus & Euangelij certiſſimis rationibus confirmatus, ſcio me perditam ouem eſſe, Chriſtum autem bonum illum paſtorem: cur igitur ego metuerem, qui ſum in tutela atque præſidio illius, qui ſuam innocentiam atque iuſticiam, non mecum communicat, ſed totam mihi donat, & propriam facit, atque me geſtat, ac ſuffulcit, ut perire non queam. Tantiſper enim dum mordicus hunc articulum teneo: Credo in Ieſum Chriſtum &c. non erit quòd metuam: cùm ille tutum me reddat à lupis atque Sathana, conſeruetq;, dum ad æternum illud patriæ cœleſtis ouile reportet.

Quid autem ijs eueniet qui iuxta rationem dictam non cognoſcunt Chriſtum?

Qui Chriſtum uerum paſtorem nõ cognoſcunt, ij con

ij contabeſcent mœrore perpetuo, & æternis conſumpti miſerijs deuorabuntur à lupis infernalibus. Quemadmodum homo qui triſtatur atque luget, nihil quod arrideat opinatur ſe cõtemplari, ingrata ſordent omnia, Sol & Luna uidentur obſcurari, & aſpectus omnium creaturarum tenebricoſus atque tetricus eſſe. Contrà, qui nullis malorum procellis iactatus lætatur, ei uidentur omnia ridere, omniaq; gratiſſima refulgere iucunditate. Sic qui turbidam inquietamq; conſcientiam habentes mœrent, & afficiuntur animi dolore, nihil aliud cogitant, quàm à tergo Deum inſtare, cumq; exitio immunere clanauatorem, aut omnes atque ſingulos angelos inſurgere, mortemq; ſtrictis gladijs intentare. Qui maximus animorum languor ita ſolet inhorreſcere, ut homo nihil gaudij, nullamq; conſolationis ſpem concipere poſſit uel à Deo, uel à creaturis, imò tanta mœſticiæ, tantaq; terroris horriditate perculſus, ut Dei creaturas non queat intueri, non pati ſolem, nec aſtra, neq; concentus auium ferre, ſed extimeſcat omnia.

Ad lunam motæ trepidans uel arundinis umbrã.

Quorum omniũ cauſa profluit inde, quòd Chriſtum non cognoſcimus bonum eſſe paſtorem, eumq; Deum clementem atq; miſericordem, ſed aſſingimus & perſuademus nobis illum eſſe Moſen ſeuerum, crudelemq; iudicem atq; tyrannum.

Quid autem potissimum ex hoc Euangelio discemus?

Cùm primis hoc tenendum, si tu peccator in delictorum uolutabro submersus iacueris, & ob id conscientia tua grauata fuerit atq; perperã affecta, desyderaueris igitur in animo recreari, cõsolari, atq; tranquillari, necesse erit, ut ad eum te conferas, qui uoti compotem te facere poterit: Is est Iesus Christus, quẽ pater cœlestis in hoc præordinauit atq; misit, ut nobis esset cõsolationi, saluti atq; gloriæ. Qui peramica uoce nos alliciens, inquit: Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, & ego uos refocillabo. Ad bonum illum pastorem firmiter adhærescе, qui ponit animam suã pro ouibus: Qui, ut Esaias ait, calamum quassatũ non conteret, & linũ fumigans non extinguet. Confuge sub alas congregantis pullos suos gallinæ fidelis Christi, qui te uerbi sui patrocinio clementer ꝓteget. In hoc inuenies omnia ad corporis simul ac animæ salutẽ conferentia. Huius humeris sublatus, atq; præsidio defensus in cœlo gratissimus hæres futurus es. Quãuis aũt extra Christũ in alio quopiã quantũuis sancto tibi summa spei fuerit, atq; omnes, ut solatio tibi sint, creaturas imploraueris, aut in id omnes adhibueris mundi uoluptates, non tamen uerè poterit animus refocillari, nec in sinu gaudere, cùm in intimo pectoris atq; conscientiæ recessu subsidentes pauoris & angustiæ graues maneant reliquiæ. Cæterùm qui bono pastori Christo sese dediderit, et ex eius uerbo pepẽderit, is omni metu liberatus, penitissimoq; cordis gaudio perfusus, deportabitur non equis nec quadrigis, sed Christi humeris impositus in ouile cœleste, hoc est uitam æternam: Amen.

DOMINICA QVARTA POST Trinitatis, Euangelium Lucæ VI.

ESTOTE ergo misericordes, sicut & pater uester misericors est. Nolite iudicare, & non iudicabimini. Nolite condemnare, & non condemnabimini. Remittite, & remittetur uobis: Date & dabitur uobis: Mensurã bonã, & confertam, & concussam atq; exundantem dabũt in sinum uestrum. Eadem quippe mensura qua metimini, metient̃ alij uobis. Dicebat aũt illis similitudinem: Nunquid potest cæcus cæcum ducere? nonne ambo in foueam cadunt? Non

est discipulus supra magistrum su um: perfectus autem omnis erit, si cut magister ipsius. Quid autem uides festucã in oculo fratris tui, trabem autem quæ in oculo pro. prio est, non animaduertis? Aut quomodo potes dicere fratri tuo: frater, sine eiçiam festucam quæ in oculo tuo est, ipse in oculo tuo trabem non uides. Hypocrita, eiçe primùm trabem ex oculo tuo, & tũc perspicies, ut eiçias festucã quæ est in oculis fratris tui.

Quænam hoc nobis Euangelium proponit?

Hæc præcipuè duo. Primùm: Quomodo se Deus erga nos gerat, nempe, nobiscum agat, ut misericors pater, qui solem suum exoriri sinit super malos ac bonos, & pluuiam mittit super iustos & iniustos, ut ait Christus Matthæi 5. Deinde quomodo nos erga proximũ affecti debeamus esse proferẽtes opa charitatis atq; misericordiæ. Debemus aũt inimicos

inimicos nostros diligere, bene precari deuouentibus nos, bene facere ijs, qui nos odio prosequũtur, orare pro ijs, qui lædunt nos & infestantur, non iudicare, non condemnare, libenter remittere, libenter mutuum dare gratis, consilium dare, suppetias ferre. Et ut Christus in summa dixit: Prout uolumus ut faciant nobis homines, consimiliter illis facere debemus.

Quidnam ad ista nos opera promouere debet?

Ad imitandum nobis exemplum Christus proposuit patrem suum cœlestem, inquiens: Estote misericordes, sicut et pater uester misericors est, qui solem suũ exoriri facit super bonos & malos, &c. Q. d. Contemplamini quãta pater meus beneficia conferat in mundum, per immensas solis atq; pluuiæ commoditates. Nam si res eas duas è medio tollerit, non diu mundus stare posset.

Cur?

Nam si non illucesceret sol, nec calore suo terram foueret, omnia frigoribus penetrabilib. aduſta emarcescerent atq; perirent. Et si perpetuus etiam solis ardor flagraret, nec pluuia tellus humectaretur, exarescerent omnia. Non enim iumentis pabula, nec hominibus frumenta produci possent: Per solem Deus confert siccitatem atq; calorem. Per pluuiam suppeditat humiditatem atque frigiditatem.

Per illum item administratur motum atq; uitam: per hanc elargitur succum & incrementa. Per utriusque igitur commoditatem Deus quicquid in terris ita conseruat, nempe omnia nascentia, ut arbores, plantas, herbas, frondes, uina, gramina, fruges, & breuiter omnia, quæ non solùm hominibus, sed etiam brutis animalibus, omnibusque creaturis necessaria.

Quænam Christus intelligi uult per illud dictum: Qui solem exoriri facit super malos & bonos?

Hæc dicit: Quòd si nescitis, chari filij, quàm bonus atq; misericors sit pater meus cœlestis, interrogate solem atq; lunam, & certiores redditi, cognoscetis, quàm magno beneficiorum numero locupletet omnes homines, non solùm bonos, sed etiam malos, imò peßimos, qui loco gratiarum actionis, sanctum Dei nomen uituperant, calumniantur, blasphemant, persequuntur atq; condemnant, ut digniores essent, quibus ne momento quidem temporis claritas solis affulgeret, sed æternæ tenebræ, & in hoc & in futuro seculo perhorrescerent, nec etiam daretur ullo tempore pluuia naturalis, sed cælitus dimitteretur merum sulphur, ignis, lapides atq; grando. Attamen sic bonus, ita patiens atq; misericors est Deus, ut indulgeat illis, atq; permittat, ut

ut in bonis diuinis impij pro libidinis arbitrio uiuant, superbiant atq; luxurientur. Sed uæ illis, nisi resipuerint.

Sed hæccine seria nimis atq; dura concio.

Asperrima est: Cuius nos indies admonet ipse sol atq; pluuia, imò quilibet agri floseulus, aut quodlibet syluarum folium. Quippe nullus est tam exiguus in terris fructus, qui nobis istam concionem non assiduè reuocet in memoriam. Q. d. Consyderate homines, in quorum utilitatem commoda nostra cedant, & quibus prosint labores nostri? nonne peßimis omnium in orbe terrarum, utpote Iudæis, Turcis, Ethnicis, falsisq; Christianis. Pars enim minima redit ad pios. Et si nonnihil bi fuerint consecuti, tamen inuidus mundus hoc ipsum ijs non fauet, sed connititur bolum è faucibus eripere. Quemadmodum igitur nos cogimur impiorum iniurias, & turpißimos abusus patienter ferre, dum à communi conditore Deo liberemur aliquando, sic & uos per longanimitatem facias oportet. Estote igitur misericordes, nolite iudicare, nolite condemnare, nolite iudicare, sed omnia Deo relinquite.

Quid per ea uerba Christus intelligit: Nolite iudicare, Nolite condemnare?

Hisce uerbis nihil noui docet Christus: Sed quod

quod in scripturis præceptum erat interpretatur & enucleat, nempe : Diliges proximum tuum sicut teipsum. Quòd si tu cùm deliqueris imbecillitate carnis, aut illecebrosa alia occasione pellectus, cupis tuum peccatum occultari, & ignosci tibi: iam hoc ipsum, quod ab alijs tibi fieri petis, uicissim alijs cupientibus facito. Noli igitur iudicare, noli condemnare, iuxta Christi præceptum.

Debemus ergo neminem reprehendere, sed ad omnia crimina conniuere?

Conditionis priuatæ Christianus, pro arbitrio personæ propriæ non debet iudicare : sed qui sedent ad Reip. gubernacula, & in magistratu sunt homines, utpote præfecti urbium, ciuium magistri, Senatores, Iudices, Principes, item patres familias, ludimagistri, concionatores, ij iudicare possunt, non ex propriæ personæ, sed ex officio magistratus. Rom. 13. Verùm absurdissimum esset, si magistratui subditus, filius parenti, discipulus præceptori, reus iudici, & sacrilegus carnifici diceret: Esto misericors, noli iudicare, ne iudiceris, noli condemnare, ne condemneris, &c. Nam si magistratus, administratores Reipub. Iudices aut patres familias erga delinquentes benigni semper atq; clementes essent, nunquam iudicarent aut punirent, tum uicta cesseret pietas, omniaq; passim criminum exundarent

rent genera, tantusq; facinerosorum uel intra mensem numerus exiliret, ut nemo tranquillam securāq; posset ætatem exigere, cùm non hospes ab hospite tutus,

Nec socer à genero, fratrum quoq; gratia rara:
Imminet exitio uir coniugis, illa mariti. &c.

Et si concionatores magis muti quàm pisces, ad falsam doctrinam, mendacia, errores atq; crimina conniuerent, hallucinarentur, atq; cæcutirent, uideremus neminem, intra spacium unius anni Christianum. Ipse Christus ait Ioan. 12. Sermo quem locutus sum ille iudicat, &c. In hoc casu diligenter distinguenda sunt hæc duo, nempe magistratus atque persona. Priuatæ personæ non est permissum iudicare atque condemnare: sed ijs, qui magistratus officio funguntur est concessum iudicare, condemnare atq; punire. Ergo cùm Christus ait: Noli iudicare, nolite condemnare, putat adulatores, lamias, myosobas, calūniatores, anterioris inspectores māticæ, qui in fratris oculo festucam, in suo trabem non uident. Qui nullius imperio magistratus, sed ex propria maleuolentia, proteruitate, petulantia, odioq;, procaciter damnant proximum, dicentes: Velim hunc uel illum, hoc uel illo morbo consumptum, gladio confossum, à mille diabolis discerptū, &c. Sed quid hoc est aliud dicere, quàm Deum & magistratum calumniari, atque ijs liberam iudicandi,

di decernendiq; potestatem auferre, peccaretiam in legem naturalem atque diuinam, quo nomine condemnant seipsos. Quòd si, ut S. Ioannes ait, omnis qui fratrem suum odit, homicida est, quanto magis homicida est, qui fratrem suum iudicat atq; condemnat, quod ex officio non debet.

Quibus comparat eos Christus, qui iudicant atque damnant alios?

Principiò eos cæcorum ducibus, qui iudiciis propriæ rationi placentibus, alios seducunt, facit similes, inquiens: Nunquid potest cæcus cæcum ducere, nonne ambo in foueam cadunt? Deinde conspicientibus in oculo proximi festucam, in proprio autem non trabem consyderantibus æquiparat, dicens: Quid uides festucam in oculo fratris tui, trabem autem quæ in oculo proprio est, non animaduertis? Aut quomodo potes dicere fratri tuo: Frater, sine eijciam festucam quæ in oculo tuo est, ipse in oculo tuo trabem non uides? Hypocrita, eijce primùm trabem ex oculo tuo, & tunc perspicies, ut eijcias festucam, quæ est in oculo fratris tui.

Quid per festucam accipis?

Nihil aliud per festucam intelligo, quàm leuiculum proximi casum, & perexiguum delictum, in quod per fragilem carnis imbecillitatem inciderit.

Quid per trabem?

Eblan

Eblandientes uoluntatis humanæ consensus, propriæq; rationis placita, quæ penitus hominem occæcant, ut maxima propriorum flagitiorum crimina non animaduertens, perspiciat etiam leuissimam in proximo maculam.

Quiq; in amicorum uitijs tam cernat acutum,
Quàm aut aquila, aut serpens Epidaurius.

Possunt ne peruersi huius iudicij exempla proferri?

Christum Pharisæi iudicabant, & condemnabãt impiè, q; ægrotos sabbato restitueret sanitati: & discipulos, quia non sæpius more pharisaico ieiunarent. Nonuidebant autem in oculis suis istam grauissimam trabem incredulitatis, nec perspiciebant impiissimam uitæ perditæ, morumq; turpium rationem, qua diuinæ ueritati resistebant. Et amusi Papistarum greges condemnant hodie sacerdotum cõiugia, quæ tamen à Deo sunt instituta, non uidentes interim per crassissimã animorũ caligmem, quã tis ipsi scortationum & adulteriorum flagitijs obruti, succumbant, in terrimum orbis totius offendiculum. Religiosos item, qui posthabita pernitiosa superstitione & idolatria, sese diabolica captiuitate liberatos conferunt ad Christũ, condemnant, apostatas appellando, quòd ea non seruent, quæ contra Deum uouerint hominib. sed interim iudices iniqui, præ maximæ trabis obstaculo, hoc est,

den-

denſißimis ignorantiæ nubibus non animaduertũt, quòd ea uota ſoluant ipſi; rumpantq; fœdera, quæ percuſſerunt in baptiſmo, cum Deo patre, filio, atq; ſpiritu ſancto. Non ipſi cæci cæcorum duces uident, in quem offenſionis lapidem impingant, qui contempta ordinatione diuina, ab hominibus excogitatam errore plenam arripiunt. Euangelium non ſolùm ſilentio premunt, ſed etiam perſequuntur, à Chriſto deficientes ad Sathanam, ueri Apoſtatici. Eſt ergo Chriſti ſententia: Iudicare atq; damnare peßimum eſt, ac turpißimum crimen, ueraq; Sathanæ ſuperbia, qua ſibi parant homines & accerſunt ſeuerum Dei iudicium. Quapropter homo, ſi uolueris alios homines iudicare atque condemnare, primùm in te deſcende, et in tuum ipſius ſinum inſpue, quæq; ſub pelle tua crimina latitent, reſpice, &

Aſſutam uapido portes quam pectore uulpem.

Quod igitur in te eſt primitus in quadratum (ut aiunt) redige, tuæ uitæ catalogum recẽſe, uetus fermentum excute, Augiæ ſtabulum repurga, & quod alijs denicq; uicio uertis, ne feceris ipſe.

Quid eſt quod Chriſtus ait: Remittite, & remittetur uobis?

Vult ut ex corde condonemus proximo, quicquid in nos deliquerit aut uerbis, aut operibus.

Cur addit: Remittetur uobis?

Iis

Iis uerbis nos ablegat ad orationem dominicam, in qua dicimus orãtes: Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris, &c. Q.d. Si remiſeritis proximo, remittetur et uobis.

Sed inquis: cõdonare non poſſum, nimis graue delictum eſt.

Quàm graue poterit eſſe, quod aduerſus hominem habet homo? Hoc ipſum Chriſtus Mat. 18. centum denarijs aßimulauit: ſed illud, quo Deo nos obſtricti ſumus debitum, comparauit decem millibus talentorum, quæ longè maior ſumma. Quòd ſi iam paruum, quo tibi deuinctus eſt proximus tuus, debitum nolueris remittere, nec maximum tibi Deus eſt remiſſurus.

Quid eſt quod ait: Date, & dabitur uobis. Menſuram bonam, confertam & concuſſam, & exundantem dabunt in ſinum ueſtrum?

Per nomen, quo Chriſtus hic utitur, Menſuræ, non intelligit ſimplicem dationem, ſed eam, quæ fit per emptiones atq; uẽditiones. Vult igitur, ut quilibet ſuas merces tanti uendãt, quanti uelint ipſi redimere. Iubet igitur dari bonam menſuram, uel plenam ulnam, ſi pannus aut laneus fuerit, aut lineus. Concuſſam autem, ſi fuerit frumentum. Exundantem, ſi uinum aut cereuiſia. Nam qui facit aliter in hiſce rebus, atque poſtulat æquitas, in Dei præce-

t

ptum illud peccat: Non furaberis. Et Dominus Leuitici. 19. præcepit, inquiēs: Nolite facere iniquum aliquid in iudicio, in regula, in pondere, in mensura. Statera iusta & æqua sint pondera, iustus modius, æquusq; sextarius. Et Deuteronomij 25. Non habebis in sacculo diuersa pondera, maius & minus, nec erit in domo tua modius maior & minor, pondus habebis iustum & uerum, & modius æqualis & uerus erit tibi. Iam hic, uelut in speculo, sese contemplentur institores, negociatores atque mercatores omnes, qui sycophantijs, fucis atque dolis circumueniunt proximum, quibus lucri bonus odor est è re qualibet, qui per fas atq; nefas faciunt quæstum, & incommodant pauperibus clamantes:

O ciues ciues quærenda pecunia primùm,
Virtus post nummos.

Item: Veniat hospes quisquis profuturus est. Quibus Deus hoc faciet, quod Euangelium ait: Eadem mensura qua metimini, metientur alij uobis. Euenit etiam plerunq;, ut eiusmodi bona, quæ rapinis, usura, & furto quæsita sunt, in malam rem abeant, & malè parta, malè dilabantur, ita, ut nemini bono sint usui. Etenim sic ea Dominus exufflat, ut ueluti fumus euanescant. Hoc est quod Aggeus propheta dicit: Qui mercedes congreguit, misit eas in sacculum pertusum. Sic ex eo quod dicitur: Date, et dabitur uobis: fit, Rapite, et rapietur uobis.

Quid

Quid est quod ait: Nunquid potest cæcus cæcū ducere, nonne ambo in foueam cadunt?

Hisce uerbis auditores deterret à peruersis doctoribus, qui falsò legem diuinam interpretantur. Quasi dicat: Tam dilucidè legem diuinam uobis explicaui, ut aberrare non possitis. Cæterùm si Pharisæos, qui uarijs figmentis eam cōtaminant, falsisq; rationibus interpretantur, audiueritis, aliamq; receperitis enarrationem, cæci peribitis cum illis cæcorum ducibus, præcipites simul in foueam acti. Quid autem ab indoctis præceptoribus discipuli poterunt accipere: Nonne tales permanent, quales inepti sunt illorum magistri?

Quid per ea uerba significat Christus: Quid uides festucam in oculo fratris tui, trabem autē, quę in oculo proprio est, non animaduertis?

Omnes eos redarguit, qui temerè iudicant atq; condemnant alios, sed ad propria crimina cæcutiunt. Qui festucā in oculo fratris uident, trabem autem quæ est in oculo proprio non animaduertunt. Huius criminis est adeò plenus totus mundus, ut omnibus locis ubertim effluat. Nulla est duorum aut trium hominum societas, in qua non iudicentur atq; condemnentur pij. Quemadmodū in prælauto conuiuio benè tostus anser, aut capo, uel lepus dis-

eerpitur ab esurientibus, & ad ossa diminuitur, ita etiam in conuiuijs homines dente Theonino roduntur, & ita, ut nihil sani uel in uita, uel moribus relinquatur, miseri dilacerantur à Trabiferis illis calumniatoribus : qui ueluti sorices, indicijs suis se produnt, & ostendunt, quales sint, nempe similes carioſis atq; malis arboribus, quæ nihil aliud proferunt, quam uerminosos fructus, tribulos atq; lolium, hoc est, omnia scelerum atque criminum genera, quæ demetentur atq; proijcientur in flammas infernales. Sed boni, quos homines pij producunt, fructus, in quorumlibet prouentum & utilitatem cedentes, importabuntur in aulæ cœlestis horreum. Amen.

DOMINICA QVINTA
post Trinitatis, Euang. Lucæ V.

FActum est autem, cùm turba immineret, ut audiret Verbũ Dei, & ipse stabat iuxta stagnum Genezaret, & uidit duas naues stantes ad stagnum: piscatores autem descenderant ex illis, & ablu ebant retia. Ingressus autem in unam nauim, quę erat Simonis, rogauit

gauit eum, ut à terra abduceret pusillum, & sedens docebat de naui turbas. Vt cessauit autẽ loqui, dixit ad Simonem: Duc in altum, & laxate retia uestra in capturã. Et respondens Simon dixit illi: Præceptor, per totam noctem laborãtes nihil cepimus, tamẽ tuo iussu laxabo rete. Et cùm hoc feciſſent, concluserunt piscium multitudinem copiosam. Rumpebatur autem rete eorum. Et annuerunt sociis qui erant in altera naui, ut uenirent, & adiuuarent ipsos: & uenerunt, atq; impleuerunt ambas naues, ita ut mergerentur. Quod cùm uideret Simõ Petrus, accidit ad genua Iesu, dicens: Discede à me Domine, quia homo peccator sum. Stupor enim circundederat

eum, & omnes qui cum illo fuerant, super captu piscium quem ceperãt: similiter autem Iacobum & Ioannem filios Zebedæi, qui erant socij Simoni. Et ait ad Simonem Iesus: Ne metuas, posthac homines capies. Et subductis in terram nauibus, relictis omnibus secuti sunt eum.

Quid præsens edocet Euangelion?

Hoſce tres articulos. 1. Maximam in prædicando diligentiam atq; ſedulitatem Chriſti, & ardentem attentionem plebis, Dei Verbum audientis. 2. Potentem diuini ſermonis efficaciam, qua ſuis auditoribus Chriſtus ſe daturum confirmat omnia, et ad corporis & animæ ſalutem conducentia. 3. Cõtinet myſticum ſui piſcatus intellectum.

Vnde colligitur in prædicando diligentia Chriſti?

Diuerſis atq; uarijs modis prædicans Chriſtus, in Euangelio nobis exprimitur, ambulans, ſtans, ſedens in naui, & terra peregrinans, defatigatus moleſtia nauali, atq; pedeſtri. Iam enim peragrabat Iudæam

dæam & Galilæam, iam ſecedebat in partes Gentium, iam prædicabat in Synagogis, in plateis ciuitatum, in ſolitudinibus, in mõtibus, ſanabat ægrotos, conſolabatur afflictos, & uiglanter omnia faciebat, nihil intermittendo, quod ad boni paſtoris officium pertinere uidebatur, ut ex ijs omnibus contẽplaremur illum nõ ſuam utilitatem quæſiuiſſe, ſed omnium hominum ſalutem: Diſceremus item, illum eſſe noſtram in terris ſpem atq; conſolationem. Ad hæc, ut arriperent inde concionatores ſimul & auditores omnes exemplum, quod tutò, ſineq; omni cõſcientiæ periculo poſſint imitari.

Vnde concionatores exemplum mutuabuntur?

A Chriſto, qui prõptus ubiq;, & non acceerſitus adeſt, docet, atq; pauperibus errãtiq; populo prædicat Euang. etiam ſi tantùm unicũ habeat uel Nicodemum, uel Mariã. Sic etiam Euangelij miniſter ubiq; debet rerũ ſuarum ſatagere, atq; docere uiglanter, ne in pœnas incidat ei ſeruo decretas, qui defoſſum in terram talentum occultauit. Matth. 25.

A quonam auditores Euangelij deſument exemplum?

A populo, qui properabat ad Chriſtũ, ut audiret Verbum Dei. Quod igitur hic populus fecit, idem libenter imitabũtur omnes Chriſtiani, frequẽter ad cõciones ſacras ibunt, Dei ſermonẽ ſitienter

audient, atque se facilè permittent erudiri. Nam quid prodesset assiduò docere, si nemo uerbum audiret, nec inde melior redderetur. Æquè præceptum est auditori Verbum audire, quàm prædicare concionatori, imò, si beati futuri sunt, qui Verbum Dei audiunt, & custodiunt acceptum, necesse est illi sint infœlices, qui non audiunt, sed uerbum Dei contemnunt. Ergo cohærent ista duo, nempe docere & audire, & ut prædicatorum est prædicare, et fideliter instituere, sic auditorum diligenter intendere, atque sanam Euangelij doctrinam animis infigere.

Sed cùm Iudæi Mosen atq; prophetas haberent, cur tantopere properabant ad Christum, quasi laborauerint Verbi diuini penuria?

Accidebat eo tempore, quod suo conquerebatur Hieremias cap. 5. Qui circũibat uias Hierusalem, aspiciebat, consyderabat, & quærebat in plateis, an inueniat uirum facientem iudiciũ, & quærentem fidem, sed inuenit neminem: indurauerant enim suas facies supra petram, & noluerunt reuerti. Dixit ergo Propheta: Forsitan pauperes sunt & stulti, ignorantes uiam Domini, iudicium Dei sui. Ibo igitur ad optimates, & loquar eis, ipsi enim cognouerũt uiã Domini, iudicium Dei sui, et ecce magis hij simul cõfregerunt iugum, ruperunt uincula.

Ab

Ab eo tempore indies magis atq; magis deteriora successerũt. Cùm aũt Christus, non ut Pharisei atque Scribæ, sed efficacius atq; potentius ueluti diuina quadam authoritate præditus inciperet prædicare, turba maxima confertim accurrebat, ita ut multitudinis plateæ nõ essent capaces, neq; domus. Quocunq; se uerterat, quocunq; contulerat, sequebãtur agmnatim, in solitudinem, montes, mare. Nõ deterrebantur uiarum asperitate, nec graui cacuminum ascensu, neq; procellosa maris tempestate.

Vbi stabat id temporis cùm prædicaret Christus?

Iuxta stagnum Genezareth, quod Iordanis in Galilæa fluuius facit. Multas habuit præclaras ciuitates utpote Iuliam, Tarichiam, Capernaum, Tyberiadem, Betsaidam. Hinc etiam mare Galilææum est appellatum, aut mare Tyberiadis. Hoc loci turba undiq; confluentis fluctuantisq; populi iactabatur ita Christus, ut propemodum è portu detruderetur in mare.

Cur cùm Deus sit omnipotẽs Christus non efficit, ut in statione permanẽs, ueluti murus populo resistere, aut detrusus in ipsa maris superficie seu dorso, potuisset sine periculo prædicare?

Quoniam scriptum est: Non tentabis Dominum

t 5

Deum tuum. Cùm igitur ad manum esset nauis, nõ erat necesse super mare stando, prædicare. Nec uenerat in mundum, ut omnia iuxta potestatem diuinam faceret, sed ut eam, cùm postularet necessitas, declararet miraculis atq; prodigijs.

Quid iuxta mare faciebat?

Vidit duas naues stantes ad stagnum, piscatores autem descẽderant ex illis, & abluebant retia. Ingressus autem in unam nauim, quæ erat Simonis, rogauit eum, ut ab terra abduceret pusillum, & sedens docebat de naui turbas.

Quid finita concione Christus?

Vt cessauit loqui, dixit ad Simonem: Duc in altum, & laxate retia uestra in capturam.

Quid Petrus respondebat?

Præceptor per totam noctem laborantes, nihil cepimus, tamen tuo iussu laxabo rete. Et cùm hoc feciſſent, concluserunt piscium multitudinem copiosam. Rumpebatur autem rete eorum. Et annuerũt socijs, qui erant in altera naui, ut uenirent, & adiuuarent ipsos, & uenerunt, atq; impleuerunt ambas naues, ita ut mergerentur.

Quid hæc demonstrat historia?

Tria docet. 1. Omnes hominum conatus, proposita, consilia, rerumq; gerendarum rationes fluxas esse, atq; superuacaneas, si non exordium à Dei nomine traxerint. 2. Christum non modò Dominum esse cœli & terræ, sed etiam maris. Quemadmodum autem Deus populo Israëlitico tantam conturnicum multitudinem miserat, ut cooperta fuerint castra, sic tantã hic piscium copiã dedit, ut ambas impleuerint naues. 3. Vt cognoscamus unde prosperior conatuum, studiorumq; nostrorum successus, prouentus, & incrementum profluat, nempe ex Dei uerbo: quo docet, ijs, qui sacrosanctum hoc ipsum audierint, & utiliter in corde conseruauerint, omnino nihil defuturum, quod corpori uel animæ possit prodesse: quemlibet autem debere illis, quæ Deus exhibuit, mediis uti, suarumq; diligẽter, in uocatione qua cœlitus uocatus sit, rerum satagere.

Quænam sunt ista media?

Sunt laborare atque sperare. Quæ duo requirit à nobis Deus. Quare dixit Petro: Duc in altum, & laxate retia uestra. Quasi dicat: Quod piscatorum est facite, laborate atque sperate, mihi autem soli relinquite curam, qua rebus uestris prospiciatur.

Solis ne piscatoribus hęccine uerba dicta sunt?

Minimè, sed communiter omnibus omnium generum

rum hominibus. Nam dicit Magistratui Deus: Vigilanter audi uerbum diuinum, & hoc ipsum ab impiorum hominum insultibus defende, uiduae atque pupillos protege, maleficos affice supplicijs, patrocinare pijs, parturientia studia pacem amplectere, et in omnibus iusticiam diligenter obserua. Haec tui sint officij, cætera mihi permitte, maximè, quomodo sustenteris, & enutriaris in hoc mundo. Subditis item ait: Obtempera magistratui, sis fidelis, atq; uerus: Artem quam nouisti, citra proximi damnum, uigilanter exerce: Quod alijs uicio uertis, quodq; tibi fieri nolis, ipse ne feceris &c. Et tu, qui uerbi diuini prædicator, sine intermissione populũ fideliter institue, Dei sacramenta iuxta diuinam ordinationem administra

Doctrinam falsam uita cane peius & angue.

Tu pater atq; materfamilias liberos tuos, & familiam ad pietatem, atq; Dei gloriam erudi, nec non ad præsidium reip. Christianæ, proximiq; utilitatẽ, educa. Tu qui filius es, quæ filia, qui seruus, quæ ancilla, morem gerite bene monentibus, nõ scitis præfracti, non contumaces, sed faciles tractatu, fideles, ueraces, mala consortia fugite: Corrumpunt enim bonos mores colloquia praua: Quod honestum est sectamini, nihil soliciti, quomodo uos ego sim enutriturus. Facite officium uestrum, & ego mei non obliuiscar.

Se-

Sequuntur ne omnes, & obediunt hisce Christi uerbis?

Plurimi sunt homines, qui penitus nullam uel Dei, uel suæ uocationis curam gerunt, opinantes se manuum suarum laboribus, atq; proprijs curis assecuturos omnia quibus opus habuerint, cuius rei gratia noctes dies q; molestantur, nunquam intermissum quiescunt, semper & assiduò duriter urgent, & familiam omnem iumentaq; compellunt ad labores, etiam dieb. festis. Qua ratione sese putant, si dijs placet, locupletiores euasuros, sed toto (quod prouerbio dicunt) errant cœlo. Sunt alij, qui nauibus atq; quadrigis contendunt diuitias corradere, & fortunæ bona parare flagitijs, fœnore, sycophantijs, dolo, fraude, furtis, atq; rapinis. Sed hoc non est piscari iussu Domini, atq; Christi nomine, sed flamine Cacodæmonis. Ipse Deus uult quemlibet in uocatione sua laboribus intentum esse, sic tamen ut diuini nominis auspicio, Deiq; uerbi ductu rem exordiatur. Hoc qui faciunt diuinam benedictionem accipient, & omnium bonorũ augmenta conductura ad corpus & animam, ad opes simul ac honores.

Quid in hoc piscatu Petrus agebat?

Simon Petrus accidit ad genua Iesu, dicens: Discede à me Domine quia homo peccator sum.

Cur

Cur hæc uerba Petrus edebat?

Quoniam stupor circundederat eum, & omnes qui cum illo fuerant super captu piscium, quem ceperant.

Qualis fuit hic pauor?

Non uulgaris erat, sed eiusmodi qui mortis & inferni terrorem incusserat animo. Nam ex hoc miraculo discipuli Christum esse uerum Messiam intelligebant, uidebantq; summam eius maiestatem atq; gloriam. Hinc est, quòd ipsorum conscientia metu perculsæ horrebãt, agnoscentes peccata sua, quod indicat Petrus inquiens: Discede à me, quoniã homo peccator sum.

Petrus ne locutus bene, protulit hæc uerba?

Quandoquidem Christus, Mat. 9. profitetur se uenisse propter peccatores, meritò Petrus debuit dicere, non discede, sed ueni Domine. Quòd autem ait, homo peccator sum, probè locutus fuit. Et nos in hac parte debemus imitari Petrum, atque peccatores nos confiteri. Cæterùm quod ait, discede à me Domine, nimis imprudenter dixit: Nam qui peccator est, ei non expediet à Christo procul abesse, sed propius accedere, ad genua procumbere, diuinamq; gratiam atque misericordiam implorare. Sed tamen quia Petrus ea uerba proferebat ex pia simplicitate

citate, & pauoris anxietate, boni consuluit, ipsumq; consolatus fuit Christus.

Quid igitur ad Petrum dixit Christus?

Ait ad Simonem Iesus: Ne metuas, posthac homines capies. Quibus uerbis Christus omni metu liberabat discipulos, atque gaudio perfundebat ab infernali pauore translatos in læticiam cœlestem, & à condemnatione traductos in uitã æternam, quasi dicat: Mi Simõ, propter tua peccata non morieris, neque damnaberis, sed in uita permanebis diutius superstes futurus piscator, non piscium, sed hominum, & non solùm tu, sed etiam qui tecum sunt alij. Et non modò uobis ego peccata sum condonaturus, sed etiam daturus potestatem, qua remittatis alijs hominibus peccata.

Quid ad hæc uerba Petrus, Andreas, Ioannes, & Iacobus faciebant?

Subductis in terram nauibus, & relictis omnibus secuti sunt eum.

Tam ne fuerunt efficacia Christi uerba?

Procul dubio Christus non solùm in aures ea uerba dixit, sed etiam infudit in corda. Nam patrem & matrem, domum & prædia, & omnes denique facul-

facultates propter Deum relinquere, non est opus uulgare, quod homo per se possit facere, sed est uirtus sancti spiritus. Cùm igitur Christi uerba sunt spiritus & uita, credibile est, hanc Apostolorũ uocationem non ad aures tantùm peruenisse, sed etiam corda penetrasse. Non enim aliàs tam citò patrem & matrem &c. reliquissent, atque secuti fuissent Christum.

Quid per piscatum intelligitur?

Nomine piscatus accipe prædicandi ministerũ. Et ipse Christus Dei uerbum comparat uerriculo in mare iacto, Mat. 13. Per piscatores intellige concionatores Euangelij. Per ipsos pisces significant auditores. Nox incredulitatem, & hominum traditiones. Dies, fidem, atq; Dei uerbum. Cùm autem in piscatione, hoc est, in Euãgelij prædicatione Christus non adfuerit, nihil omnino capitur. Atqui si Christus retia laxaucrit, & piscationes, uerbiq; diuini conciones in Dei nomine fuerint habitæ, tum capturis copiosissimis replebuntur retia. Sic in die Pentecostes piscatus Petrus una concione cepit animas circiter ter mille, & Diuus Paulus totam Asiam.

Quid retis significat ruptura?

Rumpitur in Ecclesia rete cùm in hæresin & in errores

errores impios nonnulli incidunt, & cùm fidei concordia diuellitur. Ita ruperunt in Ecclesia primitiua rete, qui pertinaciter asseruerunt Apostoli salsi, necessariam Christianis fore circunciſionem, Acto. 15. Deinde suborta plus sexcẽta hæreticorum, Arrianorum, Manichiorum, Pelaganorum atque similium genera dilacerauerunt rete. Et quoniam nostra tempestate caput exerit Euãgelica ueritas, ingruerunt Anabaptistæ, Sacramẽtarij & aliæ factionum atque sectarum cohortes, miserabiliter Euangelij retia dirumpentes.

Quid ijs piscibus eueniet, qui per retis rupturam in pelagus recidunt?

Quòd si rem acriore iudicio perpenderimus, infœliciſsimi sunt illi pisces futuri, qui reciderint in mare. Nam hæc est summa gloria atque fœlicitas piscium, ut ad quam nati sunt mensam Domini splendidiſsimam perueniant: quam qui uitant elapsi per dilaceratum rete pisces, maximum sibi ipsis damnum & malum accersunt. Nam qui debebant ad æternam mensæ Dominicæ lætitiam peruenire, relabuntur in profundum deterrimi huius mundi pelagus, in quo corporum & animarum certa sunt pericula subituri.

Quid igitur aget qui bene uolet ac sapienter facere?

Quicunque per Euangelicum rete uoluerit ca-
pi, cum oportebit grandiorem esse piscem, quàm
ut per effractas macularum rupturas excidere
possit, hoc est, fortiorē in fide, & instructiorē sana
doctrina, quò stare ualeat aduersus assultus diabo-
li, atq; potestates rectorum tenebrarum. Non igitur
sit leuis, non lubricus, non uersipellis, non incon-
stās. Et, piscis inhorrescat spinosior histrice nullus.
Nec oportebit fundum petere, neque in cœnosum
limum persidere, hoc est, semper in turpibus flagi-
tijs perseuerare, & altera aure diuinum uerbum
audire, altera penula protinus emittere, ut in anno
nouo talis permaneat, qualis priore fuerit, hoc est
bipedum nequissimus. Eiusmodi pisces nō pertinent
ad Dei mensam, sed ad Sathanæ coquinam. Atqui
nos, qui Christi uoluerimus esse pisces, oportebit
piscatorum principis Euangelicum rete, hoc
est, Christi sermonem mordicus tene-
re. Quod si fecerimus Dei gra-
tiam in hoc seculo, & post
hanc uitam æternā
gaudia consecu
turi sumus
Amen.

DOMINICA SEXTA POST Trinitatis, Euangelium Mat. V.

NIsi abundauerit uestra iustitia plus quàm Scribarum & Pharisæorum, non possitis ingredi in regnum cœlorum. Audistis quod dictum sit ueteribus: Non occides: Quisquis autem occiderit, obnoxius erit iudicio. Quicunque uerò dixerit fratri suo, Racha, obnoxius erit concilio. Quisquis autem dixerit, fatue, obnoxius erit gehennæ incendio. Itaque si obtuleris munus tuum ad aram, & illic recordatus fueris, quòd frater tuus habet aliquid aduersum te, relinque munus tuum coram altari, & abi, prius reconcilieris fratri tuo, & tum ueniens offer munus tuum.

Quid facit in hoc Euangelio Christus?

Taxat in hoc Euangelio peccatum, quam iram uocamus. Quod crimen apud omnes redundãs in usu maximo est, cùm primis apud Pharisæos, atq; iusticiarios, tametsi nolint ipsi suam iram peccatum esse, sed meram sanctimoniam atq; iusticiam. Quemadmodum enim fastum suum interpretantur humilitatem, falsam doctrinam exponunt ueritatem, impiamq; uiuendi rationem promulgant esse cultum Dei sanctum, ita etiam iram suam tradunt merum Dei esse zelum. Ergo monet in hoc Euangelio Christus, ut nobis caueamus ab eiusmodi peccato, inquiens: Nisi abundauerit uestra iusticia plus quàm Scribarum & Pharisæorum, non potestis ingredi in regnum cœlorum. Audistis quod dictum sit ueteribus: Non occides. Quisquis autem occiderit, obnoxius erit iudicio. At ego dico uobis, quòd quisquis irascitur fratri suo obnoxius erit iudicio.

Quid hisce uerbis Euangelij docet Christus?

Tria nobis obseruanda profert. 1. Iusticiam Pharisæorum falsam distinguit, ac separat à uera Christianorũ. 2. Per explanationẽ præcepti quinti declarat, nihil apud Deũ ualere iustificationẽ externã, si non interna cordis accesserit. 3. Adhortatur ad reconciliationem, atq; fraternam charitatem.

Quotuplex est iusticia?

Duplex: Altera est mundana iusticia & ciuilis, quam externam uocamus. Altera spiritualis est, quæ dicitur interna.

Quænam ciuilis est?

Quæ unicuiq; tribuit quod suum est: Cuius hic nullam Christus facit mentionem. Nam Deus eandem inseruit rationi, & sic insculpsit ut homo iudicij naturalis intellectu sciat neminem lædendum, sed omnes benefaciendum esse, quemadmodum Christus apud Matth. Quæcunque uultis ut uobis faciant homines, eadem facite illis.

Quænam spiritualis iusticia?

Spiritualis est iusticia, quæ sola cum Deo potest agere, sed rerum adhibito iudicio respectuq;. Sunt enim qui Deum operibus, quæ fecerint ipsi sine fide contendant placare, atq; satisfacere. Quorum iusticiam Christus Pharisaicam appellat, quæ nihil aliud est, quàm fiducia falsa meritorum, operũq; humanorum, qua superbit homo, confidenter asseverans se pœnitentiã agere, præmij loco gloriam cœlestem expectare. De quibus Matth. 15. Christus ait: Frustrà me colũt, docentes doctrinas & præcepta hominum &c. Et in hoc Euangelio prorsum eos cõdemnat, & ad inferos detrudit ita, ut suis etiam

discipulis regna cœlestia deneget, nisi iustitia ipsorum plus abundauerit, quàm Scribarum atque Phariſæorum.

Vnde prouenit ea falsa operum fiducia?

Ex innato corruptæ naturæ nostræ uicio. Cùm enim peculiariter hypocrisis ingenerata sit homini, blanditur ei, placetq; fucatus eiusmodi splendor, & ita pariter accæcat, ut persuasum habeat, Deo uehementer esse cordi talia coram hominibus lucentis opera iustitiæ, eademq; diuinis æternæ uitæ bonis retalianda, compensandaq; fore. Et quemadmodum pauo dum pulchrum suarum pennarum decus intuetur, non potest fastuosum animi tumorem deponere, sic etiam coruscans operum hypocriticorum splendor ita perstringit oculos iusticiariorum, ut ipsi non queant sese peccatores agnoscere, solique gloriam ascribere Deo.

Alij sunt, qui posthabita reiectaq; omni humanarum operum, atq; meritorum fiducia, tantummodo sperãt atq; confidunt operibus meritisq; Christi. Hanc iusticiam appellat Christus iusticiam Christianam, aut iusticiam fidei, quæ sine bonis operib. & charitatis fructibus, honestaq; uita non potest esse. Quemadmodum enim bonum semẽ in bonam terram iactum, non sine bona fruge, et quàm est impossibile, ut ignis sine caloris ardore, posſit esse, tã impossibile

possibile est, ut sine bonis operib. esse possit fidei iusticia. Hæc nunquam otiosa torpet, sed omnium fertilissima bonos innumeros fructus procreat, quorũ respectu Phariſæorũ opera sunt mera iocularia uana ludibrij spectacula, assimulata arbori fico, foliis amœnis exornatæ, sine fructib. imò similia putridis arborib. cum fructibus carioſis, quæ futuræ sunt ignis alimenta.

Qualibus præmijs utranq; iusticiam Deus recompensat?

Cùm Deus inspector non sit personæ, hoc est, omnis externi splẽdoris hypocritici, sed potius cordium scrutator, requirens fidem atq; spiritum, hoc igitur in Euangelio pronunciat qualia sit utriq; iusticiæ præmia collaturus: nempe, Hypocriticæ tartarea, Christianæ cælica. Huic igitur, quæ fidei iusticia, semper solius Dei gloriã quærit, daturus est uitam æternam: Illi autem, quia proprium honorẽ indagine consequitur, infernalem conditionem.

Quotum ex lege Moysi præceptum adducit Christus?

Quintum, nempe, non occides. Quo significat externam iusticiam, sine cordis interna, prorsum nihil apud Deum ualere, cùm merus fucus sit, atque fallacia. Etenim os sublineret, & (ut aiunt) obtruderet palpum is, qui uel monachus, aut Carthusianus, sese religiosa sanctimonia uenditaret

externis orationum, canticorum atque Missarum operibus prælucens, sed intus & in cute nebulo turpissimus. Porrò ueri Christiani est, non solùm externam qua cædes sit iram contemnere, sed etiam se totum uincere propter Christum, non maledicere nec irasci, imò nõ malè cogitando precari.

Quid igitur ait Christus?

Audistis quod dictum sit ueteribus: Non occides, quisquis autem occiderit obnoxius erit iudicio. Quicunque uerò dixerit fratri suo Racha, obnoxius erit concilio. Quisquis autem dixerit fatue, obnoxius erit gehennæ incendio.

Quid hisce uerbis docet Christus?

Quatuor hoc in loco gradus homicidij ponit. Et non modò reum cædis coram Deo facit eum, qui proximum uiolenter armis occiderit, sed etiam eum qui fuerit maledicus, cõuiciator, iracundus, & inuidia, uel odio flagrans.

Quinam primus homicidij gradus?

Vlciscendi libidine cogitationes accensæ, odium, inuidia, ut si mecum in animo sic reuoluerim: Vtinam in malam rem abijsses, in lapidicinas, adcynosarges, ad coruos, utinam haberes equum Seianum, utinam in orci culum incidisses. Hæc ira sibi

sibi conflat æternam mortem. 1. Ioan. 3. Qui fratrem odit, homicida est.

Quinam gradus secundus?

Sunt iracundiæ signa, gestusq; furoris: ut si proximũ Atreis (ut dicitur) oculis, aut aspectu Titanico crudeliter inspexeris, non fueris allocutus fluctus (ut aiunt) mutus, aut labrum momorderis. Eiusmodi ferocitatis indicia Deus grauiter est puniturus.

Quinam tertius?

Sunt irato pectore uerba prolata, ut si proximo conuicia dixeris, aut criminatus fueris, traduxeris, bonam famam maledicentia tua conspurcaueris, aut simile quippiam patraueris. Quod qui designant, obnoxij sunt gehennæ incendio.

Quinam quartus?

Pessimus iræ fructus, ipsum homicidium, nempe cùm homo non contentus furiosis uerbis, aggreditur rem uerberib. expedire, quemadmodũ Cayn, Genes. 4. Christus igitur uetuit ista fieri. 1. Aliquẽ lædi manu uel opere. 2. Lingua uiolari. 3. Vult, ut ab omni ira atq; odio sit alienum cor, ut nemini malè precetur, nedum optet, ut ita corpus & anima sint innocentia, ab omnium hominum iniurijs remotissima.

Non igitur, ut audio, solum est homicidium uetitum?

Non solùm externa cædes prohibita est, sed eti

um omnis cauſſa, radix, et origo, qua poterit homicidium enaſci. Quamuis autem multi neminem interficiant manu, tamen uerbis tam amarulentis maledicunt, & imprecantur id proximo, quod ſi ueli in collo uel in pedibus haberet, non iret longius. Huius criminis ſcelerata radix eſt ira, quæ corbonnis ita corripit & exaſperat, ut ductu facilisequantur inde reliqua flagitiorum genera. Denique tur, ut clementiſſimus pater familias, hoc adducit præceptum, ac in medium ponit, dirempturus omnem litem atq; diſcordiam, ne poßint aliqua ſuboriri pericula, nec alter alteri damnum aut perniciem afferre, ſed ut utrinq; compeſcatur ira, removeaturq; furor omnis, & uiuatur in amicitiæ iucunditate, cordiumq; ſerenatorum tranquillitate.

Sed cùm debeat omnis ira tolli, quomodo poterunt ſontes puniri, & innocentes à malignis defendi?

Excipiuntur omnes qui ſunt in magiſtratu, ut parentes, ludimagiſtri, concionatores, præfecti, iudices, ſenatores, principes atque reges: qui aliquando coguntur iraſci atque punire, & eos tantùm, qui Dei præceptum hoc & ſimilia tranſgrediuntur, ſed omnino curandum, ne ſub pietatis zelo furtim intermiſceatur ſimultatis alicuius rancor, impiáque lædendi cupiditas. Inuehuntur enim

enim qui ad Reipublicæ gubernacula ſedentes, ſub diuinæ prætextu uindictæ, propriam iram admiſcent, & ſub illius honeſta ſpecie, quos odio proſequuntur, afficiunt ſupplicijs: hoc eſt iram propriam effundere, ſub fucato magiſtratus officio, quod crimen Deus cordium inſpector ſuo tempore non relinquet impunitum.

Eſt ne differentia inter iram hominum, & iram Dei, ſiue magiſtratus ciuilis?

Maximè: Nam ira hominum profluit ab immiti & irarum pleno pectore, nihil aliud quærens, quàm uindictam: ſed ira Dei promanat ex puriſſimo cordis amore, ut cui maximè doleat, quòd homini quippiam mali acciderit, uel peccauerit, cogitur tamen, propter alios maleficos à malis deterrendos, iraſci, & exempla crudelitatis ædere: quemadmodum Eccleſia, quæ per excommunicationis anathema punit peccatis abſorptos, non ex maleuolentia, ſed optima ſynceræ uoluntatis ratione.

Quomodo Chriſtus ad reconciliationem, atque fraternam charitatem adhortatur?

Admo-

Admonet duplici modo: Amica uidelicet inuitatione, & grauibus minis.

Quomodo benigniter allectat ad charitatis officium?

Cùm obtuleris, inquit, munus tuum ad aram, et illic recordatus fueris, quòd frater tuus habet aliquid aduersum te, relinque illic munus tuum coram altari, & abi, prius reconcilieris fratri tuo, & tum ueniens offer munus tuum.

Quid hisce uerbis significat?

Nullum, inquit, acceptum est Deo, uel gratum opus, quod ex ira, uel odio, uel inuidia fuerit profectum. Mentionem autem Christus facit oblationis, aut sacrificij, quoniam id erat magnificum opus, et maximus Dei cultus in testamento ueteri. Et quod de eodem in hoc Euãgelio dicit, de alijs etiam uult intelligi bonis operibus atq; cæremonijs omnibus. Est autem hæc rei summa: Nullus Dei cultus, nulla q; opera bona, Deo placitura sunt, nisi proximo, quem læseris, reconciliatus fueris, et cum eodem redieris in gratiam.

Quomodo grauibus minis ad opera charitatis adhortatur?

Habeto, inquit, beneuolentiam cum aduersario tuo citò, dum es in uia, ne quando te tradat aduersarius iudici, & iudex te tradat ministro, & in carcerem conijciaris. Amen dico tibi: Non exibis illinc donec persolueris extremum quadrantem.

Quid per ea uerba demonstrat?

Hæc dicit: Quòd si quispiam te læsit, atq; idem rogat, ut ignoscas, ex officio charitatis Christianæ debes in te peccata remittere, quemadmodum Christus fecit, cùm ait: Pater remitte illis, nesciũt enim quid faciant. Quòd si non rogatus fueris uenam, tu tamen habeto beneuolentiam cum aduersario, paratus ad cõdonandum, idq; citò, dum adhuc recens ira nondum coaluit, nec duxit callum. Fac quod D. Paulus ad Ephe. 4. monet: Sol ne occidat super iram uestram. Cùm autem uitæ nostræ sit incertus exitus, eademq; ut luti de pilo pendeat, non debemus reconciliationem in horas, in dies & in annos extrahere, sed statim in hac uita aduersarijs reconciliari. Quòd si autem in gratiam non redieris, tua in extremo iudicio conscientia teipsum accusabit, atq; ita conuincet, ut tradaris iudici, atq; deinceps tortori, & in carcerem conijciaris, unde non exibis, donec persolueris extremum quadrantem, hoc est, nunquam per æterna secula: nam in inferno nulla est redemptio. Cogitet igitur homo quilibet, uitam q; suam ita instituat, ut Christiana iustitia, hoc est, uera fide, & operibus charitatis fraternæ redimitus inueniatur. Omnis, ut D. Paulus ait, amarulentia, & tumor, & ira, & uociferatio, & maledicentia tollatur cum omni malitia. Simus inui-

uicem alius in alium comes, misericordes, largientes nobis inuicem, quemadmodum & Deus largitus est nobis, neminí mala precemur, neminem ledamus, nec alicuius uxorem, liberos, familiam, iumenta, bona, famam, honores: cum omnibus pacem habeamus, omnesq; aduersarios ac hostes placemus, ut orationes nostræ atque Dei cultus Deo sit acceptus, et fauore diuino producti nos Dei gratiam in hoc seculo consequamur, & post hanc uitam æternagaudia. Amen.

DOMINICA SEPTIMA post Trinitatis, Euangelium Marci VIII.

IN diebus illis, cùm turba admodum multa esset, nec haberent quod manducarent, accersitis ad se Iesus discipulis, ait illis: Misericordia tangor erga turbã, quia iam triduo manẽt apud me, nec habent quod edant: & si dimisero eos ieiunos in domum suam, deficient in uia: quidam enim ex eis è longinquo uenerunt. Et respon-

derunt ei discipuli sui: Vnde istos quis poterit hic satiare panibus in solitudine? Et interrogauit eos: Quot panes habetis? Illi uerò dixerunt: Septem. Et præcepit turbæ discumbere super terram. Et acceptis septem panibus, cùm gratias egisset, fregit, deditq; discipulis suis, ut ponerent, & apposuerunt turbæ, & habebant piscículos paucos, & cùm benedixisset, iussit apponi & hos. Comederunt autem & saturati sunt, & sustulerunt quæ superfuerant, fragmentorũ septem sportas. Erant autem qui comederant ferme quater mille, & dimisit illos.

Quænam traduntur in hoc Euangelio?

Hete-

Hæc inde tria potißimùm. 1. Docetur bonitas et clementia Christi, qui misericordia tactus erga turbam fame laborãtem. 2. Maxima Christi potentia, qua tantam esurientem turbam, septem panibus et piſciculis paucis in ſolitudine pauit, ita, ut fuerint ſublatæ quæ ſuperfuerant fragmentorum ſeptem ſportæ. 3. Quomodo nos utiliter hoccine debeamus exemplo uti. Et Euangelium nobis depingit ita Christum, atq; proponit ut beneficum, miſericordemq; uirum, qui facilis ſit atq; promptus ad quoſlibet adiuuandum, qui neminem auerſetur, qui libẽter apud quoslibet eſſe conuerſariq; ſoleat: qua comitatis humanitatisq; uirtute populos omneis ita ſibi deuinxerat, ut nolentem uolentem ſequerentur, cumulatim accurrerent, libenter uiderent, & audirent, ut etiam multitudinis ſæpenumero capaces non fuerint plateæ, domusq; ciuitatum. Nec in urbibus tantùm Christus numeroſa ſtipatus fuit turba, ſed etiam quocũq; locorum ſe contulerat. Non enim deterrebat eos ardua montium ſummitas, nec ſolitudinis aſperitas ſaltuoſa, neq; periculoſæ maris tempeſtates. Quamuis autem in mundo ſic euenire ſoleat, ut potentes atq; diuites libenter paupertem multitudinem euitent atq; fugiant, ut moleſtijs uacui, tranquillam ætatem queant exigere. Atqui rex regum, atque ſummum bonum, qui Christus eſt, maluit propria quietis commoditate carere, quàm deſti-

deſtituere, & erroribus relictum populum deſerere, à ſalutis uia deflectentem.

Vnde relucet Christi clementia?

Inde, quod ait: Miſericordia tangor erga turbam. Videbat numeroſum populum ſequentem, non habere quod ederent: eos cernebat, non modò corporis alimenta, ſed etiam animæ cibum, hoc eſt, Dei Verbum eſurire: Dolebat eos, non aliter atq; diſperſas oues, non habentes paſtorem, oberrare. Proinde curam miſerorum ſuſcepit, & corporum & animarum uictum adminiſtrauit.

Quid? nonne Iudæi habebant paſtores multos, Sacerdotes, Phariſæos, Scribas & Leuitas?

Complures quidem habebant paſtores, ſed ijdem mutati fuerant in lupos rapaces. Qui ſiquando debebant oues congregare, & in unum compellere, diſpergebant, quas debebant paſcere, dilacerabãt, & in Iudaico populo miſerabile ſpectaculum ædebant. Omnis fidei iuſtitia, ueruq; Dei cultus exoleuit, omnis diuini amoris dulcedo uerſa fuit in amaritudinem, omnis pietatis honeſtas humi iacebat, omnia denique Dei præcepta conculcabantur. Præterea Iudæorum Synagoga, fuit in uarias diremptа ſectas, utpote Phariſæorum, Sadducæorum, Eſſeorum: qui uenuſto atque graui ueſtium

externarum habitu, religionisq; fulgore præluce-bant, sed intus spurcitia cordis inhorrebant, & quod grauissimum, eijciebant eos è Synagogis, quâ pij Christum sequebantur, & uerum audiebant Messiam.

Quomodo res in Christianorum Ecclesia hodie procedunt?

Res in Ecclesia nostra uidetur eo, quo Iudæorum, ordine succedere. Multi quidem nobis sunt pastores, Papæ, Cardinales, Episcopi, Præpositi, Decani, in hoc omnes ex æquo uocati sunt, ut Dei populum cibo diuino pascant, impinguent, ædificent, & diligenter, & assiduò Verbum Dei prædicent: sed euenit hic, quod apud Iudæos: Pauci ssimi rerum suarum satagunt, officioq; respondent, messis quidem, ut Christus ait, copiosa est, sed operarij pauci. In quæ uerba D. Gregorius inquit: Pastorum plenus est mundus, sed pauci fideliter laborant in uinea Domini, officio quidem pastorum gaudent omnes, recipiunt etiam inde commoda, uiuuntq; de bonis Ecclesiæ, sed laborare, prædicare, oues Christi pascere nolunt. Accedit quod deterrimum est: siquidem ab eo quòd ipsi non uolunt nec possunt, alios deterrent atq; repellunt: In exilium ablegant eos, qui uias suas iuxta Dei Verbum dirigunt, & qui Sacramentis secundum diuinam institutionem utuntur, hæreticos appellant, & cùm eosdem in pote-

statem suam redegerint, miserabiliter occidunt. Itaq; nihil apud homines istos habet locidiuinum Verbum, qui preciosissimus Dei thesaurus, quo non digni sunt isti porci, Mat. 7. Similes ergo debent habere labra lactucæ. Asini pascendi sunt tribulis, & stramine fabario. Rectè Diuus Paulus 2. Thess. 2. Dilectionem, inquit, ueritatis non receperunt in hoc ut salui fierent: propterea mittet illis Deus efficaciam illusionis, ut credant mendacio, ut iudicentur omnes, qui non crediderunt ueritati, sed approbauerunt iniustitiam.

Quid ad Christi uerba respondebant discipuli?

Responderunt discipuli: Vnde istos quis poterit hic satiare panibus in solitudine? Hic suam incredulitatem apertè prodiderunt. Nam si pistrinum ad manum habuissent, aut macellum, in maiorem spem fuissent erecti, nunc autem omnino desperant populum satiari posse, cùm nihil sit, unde quæ at expleri uenter.

Quid audita haccine discipulorum incredulitate Christus faciebat?

Interrogauit eos: Quot panes habetis? Illi uerò dixerunt: Septem. Non quærebat, tanquàm nesciret, sed ut miraculum, quod edituru erat, eò manifestius redderetur, omnibus quæ

magis conspicuum. Et præcepit turbæ discumbere super terram. Antea populum motus misericordia, suscepit, hîc suscepto potentiam suam ostensurus est, pauculis maximam turbam panibus exaturando.

Quomodo suam potentiam ostendebat in hoc Euangelio Christus?

Acceptis septem panibus, cùm gratias egisset, fregit, deditq; discipulis suis, ut apponerent, et apposuerunt turbæ, & habebant piscículos paucos, & cùm benedixisset, iussit apponi & hos. Comederunt autem & saturati sunt, & sustulerunt quæ superfuerant, fragmentorum septem sportas. Et erant qui comederant fermè quater mille, & dimisit illos.

Ostendit ne Deus in hodiernum ad huc diem & bonitatem suam & potentiam?

Maximè: Non enim abbreuiata est (ut Esaias ait) manus Domini: clementissimus pater omnia nobis necessaria suppeditat, in cibum frumenta, in potum uina, in usum uestimentorum lanas, atq; linteа, ligna atque stramen ad calefaciendum. Contempla re, quàm Deus omnia prospicienter ordinet, atque ad nostri cõmoditatem omnia per annum dirigat.

Hyeme

hyeme peracta, cùm altius adscenderit sol, clementiorem facit aërem, atq; frugiferam temperiẽ profert, ut iuxta uetus prouerbium, Annus uideatur segetem producere, non arum: tum redit succus arboribus, & incrementa satis.

Omnia tunc rident, tunc formosissimus annus,
Tunc reparat uiridans frondea tecta nemus,
Tunc philomela suis attemperat organa cannis,
Fitq; repercusso dulcior aura melo.

Hinc sequitur æstas, uaria fructuum genera producens, nempe cerasa, pruna, pyra, frumentum, triticum, ordeum, auenã, eruum, quæ collecta, replent horreum, & granaria. Postmodum appetit autumnus proferens poma, uinumq;, &c. Sic diuina bonitas singulis anni partibus, addidit suos prouentus, etiam hyemalibus: tum enim quilibet in usus domesticos omnia concinnat atq; disponit, triturat, mactat, salsamenta carnario appẽdit, uina defæcat, coquit cereuisiam, omnes sic ædium angulos Dei benedictio complet, & nos sua potentia mirabiliter conseruat. In hoc ipsum cogitur sol interdiu lucere, et per noctem luna: Omnia compelluntur elementa nobis inseruire, omnesq; creaturæ ministrare, nempe cœlum cum sanctis angelis, firmamentum cum stellis atq; planetas, aër cum auibus, mare atq; flumina cũ piscibus, terra cum animalibus, herbis, arboribus, frumento, uino, auro & argento, &c. Iam cui uel

ceo non diuina potentia, uirtusq; admirabilis appareat ex omnibus quæ generantur è terra, quæ ex sicitantulo grano, aut ex acino uinaceo, aut ex caterarum frugum, aut stirpium minutißimis seminibus tantos truncos ramosq; procreat: plantæ, sarmenta, uites, radices, propagines, nonne ea efficiunt, ut quemuis admiratione teneant. Nonne admiratione maxima, quòd tam pauca mandentur terræ semina, & ex ijsdem prodeat tantus cum usura magna fructuum numerus, ut sæpenumero granum enatum unicum faciat fructum centuplum. Credunt etiam homines quòd in agris non metantur tot manipuli, quot homines in terris uiuunt, & tamen omnes affatim enutriuntur. Quot enim ciuitates esse putes, nullam habentes messem, quot habitantes in syluis, in solitudinibus, in locis petricosis, in arenosis denique montibus & uallibus, in quibus nihil seritur neque metitur, & tamen omnes diuina bonitas atq; potentia fouet, nutrit atq; conseruat. Quin, si nunquàm frumenta crescerent, Deus tamen certis uijs atq; mediis posset suos sustentare, quemadmodum in solitudine populum Israëliticum. Cogitabit igitur sic bonus Christianus: Tu Domine creatura sum ego, tu meus conditor, ego quod præcepisti laborabo, faciamq; sedulò meum officium: in te iactabo curam meam, tu me clementer enutries, qui non dabis in æternum fluctuationem iusto. Nullum adiuuandi terminum constituam tibi, qui optimè nouisti oportunum, ac mihi necessarium auxiliandi tempus. Interim tu mihi da pater omnipotens, ut in te possim confidere: Quod per tuam gratiam, qui uerè poterunt facere, nunq̃ confundentur, neque rerum inopia prementur, & multò citius aues cœli fouerent, angeli cibum administrarent, lapides in panem conuerterentur, omnia denique folia uel arbores mutarentur in uestimenta, quàm pius & Christianus homo fame perire, aut frigoribus enecari posßit.

Quomodo debemus hoc præsenti miraculo uti?

Duplicem hoccine miraculum præbet utilitatem. 1. Vt certò credamus panem uiuum esse Christum, qui de cœlis descendit, & ex eo qui ederit, uicturum in æternum, Ioan. 6. 2. Vt per eiusmodi miracula fidem nostram confirmemus, tanquàm certißimis signis relictis arrhabone, nihil prorsum addubitantes, quin quæ promiserit Deus, certò sit præstiturus, & omnes ubertim enutriturus, qui syncera fide præditi, exornauerint, quam diuina uocatione fuerint nacti Sparten. Quemadmodum enim Deus agri lilia, floresq́, qui non laborant neq; nent, uestit: & quemadmodum cœli uolucres,

maris q; pisces, qui tamen nihil serunt neq; metunt, pascit, ita etiam ex diuinarum promißionum pacto nutriturus atque conseruaturus est omnes eos, qui confidentes ei, faciunt, quod honesta uocationis diuinæ studia reposcunt.

Quænam dicis promissionum diuinarum pacta uel arrhaboni relicta sigilla?

Præclaras intellige Verbi diuini promißiones, quæ paßim habentur in scripturis. Psal. 33. Diuites eguerunt & esurierunt: inquirentes autem Dominum, non minuentur omni bono. Timete Dominum omnes sancti eius, quoniam non est inopia timentibus eum. Item Psal. 36. Iunior fui etenim senui & non uidi iustum derelictum, nec semen eius quærens panem. Et Psal. 54. Iacta super Dominum curam tuam, & ipse te enutriet. Et Christus ipse Matth. 6. Primùm quærite regnum Dei, & iustitiam eius, & hæc omnia adijcientur uobis.

Nonne præstitit Deus atq; rebus ipsis compleuit ea quæ promisit?

Maximè: Nam in creationis principio repleuit omnia creaturis, cœlum ac terrã, aërem ac maria. Deinde condidit hominem, ut præesset piscibus maris, & uolatilibus cœli & bestijs, uniuersæq; creaturæ, omniq; reptili quod mouetur in terra. Omnibus igitur quorum indigebat usus affluebat. Non enim homini Deus obtulit ab initio domum uacuam, sed mundum rebus omnibus plenißimum, uarijsq; creaturis supra, infra, ante, retro, cõsertim sese mouentibus abundatißimum. Angelis, & spiritibus cœlestibus repleti fuerunt cœli, uolucribus aër, mare & flumina piscibus, terra animalibus, herbis, frumento, arboribus, montes auro, argento, metallo: In summa nulla rerum fuerat penuria, sed exuberans omnium bonorum abundantia.

Quænam præcipuè discemus ex Euangelio præsenti?

Ista quatuor. 1. Discemus fidem, ut firmiter credamus Deum nostri curã gerere, si fuerimus illi modò confisi, hoccine diuinum eloquium stabile permanet, perpetuoq; durabile. Primùm quærite regnum Dei, & iustitiam eius, & omnia &c. Est autem hæc ordinatio Dei, ut ante omnia Christianus Deum supplicíter oret, libenter audiat uerbum Dei, haud grauatim rebus sacris intersit, Deum laudet, atq; glorificet: deinde laboribus intentus, officium suum faciat, & accumbens mensæ, quod Dominus dederit, cum gratiarum actione sumat. 2. Charitatẽ, ut faciamus proximo, quemadmodum

nobis Christus, ne reperiamur immisericordes & ingrati, cùm universæ creaturæ nos in extremo iudicio sunt accusaturi. Cùm dicturus ager: Tibi fructus homo protuli, cibumque suppeditani. Et vinea relaturus:

Optima Lænei Patris tibi munera fudi,

Et oues: Vellera uobis dedimus atq; lanas in uestimenta: Sed Bomolochi, bipedumq; nequissimi Domino Deo conditori uestro nunquam gratias egistis, multò minus inde proximo contulistis aliquid, aut inseruistis. Abite igitur iam, et cum omnibus immitibus atq; truculentis hominibus accipite præmia uestra in tartarorum abysso. Certum enim est illud Iudicium absq; misericordia erit ei, qui non præstiterit misericordiam, Iacob. 2.

3. Sedulitatem assiduam & diligentem attentionem audiendi uerbum Dei. Videmus enim in hoc Euangelio, quàm ardenter hauserit diuinam doctrinam populus, qui ueniens è longinquo, apud Christum in solitudine, & sub dio manserat triduò. At qui nostri auditores uix ad unius horulæ momentum sacris in concionibus permanent, idq; subtè plorum tecto, & in Ecclesiæ sacro loco.

3. Gratitudinem: Vt Dei beneficia cum gratiarum actione sumamus, non abutamur acceptis à Deo bonis, neque profundamus in turpitudinem, sed parcamus rebus necessarijs, idq; in tempore, cùm

cùm sera sit in fundo parsimonia. Quòd etiam faciundum Cato monuit, inquiens:

Vtere quæsitis parcè, cùm sumptus abundat,
Labitur exiguo, quod partum est tempore longo.

Docemur igitur in hoc Euangelio temperatè uiuendum esse, & fragmenta, ne pereant, colligenda, ut in promptu sit, unde proximo benefacere possimus, & facultatibus nostris egemus succurrere. Sed iam in mundo longè solet aliter euenire. Nam cui Deus largiter benedixit, bonitatisq; suæ beneficia contulit, is aut cumini (quod aiunt) sector uiuit sordidissimè, nemini donat, nec adiuuat aliquem sed congestis undiq; saccis.

Indormit inhians, & tanquam parcere sacris
Cogitur, aut pictis tãquam gaudere tabellis.

Aut nimium prodigus è dolio, plena manu, sic haurit, ut ne quippiam (ut dicitur) Medis relinquat. Sed huius farinæ qui sunt homines suum in extremo die sunt audituri iudicium: Contrà, qui pro bonis cœlitus acceptis Deo gratias agunt, atque misericordes adiuuant inde proximum, audituri sunt illud Matth. 25. Venite benedicti patris mei possidere regnum paratum uobis ab exordio mundi. Esuriui enim & dedistis mihi edere, sitiui & dedistis mihi bibere. Nam quæcunque feciſtis uni de his fratribus

fratribus meis mihi feciſtis. Ergo uitam æternam ingredimini. Cuius & nos fiamus participes Amen.

DOMINICA OCTAVA POST Trinitatis, Euangelium Matt. VII.

CAuete uerò uobis à pſeudoppheti̇s, qui ueniũt ad uos in ueſtitu ouiũ, ſed intrinſecus ſunt lupi rapaces. A fructibus ipſorum agnoſcetis eos. Nunquid colligunt de ſpinis uuam? aut de tribulis ficus? Sic omnis arbor bona, fructus bonos facit. Putris autem arbor, fructus malos facit. Non poteſt arbor bona fructus malos facere, neque arbor putris fructus bonos facere. Omnis arbor quæ non facit fructum bonum exciditur, & in ignem conĩcitur. Igitur ex fructibus ipſorum agnoſcetis

eos. Non quiſquis dicit mihi: Domine Domine, introibit in regnum cœlorum: Sed qui fecerit uoluntatem Patris mei qui in cœlis eſt.

Quid in hoc Euangelio Chriſtus docet?

Cum primis monet, ut nobis caueamus à Prophetis falſis. Et ab initio demonſtrat eos, qui ſint. Deinde qua ratione debeamus eos cognoſcere. Tertiò quodnam eorum præmium, atq; finis ſit futurus.

Quoſnam appellat Prophetas?

Concionatores atque doctores: qui populum eruditũt, ac inſtituunt publicè: Aliàs priſci uocabãt Prophetas, antiſtites phanorum, oraculorumque interpretes.

Quotuplices Prophetæ ſunt?

Duplices, nempe ueri, atq; falſi.

Quinam ueri ſunt Prophetæ?

Qui Dei uerbum diligenter atq; fideliter prædicant, ueraq; doctrina populum inſtituunt, reſpicientes aut metuentes neminem: eiuſmodi fuerunt ſancti Prophetæ, & Apoſtoli.

Que-

Quinam falsi?

Qui ueritatis prætextu, fucatoq; nomine sanctorum Prophetarum seducunt falsa doctrina populum, qui pietatis splendore sese uenditantes, mendacia prædicant, & inculcant persuadentq; ueram sanamq; doctrinam esse. Cuius generis fuerunt sacerdotes Baalam, Molochitæ, nec non Pharisæi.

Quid ait ergo Christus?

Cauete uobis à Pseudoprophetis, qui ueniunt ad uos in uestitu ouium, sed intrinsecus sunt lupi rapaces.

Quid per ea uerba significat?

Hæc dicit: charissimi fratres, oratione satis prolixa super montem habita, uobis ueram Christianæ pietatis doctrinam rectamq; ad cœlos uiam ostendi, quam si fueritis ingressi, salutis æternæ præmia consecuturi estis. Sed eam fœlicitatem inuidebit acerrimus hostis uester Sathanas, qui moturus omnem lapidem, ut uos seducat ne permaneatis in uera doctrina, rectaq; uia. Cauete igitur uobis, estote prudentes. Nam si ualde sagaciter etiam prospexeritis, falsi tamen Prophetæ suborituri sunt, spiritus erroris, mendaciorumq; prædicatores. Quorum dogmata si fueritis amplexi, de uobis actum erit. Nam à uerbo Dei uos, ad Sathanæ doctrinam abripient, atque detrudent à sancta Dei scriptura

ad impias hominum traditiones, à ueritate ad mendacia, idq; recti cuius decipimur specie. Sed exitus acta probat. Relinquunt enim in fine post se tartareum oletum, cuius miserabilis fœtor arguit Sathanam, mendacijq; spiritum adfuisse.

Cur Christus ait, ueniunt?

Quoniam non expectant, dum per uocationē iusta accersantur falsi Prophetæ, sed ultrò sese pertinaciter obtrudunt, ingeruntq; diuinis officijs, de quib. Hier. cap. 23. conqueritur, inquiens, in Dei persona: Non mittebam Prophetas & ipsi currebant, non loquebar ad eos, & ipsi prophetabant, seduxerunt populum meum in mendacijs, cùm ego non misissem eos, nec mandassem. Atqui Christus hic non loquitur de ijs qui in maxima concionatorum Euangelicorum penuria suam operam offerunt Ecclesiæ. Nam ut Paulus ait. 1. Timothei. 2. Si quis Episcopi munus appetit, honestum opus desyderat.

Cur ait Christus, ueniunt ad uos?

Hoc dicit: quòd in Ecclesia Christiana futuri sunt falsi Prophetæ. Ad uos, inquit, uenient, non ad Turcas, nec ad Gentes, sed ad Christianos. Sic enim accidere solet, ut ubi Christus templum erexerit, ibi statim Diabolus adstruat sacel-

lum

lum adiunctum. Et ubi Christus syncerum misserit uerbi ministrum, ibi protinus Sathanas intrudat duos fortiorum laterum Antichristi prædicatores. Sic aduersus Heliam unicum steterant innumeri Baalis sacerdotes. Et contra Micheam quadringenti circiter falsi Prophetæ.

Cur, inquit, ueniunt ad uos in uestitu ouium?

Hoc est, ueniunt pietatis splendore lucentes ita, ut pro concionatoribus Euangelicis habeantur, atque colantur, nec facilè queant internosci, nedum reijci, cùm sacræ scripturæ, uerbiq; diuini testimonijs utantur abundè, sed falsò nequiterq;.

Cur dicit, intus sunt lupi rapaces?

Quoniam falsi Prophetæ nihil aliud in Ecclesia faciunt, quàm ut ouile Christi miserabiliter deuastent, demoliantur, & oues uenenosa falsæ doctrinæ contagione crudeliter inficiant, mactent, atque dilacerent, quemadmodum lupi rapaces, animarumq; trucidatores facere solent.

Quomodo falsi Prophetæ dinoscendi sunt?

Christus ait: A fructibus ipsorum cognoscetis eos. Nunquid colligunt de spinis uuam, aut de tribulis ficus? Sic omnis arbor bona, fructus bonos facit, Putris autem arbor fructus malos facit Quasi dicat

eat. Falsorum Prophetarum uitam atq; doctrinas conferte cũ Dei uerbo atq; præceptis, & statim adnimaduertetis, ea bis pomnia interse discrepare.

Quinam sunt Pseudoprophetarum fructus quibus cognoscuntur?

Cùm intus & in cute, nihil aliud Pseudoprophetæ sint, quàm mundi & carnis abominatio, tamen extrinsecus fucata sanctimonia præfulgent ita, ut meros angelos diceres. Vide D. Paul. 1. Timoth. 3. & 2. Timoth. 3. Formam habent pietatis sed uim eius abnegant, cauterio notatam habentes conscientiam, prohibent contrahere matrimonium, iubent abstinere à cibis, quos Deus creauit ad sumendum cum gratiarum actione. Qui reprobi circa fidem resistunt ueritati, mente corrupti. Autores sectarum erigũt ac instituunt uarios religionis ordines, regulas, opera & merita, contendunt q; per eadem iustificari, atq; saluari. Vide Petrum. 2. Petri. 2. Auersantur Euangelium, atq; eius salutarem doctrinam, ut hæreticam condemnant, cõtrà laruata sua cæremoniarum fucatarum opera ferunt in cœlum, & prædicant ea salutem allatura, utpote aquam, salem, palmas, consecrationes, indulgentias, peregrinationes religionis ergo, fraternitates, sacrificia calãdica, uigilias, missas, fumigationes, aspersiones, cruces &c. Per hæc omnia & consimilia confidũt

se peruenturos in cœlum, nõ reuoluentes quid ipse Christus dicat apud S. Ioannem: Ego sum uia. Contrà dicunt illi: Non Christus, sed opera meritaq; nostra sunt uia, quæ ducit in cœlum. Item Christus ait Ioan. 6. Nemo potest uenire ad me, nisi pater qui misit me, traxerit eum, contrà canunt & prædicant illi: Nemo perueniet in cœlum nisi per sacros Monachatuum ordines, per institutas ad loca sancta peregrinationes, per indulgentias, per intercessarias Sanctorum orationes &c. Sic in summa falsi Prophetæ Christo non credunt, nec eius præcepta seruant, Dei uerbo resistentes & operibus suis, atq; uita. Illa sic falsa, & hæc tam est impia, ut neq; sine arbores bonæ, neq; fructus boni, ut nihil deniq; à capite usq; ad calcem pietatis insit. Qui cœlitus ita puniũtur, ut nihil aliud possint quã mendacij spiritum ipsum Sathanam iactare, extollere, & sequi. Nihil utẽ quàm doctrinam falsam, mẽdacia & errores, scribere, docere, atq; prædicare.

Quanam aduersum illos similitudine Christus utitur?

Num colligunt, inquit, de spinis uuam? Aut de tribulis ficus? Quasi dicat: quàm possibile est ut de sentibus atq; spinis uuam decerpere, & de cardiis atq; tribulis ficos poterimus colligere, tam possibile est, ut Pseudoprophetæ bonam aliquam de se doctrinam producant, aut salubres proferant fructus.

fructus. De uasis quæ nihil boni continent, nihil boni potest depromi. Iactare quidem poterunt, & in ore semper Euangelium habere, sed eius uirtutis expertes, cùm ueræ doctrinæ scopum attingere debent, aberrant uia tota. Sunt enim speciosæ uelut arbores sine fructibus, æra tinnientia, & Archytæ crepitacula.

Cur fici meminit atq; uitis, & contra ea spinarum?

Vt naturam atq; proprietatem ostenderet uerorum pariterq; falsorum Prophetarum. Vitis lignum est marcidum, debile, & ad structuras inutile. Vnde Ezechiel. 15. Nunquid tollitur de ea lignũ ut fiat opus, aut fabricabitur de ea paxillus, ut dependeat in eo quodcunq; uas? Et ficus est arbor uulgaris, quæ gaudium arborum, hoc est, florẽ non sentit. Protinus enim fructum gignunt flores, & morbo cùm primis obnoxia uermibus infestatur, qui cerastes uocantur. Atqui spineta pulcherrimè florent, atque ita germinant, ut uideantur Zacchæ rũproductura, sed cùm finis accesserit, nihil aliud uideas, quàm lapidosa cornua uel aculeatam asperitatem, solam utilem ad pungendum, uel perfricandum. Consimiliter nihil aliud tribulorum germina producunt, quàm lappas, hamataq; spicula. Sic hypocritæ, falsiq; Prophetæ fastuosis suis uerbis, operibus atque meritis aureos montes

pollicentur, sed nascitur ridiculus mus, qui tanta bonorum operum germine uidentur florere, quasi possint per eadem toti mundo laboranti subuenire, sed epiphyllides sunt eorum omnia, & ampullæ ueræ, quæ cedunt in nullam Dei laudem, uel utilitatem proximi. Aliorum omnium statuum, ut agricolarum, ciuium, fabrorum, cerdonum & reliquorum opera sunt usui hominibus, sola Papistarum nulli.

Quænam arbor bona?

Est pius atq; fidelis homo, qui secundũ Dei præcepta uiuit, ut si Princeps, Magistratus, Paterfamilias, filius, famulus, ancilla, & cæteri fidem habentes, faciunt quod ex officio quilibet debet, quodq; diuina uocatio requirit. Hij sunt arbores illæ bonæ, quæ suo tempore ferunt fructum in uitam æternam.

Quænam arbores malæ sunt?

Qui malicioſi, impij sunt, & incredeli, qui uerbi diuini contẽptores uiuunt in omnib. peccatis atq; criminum spurcitia, quales sunt falsi Christiani impuram carnis libertatem quærentes, quæ sit immaculata spiritus nescientes, uel nihil curantes. Quales item hypocritæ, qui confidentes proprijs operibus atq; meritis contemnunt peccatores alios, maximo animi fastu prægrudi. Hij sunt putres, et arbores malæ producentes fructus prauos, incendijs

æternis infernalibus destinatos.

Quinam sunt boni fructus?

Bona Christianorum opera, quæ secundum Dei uerbum, atq; præcepta producuntur ex fide, profluuntur q; ad utilitatem proximi.

Quinam fructus mali?

Sunt opera quæ non ex fide promanant, nec iuxta Dei præcepta fiunt, quantumuis etiam externo splendoris cultu præluceant. Nullum autem est opus bonum, nisi quod Deus præceperit. Contra nullum opus est malum, nisi quod Deus prohibuerit. Ergo qui bona uoluerit opera facere, is principio consyderet, atq; perspiciat Dei præcepta, in quibus quæ repererit opera bona, iudicabit esse bona. Quorum, hoc est bonorum atq; malorum operum discrimen discamus oportet ex Dei præceptis, non ex humanis inuentionibus, aut præluendo splendore magnorum aut multorum hominum. Quemadmodum bonitas aut prauitas arboris cognoscitur à radicibus aut fructibus, ita bonus aut malus homo cognoscitur ex cordis indicio, uerbis & operibus: bonus enim homo, ex bono thesauro cordis sui profert bonum, & malus homo ex malo thesauro cordis sui profert malum. Ex abundantia enim cordis loquitur os eius, Lucæ. 6. Ergo si uide-

ris hominem uirtute conſpicuum qui miſericors conſolatur, fouet, paſcit, & in omnibus adiuuat proximum ſuum, cum libere poteris iudicare bonam arborem eſſe. Contrà ſi conſpexeris hominem tetricum, auſterũ, mordacem, iracundum, inuidioſum, crudelem, qui nemini benefacit, ſed tantum ſua per fas atq; nefas quærit, cum malam arborem eſſe non iniuria pronunciaueris.

Quænam præmia falſi Prophetæ ſunt conſecuturi?

Chriſtus ait: Omnis arbor quæ non facit fructum bonũ exciditur, & in ignem conijcitur. Quaſi dicat: Omnes qui poſthabita fide, miſſoq; facto uerbo Dei, cõfidunt propriæ iuſticiæ, meritis, & operibus, nihil omnino facientes, quod Deus præcepit, ij funditus eradicabuntur, & in gehennam præcipitabuntur. Affectant quidem conatibus ſuis ad ſummum gloriæ faſtigium conſcendere, ſed eiuſmodi proceris arboribus eſt obſtaculo Deus, ne nimium creſcendo caput inter nubila condant, aut uiolenter in cœlum irrumpant. Qui ſuperbiſſimas animo concipiunt cogitationes, ita ſecum reuoluentes: Nonne fertiles amœnis fructibus præfulgentes ſumus arbores? Maximam noſtri curam habet Deus, qui nos fert in oculis, cuſtodit, habet in delicijs, ut conſitum herbis gratiſſimis plantarium

tariũ circunſepit &c. Sed non animaduertunt quâ Matthæi. 3. Chriſtus tulit ſententiam, nempe ſecurim poſitam eſſe ad infrugiferarum arborum eiuſmodi radices, ut excidantur, atq; mittantur in ignem. Et Matth. 15. Omnis plantatio, quam non plantauit Pater meus cœleſtis eradicabitur. Et Dominus Hieremiæ. 45. Arrogantia tua decepit te, & ſuperbia cordis tui, qui habitas in cauernis petræ, & apprehendere niteris altitudinem collis, cùm exaltaueris quaſi aquila nidum tuum, inde detrahã te. Item in hoc Euangelio: Non quiſquis dicit mihi Domine, domine, introibit in regnũ cœlorum, ſed qui fecerit uoluntatem Patris mei. Quaſi dicat: Omnes ij, qui proprijs operibus, atque meritis confidunt, & adinuentiones ſuas cultum Dei ſummum eſſe iudicant, ad me clamantes quotidie, Domine, Domine, non intrabunt in regnum cœlorum, quamuis multum ſtudeant, multumq; laborent illuc peruenire, imò nulli minus eo conſcendent, quàm qui plurimum glorianter de cœlo, tanquam ſibi debito, iactantq; per ſua merita alios illuc traductum iri.

Cur illis hoc euenient, cùm tamen magna reluceat in eis deuotio ſanctitasq;, et nocte dieq; iugi ſtudio clament, Domine Domine?

Quoniam ore tantum clamant, & labijs honorant Deum, sed incredulitate plenum cor eorum procul est à Deo, præterea uoluntatem patris cœlestis non faciunt, sed eius salutare uerbum contemnunt, hinc est quod eorum clamor non exaudiatur. Quapropter eum, qui aspirat ad æternum regnum, oportebit uias suas omnes, totumq; uitæ cursum dirigere ad Christi doctrinam, atque Dei uerbum, ueram inde Christianam fidem apprehendere, eamq; bonis operibus testari, utiles proximo fructus producere, ætatem inculpatam exigere. Hæc qui præstiterit, apertos est cœlos habiturus, æternoq; gauisurus gaudio: Amen.

DOMINICA NONA POST Trinitatis, Euangelium Lucæ. 16.

HOmo quidam erat diues, qui habebat dispensatorem, & hic delatus est apud illum, ut qui dissiparet bona ipsius. Et uocauit illum, & ait illi: Quid hoc audio de te? Redde rationem dispensationis tuæ: non enim poteris

teris posthac dispensare. Ait autem dispensator intra se: Quid faciam, quia dominus meus aufert à me dispensationem? Fodere nõ ualeo, mendicare erubesco: scio quid faciam, ut cùm amotus fuero à dispensatione, recipiant me in domos suas. Conuocatis itaq; singulis debitoribus domini sui, dicebat primo: Quantum debes domino meo? At ille dixit: centũ batos olei. Dixitq; illi: Accipe cautionem tuam. & sede citõ, & scribe quinquaginta. Deinde dixit alteri: Tu uerò quãtum debes? Qui ait centũ coros tritici. Ait illi: Accipe cautionem tuam, & scribe octoginta. Et laudauit dominus dispensatorem suum, quod prudenter fecisset. Quia filij huius se-

culi prudẽtiores sunt filijs lucis in natione sua: Et ego dico uobis: Facite uobis amicos ex mammona iniusto, ut cùm defeceritis, recipiãt uos in æterna tabernacula.

De quonam præcipuè dicit hoc Euangelium?

De iniquo & infideli dispensatore, quem ab officio dominus remouit, eripuitq; præfecturam. Quæ cauet atq; præmonet historia, ut quisq; in sua uocatione sic uiuat, agatq;, ut in extremo iudicio coram Deo consistere possit, conscientia salua.

Quarũ in extremo iudicio rerum à nobis est Deus rationem exacturus?

Bonorum triplicium, Mundanorum, corporis, & animæ, quibus, uelut œconomos, omnes homines præfecit Deus.

Quænam sunt mundi bona?

Opes, domus, prædia, agri, prata, pisces, aues, armenta, oues, frumenta, uina, æs rum, argentum, census, redditus, & consimilia.

Quænam bona corporis?

Ætas florens, robur, sanitas, laterum firmitas, uisus acer, auditusq;, &c. Item uxor bona, obedientes filij, fidelis familia, &c.

Quæ sunt animi bona?

Ratio, memoria tenax, sagacitas, acutum ingenium, prudentia, sapientia, prouidentia, misericordia, humilitas, pax, patientia, longanimitas, largitas, fidelitas, ueritas, fides, charitas, spes, Verbum Dei, atq; sacramenta.

Quomodo Christianus hisce bonis debet uti?

Cum primis ad laudem, honorem atq; gloriã Dei omnipotentis. Deinde ad consolationem, utilitatẽ atq; subsidium proximi. Postmodum, ad necessarios nostræ commoditatis usus. Quas iuxta rationes, si ad finem usq; res administrauerimus, boni dispẽsatores habebimur, quibus dicturus est Dominus illud Matth. 25. Euge serue bone & fidelis super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam, intrà in gaudium Domini tui. Cõtrà, si fuerimus istis Dei bonis abusi, grauissimã nostræ dispensationis rationẽ reddere, durissimãq; sententiã audire cogemur, id ex perturi periculũ, qd subijt hic infidelis dispẽsator.

Quomodo bonis istis diuinis abutimur?

Cùm malè persuasum habentes, credimus à Deo producta omnia, utpote frumenta, uina, pecudes, feras, aues, pisces, & reliqua omnia creа-

creata solummodo nostram ad libidinem, crapulã, commessationes, ebrietates, & ad abusus denique turpissimos, quibus luxuriantur quotidiani potores atq; Sardanapali. Item, cùm abutimur ætate nostra iuuenili, robore, sanitate, atque membris ad belluinas uoluptates, libidinem, atq; Diaboli seruitia, in quibus frequentes sunt hoc cimè seculo iuuenes, adiuti sceleratis senum irritamentis. Item, cùm animi dotibus abutimur, ad insidias, fallacias, dolos, fraudesq; proximo faciendas, ut contingit uerbis, operibus, ponderę, mensura, ulnis, literis, sigillis, monetis, negotijs, rebusq; consimilibus. Item, cùm iisdem animi bonis abutimur, ad excitandas factiones atq; sectas, contra Dei Verbum atq; ueritatem. Item, cùm nostra fides superstructa fuerit super homines, nõ super fundamentum Apostolorum atq; Prophetarum. Item, cùm nostra charitas rerum est mundanarum, nullo q; nos proximũ amore prosequimur, ut immisericordes, superbi, auari, inuidi, iracundi, infideles, mendaces, contemptores q; Verbi diuini, atq; sacramentorum. Hanc cimè peruersam malæ dispensationis administrationem subsecutura est durissima rationis redditio, quam grauiter exiget Deus, qui cordiũ scrutator omnia nouit. Cùm igitur nos infideles esse uiderit, bonis q; suis diuinis turpiter abuti, uocat ad reddendam rationem, inquiens: Quid hoc audio de te?

te? Redde rationem dispensationis tuæ: Non enim poteris posthac dispensare.

Quomodo autem nos Deus uocat?

Tripli nos modo uocat Deus. 1. Per inspirationem sancti spiritus internam, cùm in mentem nostram incidunt bonæ cogitationes de Deo, de agenda pœnitentia, de emendanda uita, &c. 2. Per externam prædicationem, ut cùm audimus, Deum semper solitum fuisse peccata punire, & adhuc delinquentes supplicijs afficere. 3. Per uarias aduersitates, tentationes, persecutiones, morbos, bella, caritatem annonæ, pestilentiam, &c. Quæ omnia Deus præmittit, uelut anteambulones, aut præcursores suos, quibus fores nostras pulsans, admonet, & ad pœnitentiam uocat.

Est ne rationis ista redditio futura grauis & acerba?

Maximè: Nam hoc dictum, Redde rationem, tam crudeliter & horribiliter intonabit, ut cœlũ atq; terram, imò creaturas omnes, & uniuersos angelos electos q; Dei, sit maximus tremor occupaturus. Nam Deus quemlibet hominum ad amussim examinabit, exiget q;, quomodo in sua uocatione quilibet sese gesserit, dicet igitur: Redde rationem de cogitationibus tuis omnibus, uerbis, operibus, omnibus q; bonis, tam corporalibus, quàm spiritualib.

Red

Redde rationem de ingenij tui solertia, de rationã industria, de quinq; sensibus, nempe quomodo iis usus fueris. Tum eueniet, quod in schola pueris discentibus: Quot accidunt præpositioni? Duo, casus, Accusatiuus & ablatiuus, hoc est: Rerum præfectis occurrent duo, nempe accusatio, & à dispensatione remotio.

Quid igitur is faciet, qui uelit in ista ratione reddenda non deterreri, nec confundi?

Id faciet, quod præsens hic dispensator, qui cùm delatus esset apud Dominum, ut qui dissipasset bona ipsius, terrore perculsus, ait: Quid faciam, Dominus meus aufert à me dispensationem: Fodere non usleo, mendicare erubesco: Scio quid faciam, ut cùm amotus fuero à dispensatione, recipiant me in domos suas.

Quid ergo fecit?

Non diu deliberauit, sed cuestigiò, conuocatis singulis debitoribus Domini sui, dixit primo, qui centum olei batos debebat: Accipe cautionem tuã, & sede citò, et scribe quinquaginta. Deinde alteri, qui debebat centum coros tritici: Accipe cautionem tuam, & scribe octoginta, quo facto remisit aliquid illis de domini debito.

Quid dominus ad hoc dispensatoris factum respondit?

Laudauit Dominus dispensatorem iniquum, quòd prudenter feciſſet, quia filij huius seculi prudentiores sunt filijs lucis in natione sua.

Est igitur hoc ipsum factum dignum laude?

Non laudauit dolosam iniqui dispensatoris nefriciem, sed quòd prudenter egisset, & aliter uelut ianus, sibi prospexisset, quod assolent sapientes huius seculi filij.

Quinam dicuntur filij seculi?

Qui uersuti & perspicaces, cãctis in rebus propriam utilitatem, priuatamq; commoditatem quærunt, & omnem mouent lapidem, ut diteſcant, siue iure, siue iniuria, nihil curantes, quid accidat pauperibus & egenis.

Vultne Christus, ut ad eandem ratiõnem nos quoq; faciamus?

Minimè gentium. Hoc autem requirit, ut nos tanta industria, tantoq; labore cœlestia bona quæramus, quantos studijs huius seculi filij quærunt, & indagine solerti consequuntur fluxas fortunæ diuitias. Nos igitur tam ardore feruente cœlestes, quã illi momentaneas, quærere diuitias debemus, nihil interim deterriti, si rideam at q; contemnant etiã nos illi: colligãt sibi thesauros in terris, nos in cœlis, utriq; uidebimus in exitu supremo quisnã sapiẽtius operã suam impẽderit, ac sũ quærere at q; colligo

feliciùs collocarit: & hæc eadem est admonitio, qua utitur in huius Euangelij fine Christus, inquiens: Ego uobis dico: Facite uobis amicos ex mammona iniusto, ut cùm defeceritis, recipiant uos in æterna tabernacula.

Est ne præsens ista tam necessaria Christi admonitio?

Valde necessaria est. Videmus enim experientia quotidiana, quantis molestijs atq; laboribus corpora nostra curemus. Quidnis alimentorum causa facimus: Vt nãciscamur aureum nummum, imò argenteum, decem miliaria conficeremus, è flamma etiam (quod aiunt) cibum petituri: omnia denique propter diuitias, quæ sunt incertæ, patimur et agimus, sed propter animæ felicitatem atq; salutem pedẽ ultra plateam non libet proferre. Tædet audire Verbum Dei, accipere sacramenta, peccatorum pœnitentiam consequi, quæ tamen æterna dona sunt. Aspice, quomodo milites exigui salarij gratia, corpus atq; uitam periculis exponant.

Impiger extremos currit mercator ad Indos,
Per mare pauperiẽ fugiens, per saxa, per ignes.

Consimiliter agricolæ colunt agros, atq; laborãt in æstu, frigore, pluuia, niueq;, ut uentrem exatient, sed quisnam Christianus tantum facit propter animæ salutem. Dies sex laborare, ac corpora solemus curare, die septimo deberemus animam Verbo Dei reficere, sed tum unica hora toto nobis fit anno longior, ut bene Christus dixerit: Filij huius seculi prudentiores sunt filijs lucis in natione sua.

Quid ea Christi uerba uolunt: Facite uobis amicos ex mammona iniusto?

His uerbis seriò grauiterq; nos admonet Christus, ut in terra nobis faciamus amicos diuitijs nostris, si modò studuerimus ad æterna regna peruenire.

Quid? Debemus ne igitur cœlum nobis comparare nostra pecunia, diuitijsq;, cùm sola fides in Iesum Christum beatos faciat?

Christus cœlos, æternamq; uitam impetrauit, et passione sua meritisq; comparauit nobis, qui per Christum hæredes æterni regni sumus facti, si modò crediderimus illi. Sed nos eam fidem oportebit bonis operibus ostẽdere, ne reperiamur arbores infrugiferæ. Pauperum igitur curam habere debemus, & ijs subuenire qui premuntur inopia, esurientes pascere, sitientes potu recreare, nudosq; uestire, &c. Sic eiusmodi homines testimonium daturi sunt nobis coram Deo, qui misericordiam ijs præstabit, qui fuerint erga alios misericordes. Ergo in summa, nos qui in æterna tabernacula recipi uolu-

mus, oportebit non mammonarum seruos, sed Dei ministros, bonosq; dispensatores esse.

Quid mammona dicitur?

Mammona sunt collectæ diuitiæ, quæ supra quotidianam necessitatem usumq; custodiuntur, diligenterq; conseruantur, quibus citra damnũ ullum proximus adiuuari possit.

Cur iniquitatis mammona dicitur?

Quòd homines eiusmodi diuitijs turpiter abuti soleant, et è faucibus pauperum, quibus debentur, eripiantur. D. Hieronymus in psalmorum expositione sic ait: Mammona iniquitatis istæ diuitiæ uocantur, etiam cùm iuste acquisitæ, & quæ iure parentum succedunt, quia cum labore acquiruntur, & cum magna solicitudine custodiuntur, & sine iniquitate uix, aut rarò haberi possunt. Hinc prouerbium: Dives iniquus, aut iniqui hæres. Videmus usu uenire, ut ubi pecuniæ, bonorumq; mundanorum abundantia regnat, ibi uarias ad peccandum occasiones præberi, ibi dominatur luxus, ibi uelut fues in luti uolutabro, ibi stultitiã patiuntur opes, ibi denique fiunt homines insolentes, superbi, fastuosi. Hinc etiam Ouidius poëta uocat opes irritamenta malorum. Et diuus Paulus omnium malorum radicem.

Quo

Quomodo Papistæ hunc de mammona locum intelligunt?

Hoc de mammona dictum Christi referunt, trahuntq; ad sanctos uita defunctos. Repleuerunt itaq; suis sententijs multa uolumina, & prædicarunt ita: Quicunq; uoluerint in cœlum peruenire, eos oportebit optatum comparare, & à sanctis redimere diuitijs & mammona iniquitatis. Quo concionis hypocritico sermone, diuitiarumq; in sanctorum cultus erogatarum prætextu, priuatam insatiabilis auaritiæ commoditatem quæsiuerunt, idq; tanto studio, tantaq; solertia, ut fermè omnia, totius mundi bona suam in potestatem redegerint. Ad quod strenuè faciendum, frena laxarunt papisticæ bullæ, quarum hæc fuit sententia: Qui furatus fuerit, qui paupere spoliato prædam iniquam consecutus, qui fœnerator inopes afflixerit usura, qui denique rationibus qualibuscunque iniustis acquisiuerit opes, is si mediam partem in erectam indulgentiarum cistam coniecerit, reliquam bona conscientia sibi poterit seruare. Eandem docuit impietatem uetus illud Ethnicorũ prouerb. Qui multa rapuerit, pauca suffragatoribus dederit, saluus erit. Cæterum contra Diabolicas istas hominum traditiones adducenti præceptum illud Dei: Non furaberis. Item: Nihil desiderabis eorum, quæ

proximi sunt, &c. respondebant, claris uerbis in Euangelio expressum est: Facite uobis amicos de mammona iniquitatis. Proinde non poterunt in meliorem atque sanctiorem usum diuitiæ collocari, quàm in spiritualia patrimonia, in structuras cœnobiorum, summorumq; templorum, in sacerdotiorum, missarumq; religiosos prouentus, &c. Nec consultoribus malè res cecidit, mira enim subsecuta fuit magnificarum structurarum, omniumq; rerum copia,

Fertilior Niobe, scropha fœcundior alba.

Etenim omnes anguli repleti sunt tot summis templis, tot cœnobijs, tot deniq; sanctorum cultibus.

Est ne igitur malum, adorari sanctos & inuocari?

Contra Dei præceptum est, Deuteron. 6. Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies. Et Psal. 49. Inuoca me in die tribulationis, eruam te, & honorificabis me. Et Euangelium Ioannis 16. docet sub Iesu nomine patrem esse petendum. Et sanctus Paulus 1. Timothæi 2. unum mediatorem Dei & hominum Iesum Christum asserit. Et S. Ioannes, unum aduocatum atq; saluatorem.

Quinam sancti nobis amici sunt faciendi?

Non uita defuncti, qui nos in æternam uitam præcesserunt, consecuti sua gaudia atq; beneficores,

res, sed uiuentes sancti, hoc est, Christiani pauperes, nobiscum agentes atq; uiuentes, conciliandi sunt, & amici faciendi de mamona iniquitatis.

Nihil igitur dandum fuerit in usus fraternitatis Calandicę, uel Fraciscanę, uel ad exaltationem alicuius sancti aut rerum consimilium &c.

Quemadmodum in uocatione sanctorum, fides Christiana pessum it, sic per eiusmodi munera non necessaria, disperit charitas. Nam eiusmodi sumus ingenio præditi, ut longè facilius atq; libentius aureum ad cultus mortuorũ sanctorum elargiremur, quàm unicum obulum daremus sanctis uiuentibus. Olim homines maximam pecuniæ uim non exhorruerunt ad erigenda summa tẽpla cœnobiaq;, item ad uigilias & missas, consimiliaq; profundere, & nemo tum conquerebatur facultates diminui, iam autem si diebus festis uuicum obulum obtulerimus sanctis uiuentibus, statim metuimus ne pauperiores reddamur.

Quomodo sanctos uiuentes nobis amicos facere debemus?

Nos quemadmodum boni dispensatores, debemus pauperes diuitijs nostris adiuuare, & in omnibus necessitatibus manum egenis porrigere. Quo facto nobis in extremo iudicio perhibebunt fidei testimonium, & occasionem præbebunt patri cœlesti, nos

in æterna tabernacula recipiendi. Tum unicus pauperculus, cui benefecerimus, paterfamilias, unicusq; xenodochij ualetudinarius, multò plus nobis erit profuturus, quàm sanctus Petrus, & sancti reliqui. Nam quicquid fecerimus uni pauperum Christianorum, id quasi contulerimus in ipsam Christum nobis opulentè, manuq; plena compensabitur in æterna uita. Amen.

DOMINICA DECIMA post Trinitatis. Euang. Luc. XIX.

ET ut appropinquauit, uidēs ciuitatem, fleuit super illa, dicens. Si cognouisses & tu, & quidem in isto die tuo, quæ ad pacem tuam pertinēt, curares. Nūc autem abscondita sunt ab oculis tuis. Quia uenient dies in te, & circundabunt te inimici tui ualło, & cingent te, & coangustabūt te undiq;, & solo æquabunt te, & filios tuos qui in te sunt. Et non relinquent in te lapidem super lapidem, eò q; non cognoueris tempus uisitationis tuæ. Et ingressus in templum, cœpit eiicere uēdentes in illo & ementes, dicens illis: Scriptum est, Domus mea domus precationis est, uos autem fecistis illam speluncam latronum. Et docebat quotidie in templo.

Quid nobis hoccine proponit Euangelium?

Tria docet. 1. Vehementem Christi cōmiserationem, qua doluit Hierosolymam funditus interituram. 2. Formā atq; modū excidij futuri. 3. Rationē atq; causſam, quapropter Hierosolyma sit euersa.

Vnde Christi commiseratio nem accipimus?

Cùm in die Palmarum asina uectus appropinquaret, uideretq; ciuitatem, fleuit super illa, dicēs: Si cognouisses & tu, et quidem in isto die tuo, quæ ad pacem tuam pertinent curares. Nunc aūt abscōdita sunt ab oculis tuis. Q. d. Hierosolyma, Hierosolyma, si tu uelis, facile possēs tuum interitū ex Prophetis, meisq; tot habitis cōcionib. cognoscere.

imò non solùm cognoscere, sed etiam rationem inire, qua possis effugere talia pericula. Verùm enimuero, quoniam impia tu legem Dei, Prophetasq; contemnis, Verbum meum calumniaris, & ueritatem audire non potes, illa sunt abscondita ab oculis tuis. Iam quidem gloriaris & exultas, uelut ab omni discrimine remota, extraq; telorum iactum, te credens in portu nauigare, iactans, clamansq; : Hìc templum Domini, templum Domini, hìc ipse Deus habitat, hìc sunt homines qui in terris sancti reputantur. Sed breui tempus est euenturum, quo de te prorsum actum erit, & quo minus eam tuam calamitatem expectaueris die, crudelissimam experieris, miserabiliter interitura.

Cur super Hierosolyma fleuit Christus?

Omnes Prophetæ casus futuros miserabiles prædicturi, solebant eiusmodi calamitates, & insecuturas supplicia, non uerbis nudis prænunciare, sed etiam externis flebilibus signis ac gestibus exprimere. Sic cùm rex Assyriorum in captiuitatem asserturus erat Ægyptum, ambulabat Esaias nudus & discalciatus. Et cùm rex Babylonicus in suã potestatẽ redacturus esset omnes populos, eam calamitatẽ prædixit Hieremias, ambulans, iniecta collo catena: et Ezech. cũ uaticinatus, quomodo Iudæi captiui Babylonẽ essent trãsferẽdi sumpsit laterẽ, &

& descripsit in eo ciuitatem Hierosolymã, & ordinauit aduersus eam obsidionem, comportauit ageres, & posuit arietes in gyro &c. Quod Deo permittente faciebant Prophetæ, ut si qui essent in populi multitudine, conuerterentur agerentq; pœnitentiam. Sic item Christus aspiciens Hierosolymam fleuit super illa, procul dubio summa commiseratione perculsus, quòd tam cæci fuerint, & peruersæ mentis Iudæi, ut non cognouerint ea, quæ fuerant pericula subituri, simul atque supplicia.

Quænam Iudæos supplicia manebant?

Christus ait: Venient dies in te, & circundabũt te inimici tui uallo, & cingent te, & coangustabunt te undiq;, & solo æquabunt te, & filios tuos, qui in te sunt. Et non relinquent in te lapidem super lapidem. Hisce uerbis attingit modum, quo ciuitas Hierosolymitana fuerat deuastanda.

Valdè crudele fuit istud genus supplicij.

Omnium crudelissimum: Tolerabile est cùm hostes impressionem aliquam facientes, infestant ciuitates, & abducta præda recedunt: sed terribile est, cùm aliqua ciuitas longa premitur obsidione, ualloq; cingitur, ita ut nemo uel exire, uel intrare possit, etiam urgente fame quasi Saguntina: multò terribilius, cùm expugnatur, & omnes habitantes in

& crudelißime trucidantur, muri, turres q; diruun tur, domus omnes q; structuræ solo æquantur, talia, consimiliaq; Christus minatur Hierosolymitanis.

Insecutum ne fuit quod Christus prædixit excidium urbis Hierosolymæ?

Maximè, idq; iuxta omnia uerba, quæ protulit in Euangelio Christus.

Quis eam deuastationem memoriæ prodidit?

Iosephus lib. septimo belli Iudaici.

Vnde bellum id traxit exordium?

Iudææ procurator Sestius Florus insatiabilis auaritiæ, atq; tyrannidis homo legitur uarijs Iudæos afflixisse malis, & occasionem dedisse magnam ijs seditionem faciendi, contraq; Romanos arma sumendi. Ille enim honorabilis quosque uiros flagris cæsos, in ipsa urbe sacratißima patibulo suffixit, & innumeris cædibus urbem repleuit, duodecimo imperij Neronis anno. Videres refertas inhumatis corporibus ciuitates, iacentes mortuos, simul cum paruulis senes, fœminarum q; absq; ulla sexus reuerentia nudata in publico, reiectaq; cadauera, atq; uniuersam Iudæam innumeris malis repletam. Plera q; autem perpetrauerat ille non mandante, uel sciente Nerone Cæsare, Quemadmodum officiarij solent aliquando populum multo crudelius tractare, quàm ipsi Domini. Hinc est quòd Iudæi fuerint conati Romanorum iugum excutere.

Nonne Sacerdotes atq; Scribæ Iudæos adhortabantur ad studia pacis?

Satis uehementer fuerunt adhortati, sed nihil proficiebant, idq; sic disponente Deo Qui cùm intendit aliquem populum afficere supplicijs, principio tollit è medio syncerum intellectum, sana consilia, rationes honestas, sapientiam, omnem denique usum & auditum eripit, atq; relinquit quemlibet suis opinionibus, atq; cerebroso capiti. Ad eum modum accidit Iudæis, qui Prophetas occiderant, Christum crucifixerant, Apostolos in exilium ejecerant, tandem etiã Romanos irritarunt, hostes q; fecerunt, ipsi Cæsari denegarũt census annuos, atq; uectigalia, flammis item Cæsaria ædificia passim absumpserunt, & Romanorum sacrificia reiecerunt, &c. Hinc malorum origo profluxit. Hinc conniuente Floro miserabiliter in ciuitatibus & oppidis occidebantur Iudæi, idq; clanculum & propalam ubique. Et hæc erant initia dolorum. Clamauerunt in Pilati conspectu: Sanguis suus super nos, atque filios nostros. Quæ crudelis imprecatio fortiter hic atque potenter incepit ad euentum accelerare.

Siccine

Siccine prorsus exasperarunt, & ad iracundiam prouocarunt Deum?

Iudæorum peccata modum omnem excesserũt, atq; adeo, ut si Romani non uenissent tanta flagitia punitum, oportuisset terram os suum aperire, & impios homines deuorare, quemadmodum Dathan & Abyron, aut ignem atq; sulphur de cœlo descendere, & illos absumere, quemadmodum Sodoma & Gomorra perierunt. Quippe Iudæa peccatis omnibus exundabat, uarias in sectas atq; factiones dirempta: nullus bonæ reip. status, nemo pius atq; sapiens homo fuit dignatus honore alicuius precij. Quilibet pro libidine res administrabat, illud animo fixum habens: Sic uolo, sic iubeo, mihi pro ratione uoluntas. Nihil itaq; fuit aliud Hierosolymæ quàm assiduæ seditiones, quotidianæ rapinæ, furta, cædes. Et si dijs placet, hoc qui fecerunt religioso titulo, sanctoq; nomine sese uocabant Zelotas, ut qui Zelo diuino commoti, contenderent Dei legem, atq; iustitiam defendere. Et ut propositi malitiosi rationes impediret nemo, quendam ab aratro stiuaq; accersitum tressem hominem atque trioboli crearunt Pontificem: Edomitarum item ugnti milia coniurationibus occultis factis clam accersiuerunt in urbem, ut optimum Pontificem Ananiam cum omnibus amicis eius circiter octo milia uirorum

rum interficerent, maturitatem itaq; cœpit Hierosolyma, uindemia non poterat differri, nec in tẽpus longus excidium protrahi. Et capitalis erat lata sententia positusq; terminus, quem nequiuerat præterire.

Quisnam imperator aut belli dux deuastabat Hierosolymam?

Eius expugnatorem nomine proprio non exprimit Christus. Collibuitaũt & uisum est Deo Iudæos puniri supplicijsq; affici per Romanos, tum temporis rerũ Dominos, populumq; potentẽ, quorũ in manu potestas, imperiũq; fuit Cæsareũ. Nec ultio diu protracta, uenerat enim hora Iudæorũ.

Venit summa dies, & ineluctabile tempus.

Sub quonam Cæsare deuastata fuit Hierosolyma?

Nero Cæsar disciplinæ militaris peritißimum uirum Vespasianum misit in Iudæam, qui statim ex Græcia Titum accersiuit, contracto autem exercitu maximo profecti sunt per Syriam et Antiochiã, primumq; impetum fecerunt in Galilæam, in quam Christus multa beneficia contulerat: sed quoniam ingrati fuerant coacti sunt omnium primi bellicã crudelitatem experiri. Postquam autẽ Nero sibi mortem conscisiuisset, ei suffectus atq; substitutus fuit Cæsar Vespasianus. Is mandauit filio suo Tito, ut obsessis omnibus uijs Hierosolymam potenter oppugna

oppugnaret, idq; in ipso Paschatis festo, quo confluxerat illuc innumerabilis omnium prouinciarũ atque nationum multitudo Iudæorum, ultra decies cẽtena milia, centumq; & decem myriadas, ut Egesippus asserit lib. quinto. Et Iosephus lib. 7. de Iudaico bello colligit ex supputatione pascalium agnorum.

Quonam id temporis se Christiani receperant?

Ecclesia quæ fuerat Hierosolymis congregata, responso à Deo accepto emigrare iubetur, & transire ad oppidum quoddam Pellã nomine, trans Iordanem, ut ablatis ex urbe sanctis, & iustis uiris uindictæ cœlesti fieret locus, tam de urbe sacrilega, quàm de populo impio. Sic diuina prouidentia uiris suis parcere, qua factum, ut ueluti subducto tritico, relicta fuerit palea flammis absumenda. Vide Ecclesiasticam historiam lib. 3. cap. 4.

Quomodo igitur Deus aggrediebatur Iudaicam gentem?

Cùm tanta sese contulisset Hierosolymam Iudæorum multitudo, ut non unius ciuitatis annonã, sed maximi cuiuslibet regni prouentus omnes commeatusq; absumere potuissent, indies magis atque magis crescebat fames, hanc sequebatur pestilentia tanta, defunctorumq; tantus fiebat numerus, ut nemo propemodum esset, qui mortuos sepelire

lire potuisset. Deinde congregabantur in unum ciuitatis locum cadauera, quæ fœtore detcrrimo pestilentiæ fomenta contulerunt. Qui confugerant in templum uespillonibus proijciebant pecuniam, qua deficiente præcitabant ultra murum funera, complentes omnia pomœria, fossasq;. Tanta autem fuit fames, ut sæpius amici propter panis buccellam inter sese digladiarentur. Omnia necessitas ucrtebat in cibum, etiam illa quæ ne mutis quidem animalibus edere fuit usus. Ad ultimum ne loris quidem, uel cingulis, uel amentis, autipsis etiam calciamentis abstinuerint. Portarum quoque indumenta detrahentes, conficienda dentibus ingerebant. Nonnulli & fœni ueteris festucas edebant, sed & de quisquilijs undecunque collectis pondus minimũ drachmis quatuor distrahebant, & matres coctos filios deuorabant, ut Maria Eleazari filia de uico Bethezob. In summa tam miserabilis erat fortuna conditioq; ciuitatis Hierosolymitanæ, ut atrocitatem rei nemo possit uerbis eloqui, aut exprimere scripto.

Quando, & quomodo fuit expugnata Hierosolyma?

Die septembris octauo Hierosolyma fuit expugnata & deuicta. Tum malorum impendebat ilias tanta, ut omnia locorum omnium mala simul in unum

unum congesta & accumulata uidisses. Tanta cædes inibi facta, tantaq; sanguinis effusio, ut res difficilis enarratu. Quicunque fuerant in armis trucidabantur. Omnes plateæ redundabant, domus omnes cadaueribus repletæ. Iam crudeles erant mactationes, & homicidia tam horribilia, ut lapidem, atq; rupes commouere potuissent. Qui rebus interfuerunt, nunquam credidissent Deum tam crudeliter iraſci potuisse, & admittere, ut populus tam miserabiliter dilaniaretur, & ciuitas tam præclara, sanctaq; deuastaretur. Omnia solo æquabantur, muri, turres, domus, palatia, & templum, quo nullum erat in toto mundo uel magnificentius uel preciosius, absumptum fuit igne, cũ multis Iudæorũ milib. etiam inuito Cæsare. Qui superstites remanserant Iudæi, uendebantur denarijs tricenis, & per totũ orbem terrarum dispergebantur.

Quænam causa fuit excidij tam miserabilis?

Christus ait: Eò quòd non cognoueris tempus uisitationis tuæ.

Quid est uisitationis cognoscere tempus?

Nihil aliud, quàm audire Dei uerbum & hoc ipsum corde fideli comprehensum asseruare, à peccando cessare, ueram corde contrito pœnitentiam agere, quemadmodum publicanus Zachæus, & alij. Contrà non cognoscere Christi uisitationẽ, est Dei uerbum contemnere, Euangelio non credere, peccando pergere, & in crimimbus perdurare, quemadmodum fecerunt Iudæi.

Nullam ne Iudæi pœnitentiam agebant?

Annos plus quadraginta, quorum interuallo pœnitentiam agere potuissent, Iudæis concessit Deus, uaria quoque dedit (quibus commoti resipiscerẽt) horribilia spectra, signa, prodigia, & portenta in cœlo, in aëre, in templo, sed nihil proficiebant. Nã uelut afflati & amentes, & qui neq; oculos, neque animam in se haberent Iudæi, spernebant omnia, quæ cœlitus nunciabantur. Etenim stella præfulgens gladio per omnia simulis, imminere desuper ciuitati, & cometes præterea exitialibus flammis ardere per totum uisus est annum. Et ad diem festũ azymorum tantus luminis fulgor aram templumq; nocturno tempore circundedit, ut putarent diem clarissimum factum, & permansit spatio horæ dimidiæ. In eadem festiuitate uitula sacrificijs admota, & aris astistens inter ipsas ministrorum manus enixa est agnum, prope solis occasum uisi sunt currus, & quadrigæ in omni regione per aërem ferri, & armatorum cohortes miscerí nubibus, & urbes circundari agminibus.

Visæ acies inter sese concurrere telis.

In festo Pentecostes uoces auditæ sunt, dicẽtes: Migremus hinc. Et quidã Ananiæ filius Iesus nomine, uir plebeius, ante quartum belli annum, cùm ciuitas in pace, & in abundantia perduraret, in die festo tabernaculorum repente clamare cœpit: Væ ab oriente, uæ ab occidente, uæ à quatuor uentis, uæ super Hierosolymam, & super templum, uæ super sponsos & sponsas, uæ super populum, & indesinẽter die noctuq; per omnes plateas circumiens hæc clamabat, usq; adeo, quidam primores ex populo uiri, uelut infausti præsagij indignatione cõmoti correptum hominem multis uerberibus afficiunt. At ille nequaquam pro se aliquid loquens, sed ne eos quidem, qui circunsteterant deprecans, eadem uoces pari obstinatione, & clamore repetebat. Tum principes intelligentes (ut res erat) numinis esse motus in uiro, perducunt eum ad iudicem Romanum, apud quem flagris ad ossa usque laniatus, neque preces, neque lachrymas fudit, sed eandem uocem miserabiliter, & cum quodam ululatu emittẽs, per singula pene uerbera proferebat, addens etiam hoc: Væ uæ Hierosolymis, ut habetur apud Iosephum. Meminit Ecclesiastica historia li. 3. cap. 8. Sed omnia quæ contigere, uentis tradiderũt, quemadmodum & illorum patres ante captiuitatẽ Babylonicam fecerunt. Et qui noluerunt uisitatorem Christum, eundemq; Archipræsulem suscipere

re coacti sunt funestos Romani exercitus milites tolerare, durissimumq; frenum mordentes tyrannidem eorum perpeti, à quibus uisitabantur in uirga ferrea gladijs, lanceisq;, ut tãtam crudelitatem adhuc posteritas Iudaica deploret.

Quidnam ex hac terribili Hierosolymitanæ desolationis historia discemus?

Qualia mala Iudæi iuxta corporis externam rationem perpessi sunt, talia nos in extrema mortis necessitate spiritualiter experiemur, si Deus ingratos inuenerit nos, quemadmodum Iudæos offendit. Ingruet enim hinc Sathanas, illinc mors, peccatum, inferna, Dei ira, & mala conscientia, quæ nostras animas coangustabunt, & obsidebunt, peccata nostra ponent ante oculos, omnemq; dabunt operam, ut nos ad desperationem adigãt. Quod si acciderit, tum expugnatam occupabunt ciuitatem atque templum. Gustemus item & experiamur, oportet, qualia præmia conferre soleat ingratitudo, cuius culpa Iudæi perdiderunt externa regna, pontificatus, sacerdotia. Præterea Dei spiritualia dona, nempe gratiam diuinam atque misericordiam. Nobis Christianis metuendum erit, ne non in eadem incidamus mala. Nam si nos immensam gratiam atq; beneficentiam, quam cœlestis Pater nobis post longos errores, atque cæcitatem exhibuit,

contempserimus, & nos erga uerbum diuinum ingratos ostenderimus, obruent illa nos quoq; corporum & animarum pericula. Contrà si Deum in oculis semper tulerimus, & iuxta benedictum eius uerbum atq; præcepta uixerimus, tum nos in medijs etiam periculis à Deo consolationem habituri, & auxilium atque præsidium. Quemadmodum enim in Iudaico bello suos conseruauit Deus, ita etiam nos sub alas eius congregatos defendet, atq; proteget non solum in hac præsenti uita, sed etiam in futura, Amen.

DOMINICA VNDECIMA POST Trinitatis, Euangelium Lucæ. 18.

DIxit Iesus ad quosdam, qui in se confidebant quòd essent iusti, & aspernabantur cæteros, parabolam istam. Duo homines ascendebant in templum ut precarentur, unus Pharisæus & alter publicanus: Pharisæus stans hæc apud se orabat: Deus gratias ago tibi, quòd non sum sicut cæteri homines,

homines, raptores, iniusti, adulteri, uelut etiam hic publicanus: ieiuno bis in sabbato: decimas do omnium quæ possideo. Et publicanus procul stans nec oculos uolebat ad cœlum tollere, sed percutiebat pectus suum, dicens: Deus propicius esto mihi peccatori. Dico uobis, descendit hic iustificatus in domum suam magis quàm ille. Quia omnis qui se extollit, humiliabitur, & qui se humiliat, extolletur.

De quibus hæc præsens Euangelij parabola dicit?

De duobus summæ diuersitatis hominibus, quorũ alter Pharisæus fuit, homo iustus atq; sanctus hominũ iudicio reputatus: Alter publicanus, homo leuis & impius æstimatus sententia mundi. Tales erant, quales hodie sunt inter se comparati, Monachus Chartusianus, & qui uenalem gerẽs sanguinem, gratia lucri, sequitur castramules. Idem templum uterq; subintrant, idem faciunt opus, orãtq;,

sed tamen utriusq; preces non exaudiuntur. Propter fastum quo tumuit Pharisæus, propterq; iactantiam reijcitur. Iustificatur autem publicanus propter peccati cognitionem ex fide professam.

Non potuerunt hñ duo, in conclaui domestico, quemadmodum Christus Matt. 6. præcepit, orare?

Quòd Christus introire in conclaue iubet, & ostio clauso Patrem orare præcepit, non reiecit publicas Christianorum orationes, Ecclesiæq; preces, sed uetuit hypocriticas orationes Pharisæorũ: Qui solebant in cõciliabulis, & in angulis platearũ stantes orare, quò conspicui sint hominibus. Et Ecclesiæ seu templa, sunt ueluti publicæ Scholæ Christianorum, in quibus Christiani discunt pietatem, nempe legem, Euangelium, Catechismũ, ubi sacramenta diuina porriguntur, precesq; funduntur ad Deum pro omnibus Christianæ reipu. causis necessarijs, unde domus deprecationum templa dicuntur. Quarum rerum gratia sunt in Christianismo constructa solummodo, non ut in ijs die noctuq; latremus, aut inde faciamus aleam lucri, aut latronum spelunca, ut ad Iudæos ait Christus Matthæi. 21.

Quales duorum fuerunt preces?

Valde

Valde dissimiles. Quemadmodum enim discordes erant uita, sic etiam quas habuerunt in templo dispares orationes.

Quomodo Pharisæus orabat?

Stans Pharisæus hæc apud se orabat: Deus gratias ago tibi, quòd non sim sicut cæteri homines, raptores, iniusti, adulteri, uelut etiam hic publicanus, ieiuno bis in sabbato, decimas do omnium quæ possideo.

Quid huic orationi defuit, cùm tamen Deo, pro acceptis beneficijs gratias egerit?

Verũ est: Non inuocat Patriarchas, nec Prophetas, neque sanctos, sed gratias agit Deo pro donis, quæ cœlitus acceperat, quòd nõ sit raptor, iniustus adulter, &c. Quòd in septimana bis ieiunet, quòd omniũ quæ possideat decimas det: in summa, quòd tam piè sanctèq; uiuat, ut omnes cum bonines prædicare, atque laudibus euehere cogan ur, probitatis, sanctimoni. q; singularis nomine. Et ipse philautus cæco sui cap.us amore, seipsum celebrauit encomio.

Quodnam igitur orationis erat deliquium?

In hoc deficiebat, quoniam non inerat guttula

fidei iusticiæq; Christianæ, quæ sola iustificat apud Deum.

Quomodo acquiritur ea iusticia?

Ad acquirendam eam, quam Deus solam respicit, iusticiam tria requiruntur. 1. Vt homo peccata cognoscat, & ex corde pœniteat admissorum. 2. Vt firmiter credat peccata condonari per Dei misericordiam propter Christum. 3. Vt fidem testetur operibus bonis proximo collatis, eumq; non aliter ac seipsum diligat.

Ista ne tria fuerant in Pharisæo?

Nihil minus. Non enim se peccatorem cognoscebat. Quomodo enim se peccatorem is profiteretur, qui glorioſè iactat seſe non esse talem, quales cæteri sint homines iniqui &c. Iustificabat igitur seipsum, nolens peccator haberi, cùm tamen a capite usq; ad pedes (ut dicitur) coinquinatus fuerit. Dicit enim scriptura: Omnis homo mendax. Et Psal. 142. Non intres in iudicium cum seruo tuo. Quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis uiuens. Et. S. Ioan. 1. Ioã. Si dixerimus non peccauimus, mendacem facimus eum, & sermo eius non est in nobis. At hic Pharisæus seſe numero peccatorum eximit, sibi iusticiam asscribit, præterea proximum adiudicat inferno, peccat itaq; grauiter in legẽ & Euangeliũ super omnes homines seſe iactanter

iactanter extollendo. Quomodo autem grauius delinquere potuisset? Multo fuisset tollerabilius, si dixisset ita: Non sum sicut multi homines, iam simpliciter inquit: Non sum sicut cæteri homines. Quid aliud est hoc dicere, quàm: Solus ego sum iustus, cæstus atq; pius, omnes alij sunt iniusti, adulteri, & impij, solus ego ieiuno, & omnium quæ possideo decimas do, quod cæteri non faciunt peccatorum serui, per quam fastuosam, quæ comitem inuidiam trahit, iactantiam, tota caussa cecidit.

Tam ne grauiter peccauit Pharisæus?

Maximè: Peccauit enim contra omnia Dei præcepta. Principiò Deum nihili facit, & seipsum constituit Deum, qui seipsum iuuare posset, non opus habens alterius opera Dei. Deinde nomen Dei assumpsit in uanum: Non enim Dei nomen inuocauit, nec auxilium aut gratiam orauit, sed tantummodo sua iactauit opera, meritaq;. Postmodum non sanctificauit sabbata: non enim ab operibus suis proprijs feriatus fuit, atq; passus, ut in corde suo Deus operaretur. Postremò, non dilexit proximum suum: nam iactantia atq; lingua uenenata contemnit, criminatur, & quantum in ipso fuit, occidit omnes homines. Super hæc omnia: Falsum dat cõtra proximum testimonium, & damnat eum, quem Christus iustificat publicanum.

Longè satius igitur fuisset, si templum Pharisæus nunquam ingressus?

Multo consultius: Nam in templo esse, & non orare, nec Deo pro donis diuinis in nos collatis, gratias agere, sed iactare, seq; reliquis omnibus anteferre, ueros item Dei adoratores iudicare atque condemnare, non est pium neq; Christianum opus, sed ethnicum atq; diabolicum. Ergo Deus eorum, qui hoc faciunt, preces non exaudit.

Quomodo autem magis piè fuisset precatus?

Si orasset hoc modo: O Deus omnipotens, nos omnes humanæ fragilitatis culpa, miserrimi peccatores sumus, cum primis hic publicanus, quemadmodum & ego. O pater clementissime, nostri miserere, & remitte nobis debita nostra. Ista ratione se peccatoribus annumerasset. Adhæc pij cordis atq; fidelis opus protulisset, si pro homine publicano orasset, humerisq; suis impositum deportasset ad Deum, quem oratione iam sua mendacij arguit, negando se peccatorem esse, cùm tamen sit totus peccatum. Præterea tanta inuidia odioq; exæstuabat, ut si Deus potestatem dedisset, ad inferna præcipitasset publicanum, omni remota misericordia. Hij fructus sunt Pharisæorum, & Iusticiariorum, qui seipsos constituunt iustos, opera ueritatq; sua iactant, homines denique cæteros omnes contemnunt atq; condemnant.

Quid interim publicanus?

Publicanus procul stans, nec uolebat oculos ad cœlum attollere, sed percutiebat pectus suum, dicens: Deus propitius esto mihi peccatori, &c. Quemadmodum in Pharisæo nobis exemplum proponitur hypocriticæ sanctimoniæ, sic in publicano pœnitentiæ contritionisq;. Hic igitur licet in hominum conspectu nihil haberet honestatis, aut pietatis, tamen propter pœnitentiam, quam uera fides excitauerat, à Deo iustificatus fuit.

Ad ueram cordis contriti pœnitentiam quot res requiruntur?

Tres potissimùm. 1. Vt homo peccatum suum cognoscat, uereq; doleat, quòd unquam delictis offenderit Deum. 2. Vt credat peccata condonari per Dei misericordiam propter Christum. 3. Vt ueros pœnitentiæ fructus faciat, proximum diligat ut seipsum, uocationis suæ respondeat officio, rerum suarum diligenter satagendo.

Hæccine tria publicanus habuit?

Omnino: Nam humiliauit sese, atq; peccatorẽ indigniorẽ æstimauit, q̃ ut deberet in hominũ conspectum prodire, stetit procul, oculos ad cœlũ non ausus

sus attollere, animo reuoluit, se peccatorũ omnium sceleratiss. esse. Quamuis autem procul staret, tamen propè fuit Deus, iuxta illud Psal. 144. Prope est Dominus omnibus inuocantibus eum in ueritate. Percutiebat pectus, cognoscensq; se peccatorem, orauit ueniam.

Quomodo orauit?

Dixit: Propicius esto mihi peccatori. Hic nulla operum auditur iactantia, nec fastidiosus aliorum contemptus: deuoti cordis oratio fuit, breuis quidem & succincta, non uerborum ambage, sed uirtutis efficacia potens. Hæc est uera peccatoribus omnibus necessaria confessio peccatorum, atq; adeò, ut sine eadem nemo Dei gratiam uel misericordiam possit impetrare. Etenim primum ad iustificationem gradum constituit peccatorum confessio. Quæ ubi est, ibi cum fructu prædicatur Euangelium atq; diuina gratia. Hinc ipse Christus Mat. 11. Pauperibus Euangelium annunciatur, quo discunt auditores, oportere per Christum iustificari omnem hominem, atq; salutem consequi. Clamant igitur cum publicano: Propitius esto mihi peccatori. Cæterùm ubi peccatorum nulla confessio fuerit, ibi nulla quoq; futura delictorum remissio.

Quis duorum istorum iudex adoratorum?

Christus dominus noster, qui dixit hanc sententiam

tiam, inquiẽs: Descendit hic iustificatus in domum suã magis quàm ille, quia omnis qui se extollit, humiliabitur, & qui se humiliat, extolletur.

Quosnam tangit ista contra Pharisæum lata sententia?

Omnes hypocritas perstringit atq; iusticiarios, qui oblatam Christi gratiam contemnunt, atq; connituntur proprijs suis efficiis operibus se iustificare, de quibus ait Christus: Non omnes qui dicunt mihi, Domine Domine, introibunt in regnum cœlorum, sed qui faciunt uoluntatem patris mei, qui est in cœlis.

Quosnam homines pro publicano lata Christi sententia complectitur?

Omnes peccatores atq; peccatrices resipiscentes, & ex animo pœnitentiam agentes. Hinc Ezechiel 18. Si impius, inquit, egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, quæ operatus est, & custodierit omnia præcepta mea, & fecerit iudicium & iusticiam, uita uiuet, & non morietur. Omnium iniquitatum eius, quas operatus est, non recordabor, in iusticia sua, quam operatus est, uiuet.

Quænam huius Euangelij summa?

Quod

Quod uerbis exprimit Christus, Matth. 7. uem pe: Non potest arbor bona fructus malos facere, neq; arbor putris, bonos. Hoc ipsum hic ostendit exemplo, ponitq; nobis ante oculos tales arbores. Quasi dicat: Non est res magni negotij, solummodo considerandi sunt fructus arborum, & hominum opera. Apud hominem superbum non inuenies humilitatis uirtutem. In auaris nulla est bonitas uel humanitas. Ab inuidis & iratis beneuolentia recessit omnis, quales enim arbores, tales fructus, qualia corda, talia sunt etiam opera, quales scaturigines, tales riui, qualibus corda plena sunt, talibus exundant ora, &c. Quòd si Pharisæum extrinsecus contemplati fuerimus, totum inueniemus nitidum, sin autem intrinsecus perspexerimus, hypocritam totum reperiemus atque blasphemum, imò sceleratißimum omnium hominum, qui uelit secum ad inferna protrudi genus omne mortalium. Conerà, si publicanum forinsecus aspexerimus, nihil aliud nobis occurret, q̃ abominatio mera, & impietas. Sin autem excussserimus cordis penetralia, syncera fides hominis pijssimi refulgebit, qui suo exemplo & operibus bonis sit promptißimus ad inseruiendum toti mundo: quoniam docet, ut in conspectu Dei debeamus humiliare nostras animas, peccata nostra confiteri, ut Deo reconciliari poßimus, ad impetrandam gratiam atq;

atque misericordiam, hæreditatem q̃; uitæ cœlestis acquirendam. Amen.

DOMINICA DVODECIMA

post Trinitatis. Euangelium, Marci VII.

EGressus Iesus de finibus Tyri & Sidonis, uenit ad mare Galilææ per medios fines Decapoleos, & adduxerunt ei surdum, impeditæ q; linguę, & deprecantur eum, ut imponat illi manum, & cùm apprehendisset eum de turba seorsim, misit digitos suos in auriculas eius, & sputo emisso, tetigit linguam eius, ac suspiciens in cœlum, ingemuit, & ait illi: Ephphatha, quod est aperire, & statim apertæ sunt aures eius, & solutum est uinculum linguæ eius, ac loquebatur rectè, ac præcepit illis, ne cui dicerent. Sed quo

quo magis ille eis præceperat, hoc potius amplius prædicabant, & supra modum stupebant, dicentes: Bene omnia fecit, & surdos facit audire, & mutos loqui.

Quid nobis hoccine demonstrat Euangelion?

Ostendit Deum misericordem, atq; saluatorem clemētissimum esse, facilem eundem, promptumq; hominibus omnibus ferre suppetias, atq; conferre salutem corporis & animarum: idq; duobus exemplis confirmat, nempe fidei & charitatis, illius in uiris, huius autem in Christo.

Cur nobis hæc eadem ponuntur ante oculos exempla?

Vt omnem spem, expectationem atque fiduciam nostram habeamus in Deo domino nostro, nihil omnino dubitantes, quin ipse uelit nobis opem ferre in omnibus afflictionibus nostris, iuxta illud Psal. 49. Inuoca me in die tribulationis, eruam te, & honorificabis me, & Matth. 11. Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficillabo uos. Deinde, ut proximo (quemadmodum nobis Christus & in hoc Euangelio beneuoli uiri surdo fe

cerunt) inseruiamus, cunctisq; hominibus & uerbo, & opere, & consilio prosimus, & auxilio. Nam in hisce duobus, fide, atq; proximi dilectione, pendet tota Christianorum uita. Nec ulla ratione separari possunt: Quemadmodum enim ignis atq; calor nullo modo segregari, sic fides sine charitate, & econtrà, charitas sine fide non potest esse uera. Fidem oportet opera charitatis, hoc est, non fructus fidei fructus sequantur, aliàs superuacanea mortuaq; fides habebitur, & arbor sine fructibus, quæ putris excidetur, & in ignem conijcietur. Quapropter hæc duo, nempe fides atq; charitas, obseruatu ualde sunt necessaria, non solùm ut memoriâ teneamus, sed etiam exprimamus honesta uiuendi ratione.

Quid agunt, in hoc Euangelio quorum fit mentio, uiri?

Firmiter credunt, Christum afflicto homini muto surdoq; mederi, & à malis liberare posse: Quæ pectore concepta robusta fides impulit ad opus charitatis atq; misericordiam uiros, ut hominem miserum ad Christum adducerent, atq; deprecarētur eum, ut imponeret illi manū. Respiciēs igitur horū fidem Christus, misereur hominis atq; medetur.

Quanam ex re uirorum istorum fides deprehenditur?

Colligitur ex operibus ipsorum: Nam si nulla fides intercessisset, nunq̃ hominis surdi curam suscipientes, eum adduxissent ad Christum, nec deprecati fuissent, ut sanitati restitueretur. Nam ad Christum ægrotos adducere, & non credere languores ab eodem posse tolli, hoc esset Deum irridere, atq; blasphemare. Quòd autem recta ueraq; fide Christum quæsiuerint, inde constat, quòd non incassum precati fuerunt, Christus enim preces intercedentium exaudiuit, eosq; uoti compotes reddendo, surdum mutumq; sanauit.

Vnde uiris eiusmodi fides prouenit?

Proculdubio profluxit ab optima, quam de Christo audiuerunt, fama, nempe quòd omnium clementissimus ille, non dedignetur miseris opem ferre, ut etiam à mulieris Syrophœnissæ filia, multisque alijs (ut in hoc cap. Marcus meminit) eiecerit Dæmonia. Huic præclaræ famæ credentes, ad Christum uenerunt, pro surdo precaturi.

Ergo ne Deus alienam fidem respicit?

Cùm homo saluatorem Christum cognoscit, et ex animo credit, & postmodum ea fides ita diffundit sese, ut aliorum hominum curam suscipiat, eorumq; nomine Christum quærat atq; deprecetur, ut etiam ipsi perueniãt ad fidei Christiq; cognitionem, &c. Talem Deus non auersatur aliorum hominũ fidem.

Con-

Conducit ne fides eadem ad animæ salutem?

Aliena fides apud Deum intercedens homini prodesse potest ad acquirendam corporis sanitatẽ, & ad comparãdam fidem propriã. Sed ut iustificetur atq; saluetur aliquis, propria fides sola facit, non aliena. Hæc pro me tantùm orare potest, ut propriam mihi Deus elargiatur. Ergo si mihi peccata condonari debent, & ego saluari, propriam fidem habeam necesse erit.

Quid huic muto & surdo faciebat Christus?

Cùm apprehendisset eum de turba seorsim, misit digitos suos in auriculas eius, & sputo emisso, tetigit linguam eius, & suspiciens in cœlum ingemuit, & ait illi: Ephphatha, hoc est, aperite.

Cur seorsim à turba apprehendit eum?

Vt ostenderet eum qui pie uiuere uelit, oportere ab omni malo peruersorum hominum consortio distractum, in tranquilla conscientia sese ad Deum conuertere.

Cur digitos in auriculas misit, & emisso sputo, linguam eius tetigit?

Quoniã præuidit in posterioribus temporibus

falsos doctores suborituros, qui sacrosanctã Christi carnem essent contempturi, dicens: Caro non prodest quicquam. Vt autem uideremus, Deum et hominem unum Christum, suamq; carnem & salutarem & utilem esse, noluit hunc ægrotum Christus sanare uerbis nudis, sed adhibere uoluit sputum & manus atq; digitos.

Cur suspexit in cœlum?

Quoniam solus Christus est summus ille pontifex, qui pro nobis apud patrem intercedit, & sine intermissione pro nobis orat. Et nos in cœlum, ubi Christus est, suspicere debemus, & ab eo salutem postulare, qui ad dexteram est patris omnipotentis. Accedamus igitur cum fiducia ad thronum gratiæ, ut consequamur misericordiam, &c.

Cur, cùm tetigisset linguã, ingemuit?

Quoniam prospexit quantum damnum Ecclesiæ esset illatura linguarum impiarum maledicentia, nempe longè maius atq; periculosius quàm omnes tyranni atque Christianorum persecutores. Cùm enim Christiani persecutionem patiuntur, excrcetur atq; crescit fides, fitq; charitas ardentior, atq; Dei Verbum potentius & efficacius, Sathanas autem & mendaciorum spiritus, euadunt debiliores & infirmiores. Quippe Christianorum sanguis est uelut semen, unde noui Christiani succrescunt. Ergo tyranni sua persecutione non afferũt maximam

maximam Ecclesiæ cladem, sed potius ista portio carnis hærens inter dentes. Apparet quidem atrocissimum esse malum, si Christianus quispiam interficiatur, aut capite plectatur, sed hoc ipsum nihil est præ ijs, quæ facinora æduntur à falsis prædicatoribus, & pseudoprophetis, qui sæpius una oratione sub nomine Christi habita, unaq; hora totius regionis aut ciuitatis alicuius animas occidunt. Turca quidem Christianis multum nocuit, armis, igne, gladio, sed longè maioribus damnis affecerunt Papistæ, doctrinis falsis, ut meritò Christianus ingemisceret, imò sanguinolentas lachrymas emitteret super linguis uenenatis, nõ in foro aut ornamentis nugas effutientibus, aut dolos struentibus, sed in templis doctrinas falsas, & mendacia diabolica promulgantibus.

Cur super auriculis ingemuit?

Quoniam præsciuit homines libentius audituros diabolicas doctrinas, & hominum figmenta, q̃ Dei Verbũ. Quẽadmodum etiam S. Paulus conqueritur, inquiens 2. Timoth. 4. Erit tempus cùm sanã doctrinam non sustinebunt, sed iuxta concupiscentias suas coaceruabunt sibi doctores, ij quibus pruriunt aures. Nostra tempestate clementiss. pater Deus omnipotens, nobis aures aperuit, atq; linguas resoluit, ut Dei Verbum audire, loqui, atque liberè confiteri possimus. Inueniuntur tamen multi, qui

cùm uenerit Pseudopropheta atq; mendacij prædicator, accurrũt statim et aperto ore, arrectisq; auribus astant, audiunt, et una hora plus hauriunt ex oratione sacrilega ueneni, quàm 10. aut 12. annis acceperunt ex Euãgelio sanæ doctrinæ, ut certè multo satius fuerit ueritatem nunquam ab illis cognitam fuisse. Quòd si prædicatores Euangelij mutati uelint Sathanæ mendacia docere, tamen auditores ea pietate præditi esse deberent, ac dicere: Valeat ista lingua, quæ falsa & diabolica, merum efflat uenenum. Non audiam, quòd si angelus de cœlo mihi prædicauerit Euangelium aliud, præter id quod prædicauit Christus mihi, anathema est: ego audiam quod mihi Deus dicit atq; dilectus eius filius Iesus Christus, quẽ ipse pater audiri iussit. Non est absurdum, credere ipsum Christũ ingemiscendo sic cogitasse: Ecce quanti regnũ meum mihi constet, cuius gratia, tot labores sufferre, tot adire pericula, tam atrocia deniq; supplicia perpeti cogar, ut tandem multis sudoribꝫ atq; passione mea rem eò deducam, ut homines Verbum meum audiant, loquãtur atq; profiteantur, sed, proh dolor, interim exorituri Pseudoprophetæ, maledicti, omniumq; sceleratissimi blasphemi, qui maxima clade finesbabunt, & diabolicis insidijs instructi perditum ibunt illud. At homicidis eiusmodi crudelissimis gratiam, quam meruerint, egregiè sum in die nouissimo relaturus,

atrociora Sambico (quod aiunt) passurus. Sed, ut audio, non sine magna caussa tot gestib. atq; cæremonijs in surdo sanãdo Christus est usus?

Non sine maxima. Videbat, quàm mortiferum damnum atq; cladem intulerat in Paradiso Sathanas, & quantis adhuc in orbe toto malis homines afficiat, affligatq́e, faciens omnes surdos, mutos, cæcos, & claudos ad omnia bona. Christus igitur nõ ingemuit super una hominis huius miseri linguæ & auriculis, sed super uniuersi generis humani. Oculos enim latissimè circumtulit, respiciens omnes homines ab Adam, usq; ad extremũ futurum. Q. d. Summo dolore perfusum me uestri miseret, quos diabolicam in captiuitatem ita uideo redactos, ut surdi prorsum, atq; muti sitis ad Verbum meum, multo libentius audientes mendacia & diabolicam doctrinam, quàm salutare meum Euangelion. Ego quidem moneo, adhortor, instio, minor & obiurgo, sed nemo est, qui uidere, uel audire uelit, ut tandem misericordiæ (qui summus est mihi titulus) meæ cogar obliuisci, licet inuitus, & æquis iustitiæ legibus uti. Verũ est, nec inficias eo, me plurimis alijs ægrotis profuisse, multosq; innumeros uel uudis tantùm uerbis sanitati restituisse, sed in hoc surdo mutoq́e curando multum laboris insumpsisse, idq́e non sine caussa, cùm hisce duobus membrũ,

nempe linguæ & auribus plurimum insit ponderis & efficaciæ. Proinde gestibus nō uulgaribus utor, sed peculiaribus cæremonijs, ut cognoscatis, quàm difficile sit ad Dei Verbū audiendum aures aperire, atq; linguam resoluere.

Cur hæc duo membra facesse runt Christo negociū, non hominis alia?

Quoniam Christi regnum solo uerbo Dei constat, atq; hoc ipsum Verbum exerceri non potest, neq; tractari, nisi per eadem duo membra, linguā & aures. Oportet enim lingua pronunciet, aures audiant, & confiteatur illa, quod hæ percepe-rint atq; corda crediderint. Quòd si utraque illa membra tuleris è medio, nullum remanserit discrimen inter Ethnicos & Christianos. Hij non aliter ac homines alij uiuunt, edunt, bibunt, dormiunt, uigilant, laborant, ædificant, plantant, ut extrinsecus discernere non possis, an Christiani sint, an Iudæi, an Ethnici, sed linguæ & aures discrimina faciunt: multo enim aliter audiunt Christiani atq; loquuntur, q̄ Iudæi, uel Ethnici. Etenim Christianus aures ad Dei Verbum audiendum habet, & linguā quæ Deū laudat, & pro donis diuinis acceptis gratias agit, glorificatq; Iesum Christum filium Dei, loquitur item ac confitetur liberè ueritatem, quod non faciunt Iudæi, Turcæ & Ethnici, qui libentius

tius audiunt prædicari de magnis diuitijs, de glorioso mundi apparatu, de potestate, & reliquis, &c. Loquuntur item multo libentius de mundi rebus, delicijs, uoluptatibus & consimilibus &c. Solis igitur hisce membris duobus, nempe linguis et auribus Christiani separantur à populis alijs. Hinc S. Paulus Roma. 10. Si confessus fueris ore tuo Dominum Iesum, & crediderit in corde tuo, quòd Deus illum excitauit à mortuis, saluus eris. Corde enim creditur ad iusticiam, ore autem confessio fit ad salutem.

Statim ne mutus surdusq; me dente Christo recepit loquelam, & auditū?

S. Marcus ait: Et statim apertæ sunt eius aures, & solutum est uinculum linguæ eius, & loquebatur rectè. Sic enim operatur Deus, ut quam primum emiserit uerbum, simul adsit opus perfectum: Dixit & facta sunt.

Cur præcepit illis ne cui dicerent?

Eius inhibitionis certam non poterimus adducere rationē. Videtur uoluisse docere omnem hominem in uocatione sua debere, quod æquum rectumq; sit facere, eoq; modo non huius mundi diuitias, aut laudes quærere, sed solam Dei gloriam, & animarum salutem.

Quid est quod ait. Quo magis ille eis præceperat, hoc potius amplius prædicabant?

Qui ueram habet fidem homo, & bonitatem, beneficiaq; Dei sentit, atq; ipsis rebus experitur, tacere non potest, sed Dei clementiã, gratiam atq; misericordiam ubiq; laudat, & apud omnes homines extollit atq; glorificat.

Quid est, quòd supra modum stupebant, dicentes, bene omnia fecit: &c.

Hij sunt, quos ex intimo cordis recessu fides producit, fructus eorum, qui Christum per hoccine miraculum cognouerunt. Et est ualde gloriosa prædicatio qua, profitentur omnia à Christo bene facta. Quæ nulli hominum potest asscribi. Nemo enim in terris est, de quo dici possit: Omnia bene fecit. Ab initio Pater Adam in paradiso sic res administrando fecit, ut omnis adhuc in hac lachrymarum ualle posteritas fleat, atque lamentetur. Et nos ita facimus indies, ut nihil (sicuti prouerbio dicunt) sanum, sed unas propitiatio pro peccatis nostris, per sanam obedientiam nos patri reconciliauit, atque compensauit, quod nos inobedientia deliquimus.

Quid

Quid potissimum ex Euangelio præsente discemus?

Linguas & aures, ut Deus ea nobis dedit conseruabimus atque custodiemus pura & inoxia, nec patiemur ea falsis doctrinis, atque mendacijs diabolicis infici, aut contaminari. Deinde gratias agemus pro collatis in nos beneficijs, Christo. Faciemus item in uocatione nostra quisq;, quod honesta requisiuerit officiorũ ratio. Magistratus bonis patrocinabitur, de malis autem supplicia sumet. Subditis obediet. Verbi minister Dei doctrinam puram, nullis humanis traditionibus conspurcatam prædicabit, Christianus diligenter auscultabit, & iuxta uerbi diuini regulam, uiuet. Ex Dei gratia peruenimus, ut aures apertæ nostræ Dei uerbum libenter audiant, idemq; non inuitè linguæ loquantur, sed ut ad effectum deducamus, ut operibus expleamus, ut iuxta illud piè uiuamus, ut ex corde fidamus Deo, ut proximum denique diligamus, eiq; necessitatib. in omnib. diligẽter inseruiamus, auxilio cõsilioq; nostro uigilanter prosimus, hæc non facimus, & ne sequantur ea diuina doctrinã opera, plurimũ cum tota sua cliẽtela Sathanas elaborat. Sana quidẽ doctrina est, iam aures apertæ, & soluta linguæ uincula: det Deus omnipotens ut tandem facta condigna piaq; uita

sub-

Subsequantur. Oremus igitur clementem Deum, atque misericordem patrem ut nobis propter Iesum Christum dignetur elargiri gratiam, atq; robur, quò possimus ita facere, atq; uiuere, quemadmodum de uerbo Dei loquimur, & audimus, ne in sempiternum surdi atq; muti reperiamur, sed Dei gratiã atq; benedictionem in hac uita consequamur, & post hoc seculum æterna gaudia, Amen.

DOMINICA DECIMATERTIA *post Trinitatis*, Euangelium Lucæ X.

BEati oculi qui uident quæ uos uidetis. Dico enim uobis quòd multi Prophetæ & reges uoluerunt uidere, quæ uos uidetis, & nõ uiderunt, & audire quę auditis, & non audierunt. Et ecce quidam legisperitus surrexit, tentans illum, & dicens: Magister quid faciendo uitam æternam possidebo? At ille dixit ad eum:

In

In lege quid scriptum est? quomodo legis? Ille respondens dixit: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex totis uiribus tuis, & ex tota mente tua: & proximum tuum sicut teipsum. Dixitq; illi: Recte respondisti: hoc fac & uiues. Ille autẽ uolens iustificare seipsum, dixit ad Iesum: Et quis est meus proximus? Respondens autem Iesus, dixit: Homo quidã descẽdebat ab Hierosolymis in Hiericho, & incidit in latrones, qui etiam despoliauerunt eum uestibus, ac uulneribus inflictis, abierunt semimortuo relicto. Accidit autem ut sacerdos quidam descẽderet eadem uia, uisoq; eo præteriit. Similiter & Leuita, cùm iret

iuxta locum, cùm accessisset ad eum, præterijt. Samaritanus autem quidam iter faciens uenit ad eum: & uiso eo misericordia motus est: & accedens obligauit uulnera eius, infundens oleum ac uinum, & imponens illum in iumentum, duxit in diuersorium, & curam eius egit. Et postero die egrediens deprõptos duos denarios dedit hospiti, & ait ei: Curam illius habe, & quodcunq; preterea insumpseris, ego, cùm rediero, reddam tibi. Quis ergo horum trium uidetur tibi proximus fuisse illi, qui incidit in latrones? At ille dixit: Qui exercuit misericordiam in illum. Ait igitur illi Iesus: Vade, & tu fac similiter.

Quid

Quid agit in hoc Euangelio Christus?

Tria potissimum facit: Primò discipulos prædicat beatos propter gratia plenum, atq; salutare tempus, in quod inciderant. Deinde duobus præceptis summam totius legis compendio complectitur. Tertiò. Parabola demonstrat, quisnam sit proximus noster.

Cur beatos prædicat discipulos?

Propter salutiferi temporis præsentem gratiam, qua is apparuit in carne, quem omnes prædixerant Prophetæ, nempe benedictum semen ante longa tempora Adæ atq; Abrahæ promissum, qui contriturus esset caput serpentis, regnaturus in domo Iacob, & sessurus super solium Dauid in æternum, in quo benedicendæ gentes terrarum omnes. Quis igitur se non beatum arbitraretur qui tantum mundi salutorem præsentem audiret atq; uideret. In sinu gaudebat Abraham quòd procul in spiritu, quasi per transennam inspiceret tempus, quo Christus erat nasciturus, quanto magis gauisus fuisset, si Meßiam in carne præsentem uidisset atque contrectasset. Et Simeon cupiebat Meßiam uidere, uoti compos redditus cum gaudio uidit atque Deum glorificauit. Et Diuus Augustinus desyderabat contemplari Romam

in maxima gloria, Paulum in concionibus, & Christum in carne. Tempus igitur aduentus sui Christus extollit, & nominat salutare atque beatum, inquiens: Beati oculi qui uident quæ uos uidetis. Et Diuus Paulus Roma. 13. Nunc, inquit, propius adest nobis salus, quantum cum credebamus &c. Et 2. Corint. 6. Ecce nunc tempus acceptum, ecce nunc dies salutis.

Quod si uerum id est, beati sunt summi pontifices, Pharisæi, Annas, Pilatus, Herodes &c. qui Christum in carne uiderunt, contrà infœlices Patriarchę, Prophetę, et Reges etc. qui non uiderunt in carne?

Non ab oculorum exteriore uisu Christus æstimandam censet beatitudinem, aliâs omnes qui Christum uidissent, impij Iudæi atq; gentes beati prædicarentur, quod quis concederet? Christus ait tempora beata, quòd in ijs salutiferũ Euangelium prædicatum sit, & omnis Dei gratia, fœlicitas atq; salus oblata cunctis hominibus. Discipuli superuixerant, & inuenerant ipso præsente in opere, quod Patriachis atque Prophetis erat promissum uerbo atq; scriptura. Consimili modo poterit aliquis hæcce præsentia nostra tempora fœlicia prædicare, in quibus clarissima post longas tenebras emersit

emersit lux, nempe salutiferum Euangelion, quod ardentibus uotis, multisq; suspirijs maiores nostri desyderauerunt.

Nonne fuit antea quoque prædicatum Euangelion?

Denunciatum quidem fuit, sed humanis traditionibus adeo contaminatum, ut paucissimi homines efficaciam atque potentiam fidei, sacramentorumq; potuerint accipere. Ducebamur ad opera nostra propria, & ostendebantur nobis merita nostra, eademq; tradebantur nobis auxilio futura, atq; salutem collatura, sed ueluti manicis pelliceis erant suffulta. Nulli enim usui fuerunt in necessitatis tempore, corruentia non aliter atq; gramen aridum. Per bullas Papisticas nobis promittebatur cœlum, sed earum fraude longius ab illo recedebamus. Ad sanctos abripiebamur, atque ab ijs iubebamur patrocinium nobis parare atque salutem quærere, sed conscientiæ nostræ magis atq; magis inquietabantur uarijs erroribus circunseptæ. Omnia templa summa, cœnobia atque sacella plena missis erant, quibus Deum nobis reconciliare debebamus, sed alia nulla re magis ad iram prouocauimus. Monasticæ uitæ complures sese mancipabant, eo modo putantes se diaboli fraudes atq; manum effugituros, sed cuitata Charybdim Scyllam

tuiderunt. Religiosi matrimonia sancta repudiantes nolebant uxores ducere, iam facti scortatores, & adulteri suis criminibus manifestis toti mundo fiunt maximo offendiculo. Nunc autem uerè beata sunt tempora, uereq; aurea secula, in quibus Euangelium synceriter prædicatur, & per Christum nobis diuina gratia, & animarum nostrarum salus denunciatur. Deus omnipotens clementer nobis donet, ut tanta beneficia cognoscere, & Deo patri filioq; eius Christo gratias agere possimus.

Quid Legisperitus agebat?

Loquente cum discipulis Christo Legisperitus surrexit, tentans illum, & dicens: Magister quid faciendo uitam æternam possidebo? At ille dixit ad eum: In lege quid scriptum est? Quomodo legis? Ille respondens dixit: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex totis uiribus tuis, & ex tota mente tua, & proximum tuum sicut teipsum. Quamuis autem hic Legisperitus non discendi gratia quæreret Christum, sed solo tentandi studio fraudulenter obseruaturus an aliquid contra Mosen atque Prophetas loquturus esset, tamen nos summa diligentia laborare debemus, quærere atque discere, quid faciendo possideamus æternam uitam. Non enim habemus hic manentem ciuitatem, sed futuram inquirimus Hæbr. 13.

13. Sed illud ex alia nulla re melius discemus, quàm ex huius Legisperiti responso, quo dicit: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo &c.

Quid ea uerba significant?

Hæc dicit: Nulla tibi tam chara sit in mundo creatura, ut eam Deo præponas atque præferas. Omnes tuæ cogitationes, uerba, opera, opiniones, rationes, & omnia consilia locum dent, cedantq; Deo, huic soli dabis gloriam & honorem. Omnia quæ habes propter Deum in commune ponito, & summittito quæcunque possides corpore uel anima, carne uel spiritu, membris, neruis, robore, sanitate, sensibus, denique omnibus externis uel internis. Amor atque dilectio Dei, perfectum hominem diffundi debet, atque dispergi per totum corpus atque uitam, omnesq; sensus, ita ut omnia à capite usque ad pedes interna & externa subiecta deuotaq; sint Deo atque proximo, idq; sine omni molestia, rancore, nausea, et tædio. Non impudicè uideāt oculi, aures nihil impuri, uel obscœnè audiant, nihil turpè loquatur os, sint pedes mundi, manusq; puræ, & innocentes. In summa oportebit sanctæ cogitationis hominem esse, uerbis humanum atq; modestum, operibus irreprehensibilem, usu castum, auditu rectæ mentis, sermone uerecundum

& honestum & corde iustum. Et longè citius es mori millies, quã uel minimare Deum offendere.

Sed hoccine grauissimum, atque difficillimum impletu præceptum est?

Nemo gloriari poterit, aut iactare, quod impleuerit hoc ipsum præceptum. Quippe uix per totã nostram uitam addiscere poterimus eius doctrinã, nedum rebus exprimere, uel complere. Manet igitur præceptum, atque uerbum iræ diuinæ, cùm spiritui non suppeditet facere, quod præcipit. Certe nudis uerbis satiari non uult nec trãsigi, sed requirit uerbis respondentia atque satisfacientia corda, sensus, animos, uoluntatem, & cogitationes, ut consentiant atq; concordent inter sese uerba & opera, aliâs mera fuerit hypocrisis. Porrò lex spiritualis est, igitur efflagitat totum cor, atq; spiritum.

Cur igitur datum est?

Vt nostram ex eodem humanæ fragilitatis imbecillitatem & impotentiam addiscamus intelligere, & eo libentius, & ardentiore uoto diuinæ castum, auditu rectæ mentis, sermone uerecundum gratiæ prædicationem audiamus, atque suscipiamus. Nam si legem respexerimus, & in eadem uelut in speculo nos contemplati fuerimus, statim animaduertemus, nihil inchoasse nos perficere, imò non à limine salutasse, nedum compleuisse. Percussa igitur atq; deterrita conscientia monet, ac impellit, ut ad Dei genua procumbamus, atque ueniam petamus.

Quid huic legisperito Christus respondit?

Dixit illi: Rectè respondisti. Hoc fac, & uiues.

Sed in auribus legisperiti fuit istud nimis leue protritum q; responsum?

Verum id est, Legisperitus arbitrabatur propriæ suæ iusticiæ nomine, magnam sese gloriam à Christo consecuturum, sed grauiter impingit: Christus illi dicit: Fac hoc, quo uerbo demonstrat nihil prorsum ab illo factum, nec etiam boni quippiam incœptum esse, rubore igitur suffusus atque pudore stetit in omnium conspectu Legisperitus, qui cùm potuisset quærere, qua ratione, quomodo, cuius auxilio, uel adiutus præsidio posset illam legem implere, subticuit, ductus falsa persuasione completum à se præceptum. Cùm igitur nihil amplius interrogaret de hac re, quæ opus habebat explanatione prolixa, nec Christus aliquid respondebat,

uolens magaritam ante porcos proijcere.

Quid igitur faciebat Legis-peritus?

Rimam quæsiuit qua terguersator elaberetur. Volens autem seipsum iustificare, dixit ad Iesum: Quis est meus proximus?

Quid respondebat Christus?

Accommodam & elegantem illi ponebat ante oculos parabolam, inquiens: Homo quidam descendebat ab Hierosolymis in Hiericho, & incidit in latrones, qui etiam dispoliauerunt eum uestibus, ac uulneribus inflictis, abierunt semimortuo relicto.

Quibus uerbis Christus ostendit, atque conuincit hunc legisperitum omni cum sua societate proceribusq; Iudæorum utpote summis Pontificibus, Pharisæis atque Scribis apicem diuinæ legis nullum impleuisse, nullum q; charitatis, aut misericordiæ opus exercuisse, imò nondum incœpisse, nedum compleuisse, & eum, qui totius niundi iudicio sanctus reputatus erat, eiusq; sanctimoniam iureiurando testati fuissent omnes Iudæi, sed eiusmodi iudicij censura plurimum fefellit à ueritate alienissima. Idem nobis contigerit apud quos uel in mundano uel Ecclesiastico statu non ad effectum, nec ad ipsa opera deducei potest illud Christi dictum: *Fac hoc, & uiues.* Itẽ tu fac similiter.

Cur

Cur ad legis opera Iurisperitum hunc relegauit Christus, cùm tamen S. Paulus dicat: Non iustificari hominem ex operibus legis?

Duas ad salutem uias nobis Deus proposuit alteram legis, alteram Euangelij. Lex quidem est sancta, & ut S. Paulus ait ad Romanos. 7. præceptum sanctum, ac iustum & bonum, quod imperat rem sanctam atque iustam. Sed nemo unquam inuentus homo, qui perfectè legem impleuerit, nemo igitur per illam iustificatus fuit. Altera uia est, in quam ducitur is, qui credit in Iesum Christum qui iustificat, beatosq; facit, Ioannis. 1. Dedit eis ut liceret filios Dei fieri, uidelicet his, qui credidissent in nomen ipsius &c. Christus autem in hoc Euangelio Legisperitum remittit ad legem, non quòd per eam iustificari possit, sed ut habeat ueluti speculum, in quo suam imbecillitatem & impossibilitatem contempletur, & occasio præbeatur, ad Christi genua procumbendi, & orandi ueniã. Ipse Christus enim nostra est iustificatio, redemptio, beatitudo, uia, ueritas, uita, gradus, scala, porta, per quam ad patrẽ cœlestem peruenitur.

Quisnam illi, qui incidit in latrones, proximus fuit?

Is qui misericordiam exercuit. Et proximus est

non modo qui benefacit, sed etiam qui aliorum opus habet beneficijs alieno fulciendus auxilio, siue sit hostis ille, uel amicus. Omnes enim inter nos proximi sumus. Sed quid accidit? Merito sacerdotes atque leuitæ curam huius Iudæi uulnerati suscipere debuerant, uel officiorum ratione, uel sanguinis coniunctione permoti, quid autem faciunt? Descendentes eadem uia, uisoq; illo præterierunt. At qui Samarita, quem Iudæi odio prosequuntur, misericordia motus accessit, obligauit uulnera eius, & imposuit illum in iumentum suum, duxit in diuersorium, & curam eius egit &c. Quod exemplum Christus iussit Iurisperitum imitari, dicens: Vade, & tu fac similiter, hoc est, non solum amicis tuis, atque ijs, qui de te benemeriti sunt, benefacito, sed etiam inimicis tuis, atque ijs, qui tibi male faciunt.

Quid mystici docet hæc parabola?

Ostendit quomodo mortales incidant in peccata. Hinc quanta profluant à peccatis damna, postmodum quomodo poterit à delictorum uinculis liberari, & in quinamentis expiari. Nos omnes per baptismi Sacramentum ciues facti sumus Hierosolymæ cœlestis, in arbum Dei fidemque recepti, in castra Iesu CHRISTI transgressi, ut fideles stipendiarij sub illius signis fortiter pugnemus con

contra Sathanam, mundum atq; carnem. Et opima stipendia præmiaq; nobis proposita, nempe remissio peccatorum, & æterna uita, si modò fortes in prælio fuerimus reperti. Sed postquam descendimus ab Hierosolymis, & nostra statione relicta, posthabito diuino consortio, statuq; Christiano, deflexerimus ad impiam ciuitatem Hiericho, reuersi ueluti sus lota ad cœnum uolutabrum, ad turpes uoluptates, mundi pompam, libidines: & contempto Dei Verbo, comprehenderimus Sathanæ mendacia, & uenenata hominum figmenta, incidimus in latrones atq; Sathanæ potestatem. Qui crudeliter infestans, nos despoliat, omnemq; diuinam gratiam eripit, fauciat etiam atq; uulnera in omnibus naturalibus, corporalibus, atq; spiritualibus nostris uiribus atq; donis, ita, ut fide debiles, charitate frigidi, spe fluctuãtes, & sensibus errantes euadamus, ut obscurentur oculi nostri, et contenebrescant ad uidendum Dei opera atq; miracula, aures obsurdescant ad Dei Verbum, atq; pauperum clamores audiendos, ut os obmutescat ad prædicandam Dei gloriam, atq; ueritatem confitendam, ut manus deniq; pedesq; claudi fiant, ad ægrotos uisitandos, ita, ut omnibus corporis atq; animi bonis sublatis, semimortui relinquamur. Prætereuntes autem Sacerdotes atq; Leuitæ, hoc est, lex, iudaismus, & Papistæ, omnesq; circa opera uersantes, relinquũt

nos, eorum periremus in æternum: sed optimus Samarita Iesus Christus, Dei filius, probrosorũ princeps habitus, uisis nobis misericordia mouetur, accedit, obligat uulnera nostra, & infundit oleum et uinũ, hoc est, nobis prædicari facit legem & Euangeliũ. Lege terret cõscientiarũ uulnera, pungitq; Euangelio medetur, sanat, cõsolaturq;. Deinde nos in suum iumentum ponit, ac ducit in diuersorium, hoc est, humeris suis impositos trãsfert in sanctam Ecclesiam, atq; commendat nos Verbi ministris, admonetq;, ut nostri curam agant, & pascant æterno cibo tantisper, nos dum ab omnibus peccatis, tribulationibus atq; malis erepti, tandem cum omnibus electis à Christo domino nostro transportemur in diuersorium cœleste, hoc est uitã æternam. Amen.

DOMINICA DECIMA-quarta post Trinit. Euang. Luc. XVII.

ET factum est, dum iret Hierosolymam, et ipse transiuit per mediam Samariam & Galilæam: Et cùm ingrederetur quẽdam uicum, occurrerunt ei decem uiri leprosi, qui steterunt procul, intentaq; uoce, dixerunt: Iesu præceptor

ptor miserere nostri: Quos ut uidit, dixit illis: Ite ostendite uos sacerdotibus. Et factum est, ut irent cundum mundati sint. Vnus autẽ ex illis, ut uidit quòd mundatus esset, regressus est cum uoce magna glorificans Deum, & procidit in faciẽ ad pedes eius, gratias agens ei, & hic erat Samaritanus. Respõdens autem Iesus, dixit: Nonne decem mundati sunt? Nouem autẽ illi ubi? Nõ sunt reperti qui redierint, ut darent gloriam Deo, nisi hic alienigena. Et ait illi: Surge, uade, fides tua te seruauit.

Quid præsens indicat Euangelion?

Duo præcipuè tradit. 1. Cur Christus in mundum uenerit, nempe ut à peccatis nos mundos redderet, atq; purificaret, restitueret item in pristinã dignitatem, recuperatos cõcines sanctorũ, atq; Dei domesticos. Quemadmodũ aũt hi leprosi decẽ, propter lepræ contagionẽ ab hominũ consortio repel-

le,

lebantur, ita nos propter uenenatã peccati labẽ à regno Dei secluſi atq; reiecti ſumus, qui ſi peccatis liberati, & ad regnum cœleſte, ueluti poſtliminio redire uoluerimus, opus habebimus auxilio ſolius Chriſti, qui nos quemadmodũ hoſce decẽ leproſos mundauit, poterit à criminib. purificatos iuſtificare: ſed noſtrum erit cum leproſis illum ſaluatorẽ accedere, et, ſi modò uoluerimus ſanitati reſtitui, clamare: Ieſu præceptor miſerere noſtri.

2. Demonſtrat, non ſufficere ad iuſtificationem, bonum in fide principium deſumpſiſſe, ſed conſtanter in fide perſeuerare, & gratum animum oſtendere erga miſericordem Deum, cùm ingratitudo uitiorum omnium ſit crimen deterrimum.

Cur per Samariam Chriſtus tranſibat, cùm hoc ipſum facere diſcipulos prohibuerat?

Chriſtus, Matth. 10. uetuerat, inquiens: In uiam Gentium ne abieritis, & in ciuitatem Samaritanorum ne ingrediamini, ſed ite potius ad oues perditas domus Iſraël, &c. Noluit tamen Gentes atq; Samaritanos ab Euangelica tandem gratia repellere, ſed auxiliatricem populis omnibus manũ porrigere. Hinc eſt, quòd Chriſtus ſaluator in finibus Tyri atq; Sydonis fuerit ſæpenumero conſpectus, ad iuuandum omnes promptus, uolens orbe toto Gentes cunctas ſaluari.

Quid

Quid euenit in Samaria?

Cùm ingrederetur quendam uicũ, occurrerunt ei decem uiri leproſi.

Quid eſt lepra?

Lepra morbus eſt contagioſus, qui nõ modo corpus inficit, ſed etiam conſcientiam grauat, & conturbat animam, quamuis enim homini bono poſſit accidere, tamen ſi proprietatem atq; naturam ipſius lepræ conſyderauerimus, inueniemus eſſe pœnã peccatorum atq; certum iræ diuinæ ſignum, adeò, ut cogatur homo leproſus ita ſecum cogitare: Me miſerum, qui ut detruſus ſum à commertijs hominum, ita reputor à cœlitum conſortio deuolutus, quod criminibus meis demerui, iuxta illud Moyſis Deut. 28. Quòd ſi audire nolueris uocẽ domini Dei tui, ut cuſtodias & facias omnia mandata eius, percutiet te Dominus ſcabie, prurigine, & ulcere peſſimo in genibus & in ſuris, ſanariq́ue non poſſis, à planta pedis uſq; ad uerticem tuum.

Qua ratione confirmabis lepram eſſe peccatorum pœnam, & iræ diuinę ſignum?

Quod atteſtantia non pauca ſunt in ſcripturis exempla. Soror Moſi Maria apparuit candens lepra quaſi nix, eò quòd contra Moſen locuta fuerat, Numeri 12. Ioab occidit inſontẽ uirũ Abner, quare homicida à Domino lepra percuſſus 2. Regum, 4. Famulus Helyſei Giezi, accepit munera à

Naa-

Naaman. Ergo ait Heliseus. 4. Reg. 5. Accepisti argentum, accepisti uestes, ut emas olueta, uineas, oues, boues, seruos, ancillas, sed et lepra Naaman adhærebit tibi, & semini tuo usq; in sempiternum. Et quoniam Ozias adolebat incensum Domino, & sacerdotali (quod non erat officij sui) munere fungeretur, orta statim fuit lepra in fronte eius, 2. Paralip. 26. Quapropter & hij leprosi decem, procul dubio cogitarunt, se non simpliciter à Deo propter peccata leprosos factos, & ab hominum communione segregatos, sed etiam à concilium cœlestium societate reiectos, quod animos eorum maximo dolore perfudit, atq; coniecit in necessitatem ad Christum accurrendi.

Quid leprosi faciebant?

Steterunt procul, intentaq; uoce dixerunt: Iesu præceptor miserere nostri. Certò crediderunt futurũ auxilio Christum, atq; lepram curaturum.

Quanam ex re cognoscitur illorum fides?

Ex eorum factis deprehenditur. Christo occurrunt, procul steterunt, atq; clamauerunt. Nam ubi uera fides est, ibi curritur ad Christum, statur atq; clamatur, quæ omnia signa fidei non exiguæ. Etenim, si de beneuolentia atq; diuina Christi potẽtia leprosi dubitassent, nõ occurrissent Christo, nec stetissent, neq; clamassent: Iesu præceptor, &c.

Vnde

Vnde fidem talem cõsecuti fuerũt?

Ex auditu, quo acceperunt Iesum Nazarenum tanta bonitate atq; clementia uirum conspicuum esse, ut omnes ad se confugientes gratiæ atq; misericordiæ suæ dona conferret ubertim, ac neminem diuinæ consolationis dimitteret expertem. Cuius eulogio famæ, solidam fiduciã apprehẽdẽre, secum uolutantes: Quòd si tanta diuinæ benignitatis in illo uirtus redundat, cur nõ accedamus cum fiducia potius, quàm lepra consumpti pereamus. Confirmati igitur non imani fide, ad iter se accingebant, & casu occurrebant Christo ingredienti quendam uicum, illum uidentes præ nimio gaudio (iuxta ueræ fidei naturam) quieti stabant. Q. d. Ille ipse est qui nos sanare potest atq; etiam uult, non est necesse, ut ultra progrediamur, nostros morbos ostendamus, & animi uulnera detegamus illi medico, qui nos à malis liberatos refrigerabit, nec consolatione uacuos à se dimissurus est afflictos.

Quonam signo uel arrhabone redditi certiores erant de indubitata Christi beneuolẽtia?

Sola in Christi non expertam bonitatem fiducia peperit illis maximam alacritatem & audaciam, qua animosi facti, nõ secretò rogant, sed intenta uoce clamant, quod etiam uehementem eorum ardorem, magnumq; quo detenti fuerunt, desyderiũ de

cla

clarat. Et licet rauilaborarint, nec altam uocem præpediti natura lepræ nō potuerint expromere, tamen tantus fuit animorum ardor, atq; uocis feruor, ut externo corporis motu conatuq;, magnitudinem fidei demonstrauerint.

Quomodo clamabant?

Iesu præceptor miserere nostri. Breuis quidem fuit hæc precatio, sed admodum efficax atq; potens.

Quis eos ita docuit orare?

Proculdubio spiritus sanctus, quem erant perfidem consecuti, & uerbis ijsdem confessi sunt Christum uerum Deum & hominem, unicumq; præceptorem esse, cuius eiusmodi doctrina sit, quam omnes ex æquo homines audire, meritoq; suscipere debeant. Eius igitur sola bonitate confisi, petunt gratiam, misericordiam, atq; salutem, contestati se nihil prorsum impetraturos uel accepturos propter iusticiam propriam, operaq;, & merita, sed assecuturos omnia, solius gratia Christi.

Quid ex horum leprosorum historia discemus?

Quemadmodum leprosi omnia sibi de Christo bona pollicebantur, nec dubitabant de eius clementia, subsidioq;, sed maximam de eiusdem misericordia spem concipiebant, nihil ambigentes, quin uoti compotes futuri essent, quemadmodum etiam iuxta fidem contigit à lepra mundatis. Ita nos illorum exem-

exemplum imitati, debemus in omnibus tribulationibus atq; angustijs nostris ad Christum confugere, nihil dubitando, quin & nos gratia sua perfusurus, atque nobis in afflictionibus omnibus manum suam misericorditer porrecturus.

Quid ad leprosorum clamores Christus?

Quos ut uidit, dixit illis: Ite ostendite uos sacerdotib. Quibus uerbis Christus opera charitatis in triplex genus hominum effudit, in sacerdotes, in nouem Iudæos, & in unicum Samaritam.

Quomodo Christus erga sacerdotes charitatis opus ostendit?

Leprosos remisit ad sacerdotes, ut offerrēt munera, quæ fuerunt in lege præcepta. Iura atq; priuilegia illorum integra & inuiolata conseruat, licet ingrati fuerint, & mala persuasione ductos nouem Iudæos ab Euāgelio retraxerint. Voluit item hoc miraculo Christus diuini Verbi potentiam manifestari sacerdotibus, ne possent in extremo iudicio caussam aliquā prætendere, & in excusationē adducere, Christum in Iudæa nō fuisse notū factū.

Quomodo nouem erga Iudæos?

Quoniam eos lepra mundauit, nec mouebatur ingratitudine, qua turpiter à fide defecerunt.

Quomodo charitatem exhibuit Samaritano?

Quia miserabatur eius, atq; letaliter uulneratũ curabat, nihil deterritus, q; ille Samaritanus esset, et alienigena, non de Israëlis ouili, sed Iudæis annumeratum, gratia diuina dignum iudicabat.

Quid dixit ad leprosos?

Ite, ostendite uos sacerdotibus. Q. d. Non est necesse uos amplius petere, fides uestra uobis impetrauit carnis mundiciem, sanati estis, unum hoc superest, ut Sacerdotibus uos ostendatis, quemadmodum creditis, ita uobis fiet.

Quid leprosi?

Crediderunt Christi uerba non uulgaria, nec supernacanea esse, sed omnino potentia certissimamq; secum afferentia sanitatem, qualis igitur eorum fides erat, taliter etiam accidit. Factum est autem, ut iuxta eundum mundati sint.

Habemus ne similem in sacris literis historiam?

Maximè: Legimus enim 4. Reg. 5. Naaman principem militiæ regis Syriæ fortẽ et diuitẽ, sed leprosum, uenisse ad Helisæum cum equis & currib. ut à contagioso morbo curaretur, Helisæũ aũt ad illum misisse nunciũ, & dicentem: Vade, & lauare septies in Iordane, & recipiet sanitatem caro tua, atq; mundaberis. Iratum hinc receßisse Naaman, atq; dixisse: Putabã q, egrederetur ad me, & stans, inuocaret nomen domini Dei sui, & tãgeret manu sua locum

lepræ, & curaret me. Nunquid meliores sunt Amana et Pharphar fluuij Damasci omnibus aquis Israël, ut lauer in eis, & munder? Indignanteṁ igitur et auertentem sese ut abiret, accessisse ad eum seruos, & locutos ei: Pater, si rem grandem dixisset tibi Propheta, certè facere debuerat, quanto magis, quia nunc dixit tibi: Lauare, & mundaberis. Quorum oratione persuasum descendisse, & septies in Iordane lauisse, & mundatum fuisse, restituto tamq; carnem eius sicut carnem pueri paruuli.

Quid ex hac leprosorum historia discemus?

Quòd si Christum, quemadmodum hi leprosi fecerunt, uera fide quæsiuerimus, & implorauerimus, tum similem nobis beneuolentiam exhibiturus erit Christus, & nos diuinæ misericordiæ respecturus oculis. Et quis in afflictionibus suis non ad illum confugerit, opemq; poposcerit, qui tam facilis atq; prõptus ad iuuandum omnes homines?

Omnes ne simul gratias agunt pro beneficijs acceptis?

S. Lucas ita scribit: Vnus ex illis ut uidit quòd mundatus esset, regressus est, cum uoce magna glorificans Deum, & procidit in faciem ad pedes eius, gratias agens ei, & hic erat Samaritanus.

Cur unicus Samaritanus fuit reuersus, nouẽ aũt Iudæi defciuerũt?

Quomodo uenerint ad Sacerdotes, & apud eos quid actum sit, non exprimit Euangelista, sed ex reditu Samaritani facile poterimus colligere, quid acciderit. Proculdubio non libenter alijs post se relictis, fuit reuersus solus, qui, ut ex gratiarũ actione apparet, diligẽter institisse uidetur, et ursisse, ut se cum reuersi, gratias agerent Deo, sed in cassum laborauisse.

Quænam igitur potuit fuisse causa, quapropter nouem Iudæi tam turpiter à Christo desciuerint?

Impij Sacerdotes Christo gloriam inuidentes, proculdubio nouem Iudæos ab Euangelio retraxerunt, & solicitarunt ad defectionem, sic arguendo: Sacerdotibus Dei ministris adhærere debetis, non seductori Christo, nec credere, quòd is uos mundauerit, sed potius obedientia uestra, & Sacerdotũ diligens apud Deum intercessio, atq; facta Deo sacrificia. Nulla creatura nec homo, cuiusmodi Christum uidetis esse, potest lepram curare, sed Deus solus. Facile autem persuasi defecerunt isti Iudæi, fastuoso animorum spiritu intumescentes: credibile est igitur eos affirmasse, sese tanta beneficia consecutos proprijs meritis ac operib. legis, hinc est quòd emanserint, nec gratias egerunt Deo. Prætera credibile est, eos cum Samaritano meram disputationis

nis pugnam iniisse, & iam rogasse, nunc admonuisse, præcauisse item, ne Christo, sed potius fidem adhiberet Sacerdotibus, ne Dei legem contemneret, &c. Id enim si facere pergeret, accusaturos eum, & in crucem acturos etiam ut hæreticum, diuinæq; legis inimicum, & morte dignum hostem. Sed uarijs tentationib. oppugnatus Samaritanus, quia sentit in corde suo diuinũ auxiliũ, & hoc ipsum quia confitetur, ut impius homo traducitur, & ueluti blasphemus in uitæ discrimen conijcitur, & uerisimile est eos, cùm fuerit Samarita, homo prorsum à Iudæis contemptus, sic tandem cogitasse: Missum faciamus perditum Samaritam, hominem impium, insanum atq; furiosum, qui nulla Dei uel hominum gratia dignus, quem, si uelit ipsa salus non posset seruare. A nouem igitur illis proiectus, redijt solus glorificans Deum, atque gratias agens Christo.

Quid respondit Christus?

Respondens Iesus dixit: Nonne decem mundati sunt, nouem autem illi ubi? Non sunt reperti qui redierint, ut darent gloriam Deo, nisi hic alienigena? Hoc crudele fuit ingratitudinis exemplum, quo tantùm unus è decem reuersus, Deo gratias egit, & is qui fuit omnium contemptissimus, nempe Samaritanus. Illi autem qui sibi uisi magni sancti Iudæi, non redierunt, quibus fuisset multo satius, nunt

quam ad Christum accessisse, longeq; melius lepram perpetuam corpore pertulisse, q̃ animæ lepram accepisse, qua nunquam poterant liberari. Quamuis autem in nouissimo die rogati, cur non redierint, adducturi sint in excusationem Sacerdotes, tamen nihil assecuturi sunt præter infernales cruciatus.

Quid Samaritano Christus?

Ait illi Christus: Surge, uade, fides tua te seruauit.

Quid ex hoc Euangelio discemus?

Præcipiò: Externum humanæ uitæ splendorẽ nihil omnino facere ad iustificationẽ aut animæ salutẽ, nam claris hic uerbis ait Euangelista: Vnus ex illis erat Samaritanus, hoc est alienigena, separatus à populo Dei, non circumcisus, qui licet iuxta diuinæ legis normam non uiueret, nec sabbata sanctificaret, neq; secundum Iudæorum consuetudinem oraret in templo, tamen promeruit eam laudem, qua solus Deo gratias egisse prædicatur, à Christo iustificatus, cùm reiecti fuerint atq; condemnati nouem Iudæi ingrati, ut indigni regno cœlorum, licet habiti ualde sancti fuerint à populo. Et hoc præsens exemplum est terribile nimis, quo uidemus, q̃ facile gratia diuina poterimus excidere, quos nihil iuuerit externus splendor, & irradians operum fulgor, cùm etiam Sathanas se possit in angelum lucis transformare. Discemus item, quomodo recte uereq; Deum laudare debeamus atque glorificare. Et

quibus in rebus Dei consistat honor, nempe ut Deo credamus atq; confidamus, cumq; oremus ac implorem us. Postremò, gratias agamus pro beneficijs in nos cœlitus collatis.

Deinde, uerissimũ illud esse discemus, quod Christus ait: Multi uocati, pauci uerò electi. Tempore diluuij tantùm homines octo liberabantur. In excidio & interitu Zodomitico, quatuor tantùm. De sex milibus Iudæorum, duo tantùm peruenerunt in promissionis terram. In populosa ciuitate Hiericho, ubi tot milia hominum fuerunt, sola meretrix saluabatur Raab, et in hoc Euangelio tantùm unus è decem reuersus egit gratias Christo, & hodierno die sunt homines innumeri, qui proprijs meritis & operibus, quasi uiolenter adnituntur ad cœlos peruenire, sed non solum paruo crucis aliquo, uel tentationis offensaculo, sed exiguæ etiam commoditatis atq; lucri spe uel inuidiæ, uel odij stimulis exagitati ueritatem calumniantur atque persequuntur, idq; contra propriam cõscientiam. Quibus fuisset satius non cognouisse uiam iustitiæ, quàm ubi cognouerũt cõuerti ab eo, quod illis traditũ fuit sancto præcepto. Verũ accidit illis id, quod prouerb. dici solet: Canis reuersus ad suum ipsius uomitũ, et sus lota ad uolutabrũ cœni, ut ait S. Petrus 2. Pet. 2. Quapropter impia nouẽ istorũ Iudæorũ ingratitudo nos deterreat ab ingratitudine, & Samari-

tani gratiarũ actio stimulet ac inflammet, ad præclarã gratitudinis uirtutem. Et quoniã Dei regnũ Iudæis ereptum, in nos Ethnicos diuina gratia trãslatum est, id maximum beneficium agnoscere debemus, & animæ lepra, hoc est, peccatis inquinati, filiq; doctrina corrupti, ad Christum cõfugere, eumq; in auxilium uocare. Consecuti autem optata, pro beneficijs acceptis Deo gratias agere, ut grati reperti, possimus à Deo conseruari fide constantes, & introduci cum omnibus fidelibus & electis in uitam æternam. Amen.

DOMINICA DECIMA QVINTA post Trinitatis, Euang. Matthæi VI.

NEmo potest duobus dominis seruire. Aut enim hunc habebit odio, & alterum diliget, aut huic adhærebit, et alterũ negliget. Non potestis Deo seruire & mãmonæ. Propterea dico uobis, ne sitis soliciti uitæ uestræ, quid esuri sitis, aut bibituri: neq; corpori uestro, quibus indumentis usuri. Nonne anima pluris est quàm ci-

bus, & corpus pluris quam indumentum? uertite oculos ad uolatilia cœli, quia non serunt, neq; metunt, neque conuehunt in horrea, & pater uester cœlestis alit illa. Nõne nos præcellitis illa? Quis autem ex uobis sollicite cogitando, potest addere ad staturam suam cubitum unum? Ac de indumento quid solliciti estis? Cognoscite lilia agri quomodo crescant: Non laborant, neque nẽnt. Attamen dico uobis, Ne Salomonem quidem in uniuersa gloria sua sic amictum fuisse, ut unum ex his. Quòd si gramen agri, quod hodie cùm sit, cras in clibanum mittitur, Deus sic uestit: an non multo magis uobis id faciet, ò parum fidentes? Ne sitis igitur

solliciti, dicentes: Quid edemus aut quid bibemus, aut quibus operiemur. Nam omnia ista gentes exquirunt. Nouit enim Pater uester cœlestis, quòd opus habeatis his omnibus: Quin potius quærite primùm regnum Dei, & iusticiam eius & hæc omnia adiicientur uobis.

Quænam in hoc Euangelio nobis proponuntur?

Hæc tria præcipuè tradit. 1. Neminem posse duobus simul Dominis inseruire. 2. Nõ debere nos esse solicitos de uictu & amictu. 3. Ante omnia quærendum esse Dei regnum.

Quid Christus uocat seruire duobus Dominis?

Eos Dominos intelligit, quibus diuersa sunt, & contraria dogmata atq; mandata. Quod autem Deo seruis atq; magistratui, parentibus, liberis, amicis, & cæt. hoc bono iure facere potes, atque idem ut agas, requirit Deus. Quoniam nullis honestati contrarijs studijs distrahuntur. Ea ratione Ioseph

seph Deo seruiuit, & Regi Pharaoni. Sic item Daniel Regi Babyloniæ. Atqui multum dissident Deus atq; Mammona: Habent enim diuersa, contraria atq; præcepta, nec non opera dissimilia. Etenim Deus uult, ut suppetias pauperi feras, Mammona repugnat. Deus uult parandum in cœlis thesaurum, quo fur non accedit, neq; tinea corrumpit: Sed mammona uult in terris opes corradẽdas esse. Deus uult ut sibi fidamus, mammona uult diuitijs. Deus conscientijs pacem atq; gaudia confert, mammona curas, inquietem atq; dolores. Deus hominẽ ducit ad salutis portum, mammona trahit in Sathanæ laqueos. Hisce duobus Dominis nemo simul potest salua conscientia seruire, quamuis id se facere posse mundus opinetur, sed hoc ipsum est, quod aiunt, ex eodem ore calidum, & frigidum efflare, & duabus sedere sellis. Sed Iudæi putabant se uitæ finis, sacrificijs, holocaustis atq; cæremonijs suis conciliaturos sibi placaturosq; Deum, etiamsi odio inuidiaq; pleni essent, & insignes auaricia, alijsq; multis peccatis obnoxij, sed Christus in hoc Euãg. lõgè docet aliter, cui pius seruus obtẽperat & uno contentus honesto ministerio fideliẽ operã nauat bono Domino, malũ alterũ faciendo missum.

Quid igitur ait Christus?

Nemo, inqt, potest duobus dominis seruire. Aut enim hunc habebit odio, & alterum illum diliget, aut

ut huic adhærebit, & alterum illum negliget.

Quid significat Deo seruire?

Nihil aliud quàm Deo fidere, verbo Dei credere, eiſirmiter adhærere, totum uitæ curſum ad eiuſdem regulam dirigere, pro eodem denique omnia relinquere, & in medium ponere, quemadmodum Moyſes ait: Deut. 6. Dominum Deum tuum timebis, adorabis, & illi ſoli ſeruies.

Ergo ſi Deo ſoli, non proximo ſeruire debemus?

Non excluditur officium, quod proximo debemus præſtare, ut magiſtratui, parentibus, liberis, amicis, &c. quod pendet ex ordinatione diuina, procediq;. Sed hoc unum diligenter cauendũ erit, ne creaturam aliquam Deo præferas, aut in eius locum poſitam colas, totisq; uiribus animi feruenter amplexeris, quemadmodum auari ſuam iniquitatis mammonam, & hypocritæ merita ſua, atque opera.

Quid significat mammona?

Dicuntur diuitiæ, argẽti magnus aceruus, aut maximus frumenti numerus &c. quæ præcipuè quis poſsidet, ingentisq; loco theſauriſe poſiti conſeruat ultra neceſsitatem quotidianam, de quibus homo, ſine aliqua rei ſuæ iactura poterit adiuuare proximum.

Quid significat Mammonæ seruire?

Eſt totum cor ad diuitias apponere, opes ueluti numen admirari, atque colere dies noctes cogitare, & operam dare.

Diuitiæ ut creſcant, ut opes, ut maxima toto
Noſtra ſit arca foro.

Siue iure fiat id, ſiue iniuria, proximi cõmodo uel incommodo, hanccine mammonæ ſeruitutem Chriſtus damnat.

Non possumus Deo atq; mammonæ simul seruire?

Verus Dei cultus, alium quo loco Dei creaturæ colitur ferre non poteſt. Totos prorſum nos Deus uult, aut totos non uult. Et diuitiarum nos aut Domini ſumus, aut ſerui. Hinc Horatius ait:

Imperat aut ſeruit collecta pecunia cuiq:
Tortum digna ſequi potius quàm ducere funem.

Dominos eſſe præſtat, non Lari, quod aiunt, ſacrificare, ſed cum gratiarum actione frui, & de facultatibus impertiri pauperibus.

Possumus ne salua conscientia pecunias, diuitiasq; possidere?

Poſsidere & seruire diuerſa ſunt. Habere etiam uel poſsidere non eſt peccatum. Hinc multi homines ſancti diuitias habuerunt, ſed cor non apposuerunt, nec ſeruierunt illis, ut Abraham, Iſaac, Iacob,

Iacob, Ioseph, Dauid, Iob, etc. Porrò graue peccatũ habetur seruire diuitijs, hoc est, illarũ amore sic occæcari, ut nos proximi capiat obliuio. Christus igitur nõ dãnat opes aut fortunæ bona, sed auariciã atque turpissimum illarum abusum. Videmus enim Cumini (quos uocant) sectores nemini subuenire, non manum porrigere, nihil auxiliari, non mutuo dare, uel etiam uendere solitos, nisi certa spes lucri, commoditatisq; propriæ refulserit. Nõ igitur Christus uult diuitias à nobis non esse possidẽdas, aut si possessæ fuerint, proijciendas more quorundam, qui stulte profuderunt, ac etiam abiectas in mare perdiderunt. Aequiore animo Christus fert, esse diuitem, sed diuitijs omnino deditum esse, non potest tolerare.

Qualis nam Deus habetur mammona?

Turpissimus Deus, furum Princeps, qui furatur quod homini pretiosissimum est, nempe cor. Nulla enim res est in mundo, quæ potentius moueat, pelliciat, & ad se ualidius attrahat, quàm diuitiæ. Quippe cum fluuorum nummorum, uasorum item aureorum uel argenteorum splendor, et aceruus thesauri coruscãs arriserit diuiti, rerum diuinarum & pietatis omnis obliuionem adducere solet. Hinc non sine causa scriptores ethnici diuitias Plutum appellauerũt, & ab opibus Plutonem, hoc est,

est, Sathanam mundi dominũ, & Christus mammonam iniquitatis. Et S. Paulus Idolatriam.

Quomodo igitur quis rectè, pieq; diuitijs uti poterit?

Si non diuitiarum seruus, sed dominus fuerit, ipsq; non tanquam sacris pepercerit, sed audacter attigerit, & largè distribuerit in pauperes parentes, liberos, amicos, uicinos, uiduas atq; pupillos, si uiderit esurientem, sitientem, nudum hominem, cibum ei potumq; dederit & uestiuerit. Nullus igitur auri uel argenti tam charus tibi sit aceruus, quem non propter Christum libenter uelis perdere. Nec quod ita fuerit impensum, credas perditũ, sed te recuperaturum centuplum. Cuius rei multa sunt scripturæ testimonia, atq; consolationes.

Cur igitur ad prædictum modum diuitijs nõ utuntur homines?

Quoniam mundi princeps Sathanas ea bona operа prohibet, ac quacũq; ratione potest impedit. Vnde fit, ut si habuerit aliquis aureos eeneum, statim diabolicis infidijs captus gestiat, & concupiscat habere mille. Eodem instinctu uolunt omnes homines negociari, & quæstum exercere, uictumq; sine magno labore quærere. Nemo contentus uiuit sua sorte, uocatione, officio, atq; statu. Antea mortales in superstitionis uanæ conseruationem opes magnas profudimus, iam ualde grauamur

mur uel unicum pauperi nummũ elargiri. Nõ profecto uulgaris animi, uirtutisq; cor est, quod mammonæ dominari potest, & in terris relinquere thesauros omnes, ut æternos in cœlo possit obtinere.

Quid de curis huius seculi atq; solicitudine Christus dixit?

Dico uobis, inquit, ne sitis soliciti uitæ uestræ, quid esuri sitis aut bibituri, neque corpori uestro, quibus indumentis usuri.

Cur eorum admonuit?

Nouit ijs, qui piè uoluerint in Christo uiuere, Sathanam infestissimum hostem fore, qui uarijs illos tentationibus oppugnaturus esset, iam in calamitatem, omniumq; rerum inopiam coniecturus, iam subtracturus cibum, potum, uestimentum, omnemq; denique spem humanam. Contra quæ caro & sanguis cogitant, atq; dies noctesq; conniuntur ea parare, quorum præsidio suffultus possit omnem effugere miseriam, atque pericula. Hinc suboritur acerrima tentatio, quam uentris curam appellamus, hinc nascitur uehementissima rerum necessariarum procuratio, atque solicitudo, licet ab hominib. nõ tẽtationes istæ iudicẽtur, sed gloria dignæ uirtutes, quarũ industria comparãtur opes.

Quid significat curare, atq; sollicitum esse?

Nihil aliud, quã in hac uita cogitare, & enixè laborare, ut diteſcamus, ut augeatur pecunia, thesaurusq; creſcat, & bonis item inhiare semper, & mundanas ita, quasi perpetuo simus in hac terra mansuri, diuitias corradere, interimq; Dei, & pietatis omnis obliuiſci. Quæ cura digna suppliciorepũtatur.

Nihil igitur omnino soliciti debemus esse?

Solicitudo uel cura duplex est. Altera uentris, altera officij. Hanc Christus nõ prohibet, ut si Magistratus curam gesserit pro subditis, Parochus pro suo populo, pater pro liberis. Hæc necessaria est cura, ergo D. Paulus ait, Rom. 12. Qui præest, in diligentia præsit. Eiusmodi cura est uerè Christiana, quoniam propriam utilitatem non quærit, sed aliorum. Sed curam uentris, quæ uigilantem officij diligẽtiam impedit, prohibet Christus. Ea est, quæ propemodum sibi totum subiecit orbem, & occupat uiolenter.

Quibus argumentis utitur Christus ad confirmandam suam exhortationem?

Sententiarum à maiori ad minus deductarum, & exemplorum argumentis.

Quibus sententijs?

Nonne, inquit, anima pluris est, quàm cibus, & corpus pluris quàm indumentum. Quasi dicat: ee

Quòd si potestis, ac debetis etiam Deo uitam, & animam uestram credere, nec est in manu uestra uel ad unius horæ momentum eadem conseruare, cur (malũ) illi non confiditis daturo uobis reliquæ corporis et animæ necessaria. Qui quod magnũ est dedit, is etiã (uel dubio quod minus est) elargietur.

Quænam exempla sunt, quibus fuit Christus usus?

Alterum ductum est ab auibus, alterum à liliis.

Quid dicit de auibus?

Sic ait: Vertite oculos ad uolatilia cœli, quia non serunt, nec metũt, neq; conuehunt horrea, & pater uester cœlestis alit illa. Nõne uos longè præcellitis illa? Quis autẽ ex uobis solicitè cogitando potest addere ad staturã suam cubitum unũ: quasi dicat: Quòd si quis curare deberet, id iure bonos facere possent aues, atque dicere: iam omnes metunt, & in horrea colligunt, nobis autem non est uel unicum granum, quod metamus uel seramus. Quibus rebus miserrimæ nos creaturæ uitam sustenare poterimus hyberno potissimum tempore, quo

Omnibus abductis squalescũt frugibus agri,

Sed non solum in æstate, uerum etiam hyeme uolant in aëre, canunt & lætantur aues, nihil prorsus in crastinum solicitæ, & caueis inclusæ, & uobertim administrato cibo pastæ, non tam gaudent, nec canunt alacriter, quàm si liberæ fuerint sibi relictæ. Multo enim libentius sunt in eius cohorte Domini, qui cœlum ac terram creauit, omnesq; creaturas pascit. Quasi dicant: Panis noster nondum est coctus, nondum frumenta sata, multo minus quæ metamus habituræ sumus, sed nobis est omnium ditissimus Dominus, qui nostri curam gerit, quiq; nobis canentibus, aut etiam dormientibus longè plura suppeditat, quàm solicitudine grauiore nostra possimus acquirere. Atqui nos homines curarum atq; solicitudinis expertes uiuere nõ possumus, etãsi cunctas cistas omniaq; horrea & granaria diuitijs habuerimus referta.

Quid de liliis?

Quid, inquit, de indumento soliciti estis: cognoscite lilia agri, quomodo crescant, non laborant neque nent. Attamen dico uobis, ne Solomonem quidem in uniuersa gloria sua, sic amictum fuisse, ut unum ex his. Quòd si gramen agri, quòd hodie cùm sit, cras in clibanum mittitur, Deus sic uestit, an non multo magis uobis id faciet, ô parum fidentes? Ne sitis igitur soliciti dicentes: Quid edemus, aut quid bibemus, aut quibus operiemur? Nam omnia ista gẽtes exquirũt. Nouit enim pater cœlestis, quòd opus habeatis his omnibus. Quasi dicat: lilia uel flores tanto sunt nitore uel ornatu cõspicui, ut ijs collatis nihil omnino sit uniuersus Solomõis cõparatus, nihil utẽ sit quælibet opulẽtissimæ

regna, cum omnibus gynecij sui pretiosissimis ornamentis, auro, argento, gemmisq;. Non enim æqui parari poterit, uel unius lilij uel rosæ decori. Nullum autem locupletiorem, ornatiorem emq; regẽ, quàm Solomonem Christus adducere nouerat, eum tamen in uniuersa gloria sua, non sic amictum asserit, ut unicum è liliorum, aut florum numero. Atqui cùm Deus omnipotens aues, atq; coruorum pullos enutrit. Idemq; flores agri (quos depascũt, & pedibus etiam pecudes, proculcant, qui florent hodie, cras in clibanum mittendi) sic uestit, & decore tam speciosо uenustat, quanto magis uos rationis compotes homines enutriet, atq; sustentabit, si modò fidere poteritis, atq; credere.

Sed ista sunt exempla satis odiosa quibus aues, lilia atq; flores nobis ueluti præceptores proponit.

Non iniuria maximo pudore suffundi deberemus, aspicientes auiculam per aëra ferri, & agri floſculum in pratis crescere, quòd nostri præceptores habeantur, atque doctores. Quod acceptũ referre poterimus Adam patri nostro, & Euæ matri: per eorum enim casum in tantam incidimus calamitatem. Ante quod malum miserabile nobis eueniebat iuxta illud Psalmi. 8. Gloria & honore coronasti eum, omnia subiecisti sub pedibus eius,

eius, oues & boues uniuersas, insuper & pecora campi. Volucres cœli, & pisces maris, & pecora campi. Iam cogimur ab auibus discere, iuxta illud: Vertite oculos ad uolatilia cœli, &c. Et cognoscite lilia agri, ut ab illis instituamini, &c.

Quod nobis remedium submini-strat Christus, contra uentris curam, & auariciam?

Sic ait: Quin potius quærite primum regnum Dei, & iusticiam eius, & hæc omnia adijcientur uobis, quasi dicat: Videtis omnes creaturas à Deo nutriri, atque conseruari, Iudæos etiam, gentes & Turcas omnes. Quid ergo uos solicitos estis, qui habetis in cœlo Patrem, qui nouit quibus opus habeatis? Quòd si uos ignoraret ille, tum uere boni essetis soliciti. Proinde cùm uestri curam gerat ille Pater omnipotens, omnem solicitudinem ponite, ac primùm quærite regnum Dei &c.

Quid significat quærere Dei regnum?

Nihil aliud quàm orare Deum, ut ad ueram nos fidem perducat, & per spiritus sancti gratiam, nos in eadem misericorditer, usq; ad extremum uitæ terminum conseruet.

Quid significat iusticiam Dei quærere?

Nihil aliud, quàm hominem multis fidei fructi-

bus conſpicuum facere plurima bona opera canendo, orando, prædicando, laudando atq; glorificando Deum: Deinde proximo charitatis & miſericordiæ opera benigniter exhibere. Poſtremò uitã inculpatam degere, & irreprehenſibilem, ne auditum Euãgelium in aure tantum hæreat, linguáq; uolutetur, ſed etiam in opera diffundatur, ne ſemper ore tenus Chriſtiani maneamus, qui multa nouerunt de uerbo Dei iactare, ſed nulla Euangelio digna opera producere. Quod turpiter hodie uidemus accidere, cùm apud Papiſtas, tum Euangelicos.

Quid ſignificat, omnia adiẽcientur uobis?

Præclara & magnifica hæc eſt promiſsio. Quaſi dicat: Primum quærite regnum Dei, &c. & in uocatione ueſtra facite, quod officij ueſtri requirit honeſtas, quod ſi feceritis, in mundo rerum inopia nulla prememini, ſed habebitis abunde, quod eſuri uel bibituri ſitis, & quibus operiemini, copioſæ itẽ loco mãtiſſæ, omnia quæ uobis neceſſaria. Quæ cumulatim adijcientur, & ad ueſtras, uobis etiam non ſentientibus, ædes ubertim apportabuntur. Et lõge prius oporteret aues cœli aut angelos adminiſtrare cibum, quàm uerum Chriſtianum inedia perire. Nemo unquã à Deo fuit derelictus, qui ſuper Dominum curam ſuam iactauit confiſus illi, qui omnia

omnia donat ad corporis ac animæ neceſſarium uſum pertinentia, utpote fidem, charitatem, ſpem, patientiã, conſtantiam in tribulationibus, diuinã in omnibus corporalibus atq; ſpiritualibus facultatibus benedictionem, remiſsionem peccatorum, & æternam denique uitam, Amen.

DOMINICA DECIMASEXTA poſt Trinitatis, Euang. Lucæ. 7.

IBat Ieſus in ciuitatẽ quæ uocatur Naim, et ibãt cũ eo diſcipuli eius multi, turbaq́; copioſa: Cùm aũt appropinquaret portæ ciuitatis, ecce defunctus efferebatur filius unicus matri ſuę: et hęc uidua erat, & turba ciuitatis multa cũ illa: Quam cùm uidiſſet Dñs miſericordia motus ſuper eã, dixit illi: Noli flere. Et acceſſit, tetigitq́; loculum. Porrò qui portabant ſubſtiterunt. Et ait: Adoleſcens, tibi dico ſurge. Et reſedit q erat mortuus, et cœpit loqui: et dedit illum

matri suæ: Accepit autem omnes timor, & glorificabant Deum, dicentes: Propheta magnus surrexit inter nos, & Deus uisitauit plebem suam.

Quænam continet hoc Euangelion?

Ista præcipuè tria. 1. Honorificum sepeliendorum funerum usum. 2. Miseriam atque calamitatem uiduæ, cuius unicus erat mortuus filius. 3. Bonitatem ac beneficia Christi, qui consolatus eam, à mortuis suscitatum filium restituendo.

Quænam fuit cadauerum sepeliendorum consuetudo?

Receptus & Iudæis, & gentibus fuit mos, habere publicum extra urbes sepulturæ locum.

Quæ das huius exempla?

Abraham ab Hebron agrum cum spelunca sibi comparauit, in sepulturam uxoris Saræ, Genes. 23. Quo etiam postea sepultus fuit Abraham ipse, Isaac, Iacob et Ioseph, Lazarus item extra Bethaniã Ioã. 11. Et Christi sepulchrũ extra ciuitatẽ Hierosolymitanam fuit, Ioannis 19. Et in hoc Euangelio, cùm appropinquaret Christus portæ ciuitatis, efferebatur defunctus, unicus uiduæ filius.

Interest ne permagni, quomodo quis & ubi sepeliatur?

Quamuis Domini terra sit & omnis plenitudo eius, nec ad salutẽ mortuo prosit, quomodo, uel ubi tumuletur, attamen æquum ac iustum est, ut honorifico funere corpora mortuorum elata per pompam à prophano tumultu, & abusibus omnibus alienam atq; discretã, sepeliantur à uiuentibus pijs hominibus, ut et eodem charitatis officio admoneãtur ipsi fraglitatis atq; mortalitatis suæ, item exhortentur ad peccatorũ pœnitentiã et cõtritionẽ, in certã deniq; spem resurrectionis mortuorũ, uitæ q; cœlestis erigantur. Et dubio procul in loco sepulturæ multorum piorum hominum corpora requiescunt, quæ meræ sanctorum sunt reliquiæ, imò templa, & spiritus ãcti tabernacula. Proinde maiores locum sepulturæ uocarunt cœmeterion, hoc est, soporis domum, & Hebræi, Beth Caim, id est, domus uiuentium, quòd inibi fideles & homines pij quiescant atq; dormiant in Dei pace, resurrecturi in nouissimo die, ad æternam uitam possidendam.

Quomodo describitur in hoc Euangelio funus adolescentis?

Sic ait S. Lucas: Et factum est, deinceps ibat in ciuitatem quæ uocatur Naim, et ibant cum eo discipulicius multi, turbaq; copiosa. Cùm aũt appropinquaret portæ ciuitatis, ecce defunctus efferebatur, filius unicus matri suæ, & turba ciuitatis multa cum illa.

Valde serium hoc fuit atq; feruens officiosi populi studium.

Sine dubio: Non enim fecerunt quod Lotophagi, qui mortuos suos in mare proiecerũt, nihil referre putantes an humi quis putresceret, an in aquis. Nec quod nõnulli Epicureorũ, qui defunctos sine honore, cantu, et oratione deportant, uelut equorũ, aut asinorum cadauera, ridentes interim, & multam lenitatis iocularis exercentes petulantiam: sed hij quid boni poterunt dicere, quid credere de gloriosa piorum hominum resurrectione. Singularis iræ diuinæ plaga mundum corripuit. Etenim aut plus æquo declinamus ad dextram, aut numum deflecti mus ad sinistrã. Sub Papatu cùm moriebatur qui spiam, non aliter fecerunt homines, ac si Christus ipse fuisset mortuus. Tãtus enim fuit apparatus exequialis, tanta pompa funebris, tantus cãpanarũ sonitus atq; tom, tot uigiliæ, tot missæ pro defunctis, tot deniq; sacrificia & oblationes, ut nihil supra. Iam aũt Euangelio renato nihil officij mortuis præstatur, cõtemniturq; sepultura, cùm tamen non inu

gã-

garem in scriptura laudem & honorem obtinent.

Qualem Ethnici morẽ & circa mortuos ritum habuerunt?

Varium, atq; penitus probanum. Magorum cõsuetudo fuit, non humare corpora suorum, nisi à feris ante fuerint lanata. In Hircania plebs publicos alebat canes, optimates domesticos, nobile autem genus illud canum: sed pro sua quisq; facultate parabat à quibus laniaretur, eamq; illi optimã esse censebant sepulturam, ut ait Cicero. 1. Tusc. quest. D. Hieronymus contra Iouin. cap. 36. Massagetæ, inquit, & Derbices miserrimos putabant, qui ægrotatione morerentur, & parentes, cognatos, propinquos cùm ad senectam deuenissent, iugulatos deuorabant, rectius esse dicentes, ut à se potius, quàm à uermibus corroderẽtur. Tibareni, quos dilexerant senes suspendebant in patibulis. Hircani uolucribus & canibus semiuiuos proijciebant. Cap sij bestijs mortuos obijciebant. Scythæ eos qui à defunctis amati fuerunt, uiuos infodiebant cum ossibus mortuorum. Bactri canibus ad hoc ipsum nutritis obijciebant senes. Quod cùm Alexandri præfectus Nicanor emendare uoluisset, penè amisit prouinciam.

Sed cur mortui Christianorum honorifica celebritate & honesta pompa sunt sepeliendi?

Tres

Tres propter rationes.

Quænam est prima?

Vt uideamus Christianam inter Christianos, inter parentes, inter liberos, amicos atque proximos charitatem fuisse. Non enim paruo argumento est, ibi flagrãtius amoris Christi studium fuisse, ubi frequentes amici, proximi, alijq; Christiani sequuntur ad sepulturam funus elatum, & sua præsentia cohonestant, & hoc ipsum, quod misericordiæ singulare est opus perficiunt, parati gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus, atq; lugere cum lugentibus. Sic Abraham luxit suam Saram, sic Israëlitæ Ioseph, Mosen, Aaron: & discipuli Christi Stephanum.

Quænam secunda?

Vt homines admoneantur suæ fragilitatis, atq; breuitatis uitæ, reuocetur item in memoriam aliquando moriendum esse. Rectè igitur Solomon Ecclesiastes cap. 7. inquit: Melius est ire ad domum luctus, quàm ad domum conuiuij, in illa enim finis cũctorum admonet hominũ, & uiuens cogitat quid futurum sit. Et Iesus Syrach, Ecclesiastici 38. dicit in persona mortui. Memor esto iudicij mei, sic enim erit & tuum: mihi heri, & tibi hodie.

Quæ tertia?

Vt externis sepulturæ cæremonijs ostendamus fidem nostram, atque spem resurrectionis futuræ.

Quapropter Christiani humus sepulturam non debemus ut rem immundam atq; spurcam inspicere, sed ut amœnissimum fragrantiæ nobilioris hortum intueri, cõsitum pulcherrimis lilijs atq; rosis, quæ æstatis tempore, hoc est, nouissimo die germinatura sint, atq; productura suauissimos fructus, qui totum mundum, cum primis electos Dei filios affecturi gaudio atq; uoluptate.

Quinam homines erant apud funus adolescentis mortui?

Hominum genera quattuor aderant. 1. Adolescens ipse, qui mortuus efferebatur. 2. Mater adolescentis, quæ uidua lugebat unicum filium. 3. Turba quæ sequebatur extra portam elatum funus, & qui portabant. 4. Christus, qui cum discipulis atq; turba copiosa appropinquabat portæ ciuitatis, & uiduæ misertus, excitauit à mortuis filium, atq; matri restituit.

Cur uidua lugebat?

Tres propter causas.

Quæ prima?

Quoniam filium adolescentem amiserat. Non dolorem tantum accipiunt parentes, si filij mortui fuerint infantes, quantum, si multis curis atq; sumptibus educati, & bonis artibus instituti, liberi fuerint extincti, à quibus sperauerant sese mutuam

offi-

officij, maximè nutricãdi, fouendiq; uicẽ relaturos.

Quænam altera?

Quoniam unicus fuerat filius. Non tam fuisset calamitosum ei funus, si plures liberos habuisset. Etenim, ut Ouidius ait:

Parcius è multis mater desyderat unum,
Quàm quæ dicit: tu mihi solus eras.

Quænam tertia?

Quoniam erat uidua. Per se mulier uas est fragile, & natura pusillanimis & infirma. Iam si uiduitatis malum accesserit, & quem charum habuit uirum amiserit, duplicatur calamitas, & ipsa misera destituitur atq; relinquitur. Quòd si filiam habuerit aut filium, à quibus consolationem, uel aliquam in aduersa fortuna spem concipere posset, atque ijdem fuerint mortui, tum ilias (quod aiunt) malorum uidebitur accessisse. Quæ omnia præsens experta fuit mulier. Principiò amisit uirum, deinde filium unicum, omni iam humana ope destituta. Et quoniam apud Iudæos fuerant opprobrio habitæ mulieres atq; maledictæ, quibus non erant liberi, potuisset cogitare, atque sic dicere: En mulierum maledictarum ego sum una, cui diuina ira nec uirum neq; semen reliquit, imò quam funditus extirpare uult, occidit maritus, obijt filius, ego breui secutura. Quòd si iam in angustia tali dixisset quisq;: Noli flere, sed lachrimis absterfis animum recipe, quoniam filius tuus reuiuiscet atq; resurget, nõ credidisset, sed facturem impossibilẽ arbitrata fuisset, atq; dixisset: Quid me rides, quid ludibrio habes in tanta mala conjectam? Satis mihi doloris est, quid acerbitatem exauges, & oleum addis camino? Permitte ut atrocia mea fata defleam, noli uexare, noli me deridere, multo citius ruerit cœlum, quàm ut filius meus à mortuis resurrexerit. Attamẽ ei, quod nunquam speraſſet, accidit bonum, nam inſperato Christus aduenie bat, & filium suscitatum à mortuis matri reddidit, & præter spem exortus, salutem attulit Deus (iuxta Prouerbium) ex improuiso apparens.

Hoccine profecto charitatis Christi præclarum fuit exemplum.

Maximum argumentum diuinæ bonitatis, gratiæ atq; misericordiæ, quo in tempore præsens adfuit Christus, & afflictam uiduam consolatur & adiuuat, obiter ostendens diuinam suam erga mortẽ & infernа potestatem, & quomodo sit erga pauperes, derelictos, pupillos atque uiduas affectus ipse. Nemo fuit hìc, qui pro uidua rogauerit aut intercesserit, nec ipsa precata, neque mentio facta, uel eius fidei, uel operum, tamen cùm angore summo torqueretur, tantis q; miserijs atq; calamitatib. circunsepta esset, ut animo sentiret terras infestissimas esse,

esse, cœlum q; non uocatus adfuit Christus, atq; filium restituit, tanto q; gaudio perfudit eam, ut omnium dolorum oblitæ, uiderentur cœlum & terra, montes atq; ualles arridere, atq; congratulari.

Quomodo Christus uiduam consolabatur?

Quam cùm uidisset Dominus misericordia motus super eam, dixit illi: Noli flere, & accessit, tetigit q; loculum. Porrò qui portabant substiterunt, et ait: Adolescens tibi dico surge, & resedit qui fuit mortuus, & cœpit loqui, et dedit illum matri suæ. Quæ uerba docent mortis atq; uitæ dominum esse Christum, qui uerus medendi præceptor, facilè sanare potest, nempe unico uerbo, qui de paupere diuitem, de languido bene ualentem, & pro morte uitam reddere.

Quid ad hoc cinem miraculum populus faciebat?

Accepit omnes timor, & glorificabant Deum, dicentes: Propheta magnus surrexit inter nos, & Deus uisitauit plebem suam, & exijt hic rumor in uniuersam Iudæam de eo, & omnem finitimam regionem. Hij ueri sunt fructus diuinorum oraculorum, quæ si uera fide, cordibus q; fidelibus percepta fuerint, insequetur uera recta q; cognitio Christi, quo cognito meræ promanant gratiarum actiones, laus atque gloria, ut omnes homines permoti

cogãtur dicere: Deus omnipotens nõ in ira sua nos, sed gratia atq; misericordia uisitauit, non enim magnum aliquem Prophetam, imò nõ Prophetam, sed dilectum suum filium nobis misit, ut is mundi saluator nos à Diabolo, morte & inferno liberaret. Si iam pro nobis pugnat, quis igitur contra nos? Atqui cur non meritò saluatori tanto nostro gratias ageremus, atque suo nomine non libenter paterem mur omnia? Quis unquam tanta nos humanitate complexus fuit, quis in nos tot tanta q; beneficia cõtulit, quot & quanta noster hic saluator Christus? Expectent ergo Iudæi reliqui suum Messiam, Turcæ suum Mahomet ad astra ferant, nos certiorem, tutiorem q; uiam ingressi, confidemus & adhærebimus filio Dei Iesu Christo domino nostro, qui uera uia, ueritas, atq; uita, nos nõ poterit seducere.

Quidnam ex hoc præcipuè discemus Euangelio?

Cum primis omnia quæ nobis eueniunt, bona siue mala, à Deo opt. max. proficisci: Mala propter nostra peccata, uel ut malis exerciti conuertamur à criminibus ad meliorem uitam, uel ut per illa Dei gloria manifestetur: Bona autem ex mera Dei gratia. Sed nos ita sumus affecti, ut cùm summa contulerit in nos beneficia, bonis q; gratiæ suæ diuinis obruerit Deus, tamen in nobis tanta barbaries est, atq; feritas, ut gratias nullas agamus. Dum adhuc sic

ma præditi sumus ualetudine, nullus est metus, nulla Dei cura. Sed cùm suam manum ille retraxerit, & in morbum aliquem nos coniecerit, aut oculos eripuerit, uel auditum, pedes, manus, &c. tum demũ intelligemus ac discemus, q̃ preciosa res sit prospera corporis ualetudo. Sic itẽ cũ lapidosa chiragra (ut Persius ait) Fregerit articulos ueteris ramalia Tum erassos transisse dies, lucẽq; paluströ, (fugit Et sibi iam seri uitam ingemuere relictam.

Sed qui prosperitatis nostræ, uel sanitatis tẽpore nolumus Deũ cognoscere, id in aduersitate, uel ægrotatione cogemur facere. Cũ præsentia sunt Dei munera, nihil curamus, ablata libenter magnifica remus, sed post festũ (ut Prouerb. dicitur) ueniẽtes.

Ad eum ne modum accidit uiduæ?

Accidit: Nam cùm haberet uirum superstitem, non solicita cogitabat, quantum Dei beneficium esset, incolumem habere uirum, nutritorem atq; protectorem, æstimabat hoc cum alijs fœminis cõmune atq; uulgare bonum esse, sed marito defuncto sensit tandem quantũ amisisset thesaurum. Sic item cùm filius adhuc uiueret, ne semel quidem Deo gratias uidetur egisse, rata se non opus habituram opera Dei, sed is securam adortus eam non uulgariter affligit, eripiendo maritum atq; filium, ac facit omnis spei atq; consolationis expertem. In quo misera bili

bili casu libenter omnia quæ possederat expendisset, & maritũ atq; filium, si facultas id faciendi fuisset oblata, redemusset, sed omnis erepta fuit copia recuperandi. Assiduis igitur tribulationibus consumpta, miserijsq; perpetuis cõtabuisset, si non fuisset consolationem à Christo consecuta.

Ad consimilem ne modum adhuc Deus agit in terris?

Agit. Deus enim solem suum oriri sinit super bonum & malum, sed quot homines sunt, qui pro talimunere Deo gratias agunt? Alij furantur atq; rapto uiuunt: alij ut jugulent homines surgunt de nocte latrones: alij mendacijs ac impostoris proximũ circumueniunt, atq; certatim id faciunt omnes, ut uitiorum atq; criminum omni genere contaminent atq; conspurcent illam nobilissimam creaturam Dei, quam negligimus atq; contemnimus, quoniã quotidie (uile scũt enim quotidiana) lucet. Quòd si nullum aliquando splendorem daret, uelut olim pluuia menses aliquot à Deo sublata, tum audiremus uarios in terris ploratus et eiulatus, sed quoniã plena manu suppeditat omnia deus, et ampliter copioseq; uelut in cõmune proijcit, modò uina, modò frumenta, modò res alias ubertim, nihil Dei bonitatẽ curamus, non agimus gratias, imò ueluti porci magis ingrati, turpiter bonis Dei creaturis abutimur. Ergo quæ nos accendere deberent ad Dei

cognitionẽ, occasionemq; præbere illum laudandi, & agendi gratias, ea nobis afferunt æquissimam perditionis æternæ caussam. Sæpenumero multis elargitur Deus incolumes & scitos filios, aptos et idoneos, ut optimis disciplinis instituti, Reip. possent et Ecclesiæ maximo usui esse, cõfert item opes, & quia pecuniæ obediunt omnia, magnum adijcit auri & argenti pondus, attamen auaritia diaboli ea parentes inficit, & occæcat ita, ut ne obulum quidem in sacrosanctam liberorum institutionem impendere, liberosq; ad Reip. cõmoditatem educare cõtendant. Videns igitur eam ingratitudinẽ Deus, è medio tollit parentes cum liberis, eripit etiam facultates, aut in hæredes alienos transfert, quãobrem uiuis doleat mundus, & illachrymetur.

Solos ne malos & ingratos ulciscitur Deus?

Ad malorum crimina conniuet aliquando Deus, atq; relinquit eos uelut in uiolarum aut rosarum plantario residentes gaudere. Contrà, simulat interdum sese bonis iratũ planè, quemadmodum pio Iob, ut uideatur bonorum hostis atrox, amicus autẽ mundi, sed hæc ipsa est amicitiaualde cauenda, quẽadmodum illa, qua pij tentantur, atq; uelut aurum in igne probantur, hostilitas nõ extimescenda. Nã quicquid improbis hominibus accidit boni, mera est ira atq; indignatio Dei; contrà, quicquid mali bonis

uis cuenit, est mera gratia diuina atque misericordia, quibus pij tentantur atque probantur, utrum tempore tribulationis perseuerare constanter, an ingruentibus malis, ab Euangelica ueritate recedere conuitantur.

Magnam ne uiduis atq; pupillis consolationem affert hoc Euangelion?

Maximam: Etenim in hoc Euangelio Christus ostendit se uiduarum atq; pupillorum patronum, defensorem, atque protectorem in omnibus eorum necessitatibus & angustijs esse. Quod planum Deus facit rebus duabus.

Quænam prior?

Quoniam Deus illorum caussa peculiarem legem protulit. Ait enim Exod. 22. Viduæ & pupillo non nocebitis, si læseris eos, uociferabuntur ad me, & ego audiam clamorem eorum, & indignabitur furor meus, percutiamq; uos gladio, & erunt uxores uestræ uiduæ, & filij uestri pupilli. Item Hieremiæ 22. Pupillum & uiduam nolite contristare.

Quænam altera?

Singularem dat promissionem, qua se uocat iudicem uiduarum & orphanorum patrem. Pollicetur item se uiduas atque pupillos, pauperes & egenos susceptum, latumq; in oculis suæ gratiæ. Quod aũt promisit, id facto comprobauit. Etenim

uiduam illam Sareptanam in summa rerum omnium caritate per Heliam prophetam conseruauit, 3. Regum 17. Et uiduam illam, 4. Regum 4. per Helisæum prophetam, qui olei pauxillo liberauit eam ab alieno, quo nimis obstricta fuit, ære. Et Deus mirabiliter adiuuit Iudith, fortemque reddidit, ut crudelissimum tyrannum Holofernem interficeret. Nonne laudibus magnis euehitur in Euangelio Lucæ 2. filia Phanuelis Anna prophetissa, quòd uidua diu uixisset honestè, Christianaq; fide condigna produxisset opera. Et Christus Lucæ 21. Viduam pauperculam commendat, aliisque præfert in gazophylacium munera mittentibus. Et in hoc Euangelio uiduæ misertus à mortuis suscitatum filium restituit, eo confirmans exemplo, se uiduis atque pupillis patrocinaturum, & adiuturum eos in omnibus tribulationibus & afflictionibus, & non solùm eosdem, sed etiam omnes, qui sunt in angustijs atque calamitatibus. Clamat enim Matthæi 11. Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, & ego reficillabo uos, nempe in hoc cine seculo mea gratia atq; benedictione diuina: In futuro autem æterna lætitia, atque gloria. Amen.

DO-

DOMINICA DECIMA-

Septima post Trinitatis Euang.

Lucæ XIIII.

ACcidit, ut introierit in domum cuiusdam principis Pharisæorum sabbato, ad capiendum cibum, & ipsi obseruabãt eum. Et ecce homo quidam hydropicus erat ante illum. Et respõdens Iesus, dixit ad legisperitos, & Phariseos, dicẽs: Num licet sabbato sanare? At illi tacuerunt. Ipse uerò apprehẽsum sanauit eum, ac dimisit. Et respondens ad illos, dixit: Cuius uestrũ asinus aut bos in puteum cadet, & non cõtinuo extrahet illum die sabbati? Et nõ poterant ad hæc respondere illi. Dicebat autem et ad inuitatos parabolam intẽdens, quomodo pri

mos accubitus eligerent, dicēs ad illos: Cùm inuitatus fueris ab aliquo ad nuptias, ne accūbas in primo loco, ne fortè honoratior te sit inuitatus ab illo, et ueniēs is qui te & illum uocauit, dicat tibi: Da huic locum, & tunc incipias cum rubore extremum locum tenere. Quin potius cùm uocatus fueris, uade, accumbe in nouissimo loco, ut cùm uenerit qui te inuitauit, dicat tibi: Amice, ascende superius: tunc erit tibi gloria coram simul discumbentibus. Quia omnis qui se extollit, humiliabitur, & qui se humiliat, extolletur.

Quænam in hoc Euangelio tractantur?

Ista præcipuè tria. 1. *Christus sanauit hydropicum sabbato.* 2. *Defendit hoc suum factum contra*

contra uenenatam Phariſæorum atq; Scribarum maleuolentiam. 3. *Digna memoratu præcepta tradit in conuiuijs, aut honoratiorum hoſpitum conſeſſu retinenda.*

Quando Chriſtus ſanauit hydropicum?

In ſabbato.

Vbi?

In domo cuiuſdam Principis Phariſæorum, à quo uocatus erat Ieſus ad conuiuium.

Debent ne igitur admitti conuiuia?

A Deo ſimul ac hominibus non repudiantur cōuiuia, & epularum accubationes, quòd uitæ coniunctionem habeant, & inter homines inſtituant atq; conſeruent amicitiam atq; concordiam. Vt ſi qua inter amicos orta querela, apud ſacra menſæ, & inter hilaritatem animorum, fautoribus cōcordiæ adhibitis tolli poſſit. Hinc à ueteribus Charistia ſunt uocitata, & à maioribus eiuſmodi priuilegijs donata, ut non nimis exactè uel exquirēda, uel obſeruanda ſint ea, quæ dicuntur inter amicos, & inter pocula, ut Ethnici rectè dixerint: odi meam morem compotorem. Et Horatius: Ne fidos inter amicos ſit, qui dicta foras eliminet, ſed

Omnia ſub roſea limquat prolata corona.

Sed hunc eme laudabilem conuiuiorum uſum, ut

alias etiam bonas ordinationes cùm diuinas, tum humanas uiolarunt, atq; contaminarunt Pharisæi atq; Scribæ. Nam ubi debebant Christo gratulantes congaudere, atq; frontem exporrigere, supercilium q; ponere, sederunt caperati striatiq; insidiatores, & obseruarunt eum mortis reum acturi.

Quid apud eiusmodi malitiosos & insidiosos homines Christus agebat?

Satagebat rerum suarum, & officio, quod si fuit à Deo patre commissum, respondebat, sanare do miserum hominem hydropicum.

Quid impulit hydropicum, ut ingressus Pharisæi domum?

Quod ingens telum est, necessitas. Ergo cùm audisset in ædibus Pharisæi conuiuam esse Christũ, non uocatus introiuit, nihil curans utrum æquis animis, an iniquis, essent suam importunitatem laturi. Quo facto non uulgarem hydropici fidem perpendimus.

Ex quanam re fidem talem acceperat?

Ex candidissima de Christo fama, qua passim audierat, ipsum tanta præditum humanitate atque clementia, ut ad se confugientem neminem consueuerit inanẽ dimittere aut auersari. Qua ex re tantam arripuit fidem hydropicus, ut etiã non uocatus

tus intrauerit Pharisæi domum, & constanter adhæserit, nihil deterritus iniquè ferentium fastidio uel indignatione, sed ita cogitans: Non me consolationis expertem à se dimittet elementissimus ille Iesus, qui tot afflictos homines, cæcos, claudos, surdos, atq; mutos curauit, suppetiasq; tulit. Ergo per talem fidem, quod uotis expetebat, consecutus fuit.

Quid interim Christus agebat?

Priusquam sanaret hydropicum interloquebatur, atq; disserebat cum Pharisæo atq; Scribis, à quibus obseruabatur.

Cur Pharisæus atq; Scribæ Christum obseruabant?

Vt si hydropicum sabbato curaturus esset, ipsum uiolatæ religionis reum accusare, legisq; ruptorẽ criminari potuissent, aut detrectare uirtutẽ eius, si languidũ atq; calamitosum hominem nõ curasset, sed immisericors reliquisset egemẽ auxilij.

Quid ad eiusmodi uenenatas consiliorum rationes Christus?

Cùm intellexisset cordis illorum maliciam, interrogabat eos, Vtrum sabbato liceret sanare, an nõ? Cuius quæstionis ueluti laqueo capti hærebãt. Quòd si nõdisset licere, statim intulisset Christus, quid igitur maleuoli me obseruatis insidiatores? Nunc aũt tacẽtes suis ipsorũ exẽplis cõuincit, inquiens,

quiēs. Cuius uestrū asinus aut bos in puteū cadet, et nō cōtinuo extrahet illū die sabbati? Q. d. Si uos hoc facitis irrationalib. animantib. utpote boui uel asino, qui uix ternis ualent aureis, cur non magis idem præstabitis homini, rationis compoti, cuius precium totus non posset mundus exoluere. Et sabbatum conditum est propter hominem, non homo propter illud. Præterea, filius hominis est Dominus sabbati.

Quid Pharisæus, atq; Scribæ Christo respondebant?

Lucas ait: Et non poterant ad hæc respondere illi. Ergo qui corda non tenuit pudor, oculos eorum uultus q; perstrinxit, in omnium qui aderant conspectu.

Christus igitur hisce uerbis abrogauit sabbatum.

Non abrogauit. Quemadmodum enim hoccine suo miraculo Christus non uiolauit sabbathum, ita non tulit illud è medio, maximè apud Iudæos. Nō enim uenerat soluere legem, sed implere, Mat. 5. Atqui solum Pharisæorum abusum carpsit, ac abolendum censuit, quo sabbatum altius illi sublimiusq; prouehebant, quàm Deus mandauerat. Etenim tam in arctum contrahebant, tanque tenebant strictum, ut non potuerint pati, quòd in eò Christus sanaret hominē ægrotum, cùm ipsi prolapsos

lapsos in puteum boues, aut asinos extraherent, imò, qui ultra Dei præcepta complures addiderāt traditiones, atq; docuerant sabbato non licere alicui transire agrum, uel pratum, ne segetes, aut gramina protererentur, item non in arborem ascēdere, neq; poma decerpere, itē non equitare, nec uestes extergere, neq; ad focū poma uel pyra torrere, & consimiliū ineptiarum alia compluria, quæ adhuc in quotidiano sunt Iudæorum usu, credentium hisce rebus sese magnum Deo præstare obsequiū. Obseruāt autem eas, quas excogitauerunt ipsi traditiones diligentia summa, sed quæ Deus præcepit negligentissimè, cum primis illud: dēliges proximum tuum, sicut teipsum &c. Vt rectè Christus dixerit Ma. 23. Væ uobis duces cæci, excolantes culicem, camelum autem glutientes, quod propemodum idem est, quod prouerbio dicunt, statuam faucibus colare.

Christianis ne præceptum est sabbatum, ut Iudæis?

Iudæis tam stricto rigore mādatum erat sabbatū, ut in eo nihil externi prorsum operis eos oportebat facere, sic enim habetur Exodi. 20. Memento ut diem sabbati sanctifices. Sex diebus operaberis, & facies omnia opera tua, septimo autem die sabbatum Domini Dei tui est, nō facies omne opus in eo, tu & filius tuus, & filia tua, seruus tuus, & ancilla

ancilla tua, iumentum tuum, & aduena qui est intra portas tuas. Hinc est quòd miser ille, qui collegerat in die sabbati ligna, lapidibus fuerit obrutus. Numeri. 15. Attamen per ista legis uerba Deus non prohibuit in sabbato bouem uel asinum, nedum opis egentem hominem adiuuari, sanariq; : Nã uerba legis hæc sunt: Memento ut diẽ sabbati sanctifices, hoc est, ut sanctas cogitationes habeas, simulq; uerba, & opera sancta facias. Iam in necessitate manũ porrigere, et auxiliari proximo, eiq; benefacere, sanctum opus est, igitur nõ prohibitũ.

Sunt ne Christiani obstricti ad sabbatum obseruandum?

Quamuis apud Christianos prorogatum, & in aliam diem sabbatum extractum sit, tamen non est abrogatum. Quemadmodum enim Deus septimo die ab uniuersis quæ fecit operibus requieuit, ita uult ut nos quoq; cum liberis nostris, familia iumentisq; feriemur ab omni opere externo, & interquiescamus. Et enim non admittit, ut eas, quarum ipse conditor est creaturas, perpetuis & nunquam desinentibus laboribus exhauriamus, eamusq; perditum. Quod nonnulli monophagi, & qui Patroclo, quod aiunt, sordidiores sunt faciunt, qui auaricia occæcati nõ permittunt diebus profestis, nedum festis uel aliquam familiæ requiem aut iumentis, sed iugi laborum attritu consumunt & enerուant,

neruant, nec unicam, qua Dei uerbum audire familia possit, horam relaxant, nec ipsi templum ingrediuntur, Euangelicã doctrinam audiendi studio, sed longè libentius euagantur atq; proficiscuntur ad negocia, & operationes suas, uix semel in anno toto uisi sacris in Concionib. Sunt nonnulli, qui solent indignari, & execrari cùm festus dies, rebus sacris peragendis destinatus aduenerit, indicens paucissimarum horarum ferias. Sed insatiabilis illorum auiditas, & inexplebile dolium diuina re plebitur maledictione, ut res eorum procedant, more, quod aiunt, Mandrabuli.

Sed hoc ipsum ualde terribile.

Nimirum. Nulla enim ratione poterunt illorũ res perpetuo fœlices esse, aut prosperum exitum sortiri. Porrò quid boni de illis expectandum, quæ spes concipienda? cùm uix iusti saluentur, qui semper intersunt concionibus sacris, uerbumq; Dei libenter audiunt, hominum istorum impijssimorum peccata sepenumero cogitur uniuersa ciuitas luere, imò tota regio pœnas exoluere. Nam apud eiusmodi homines nulla prorsum est bona fortuna, nec q; salus. Eorum enim culpa sit, ut Deus suã diuinæ bonitatis gratiam mortalibus subtrahat, sensimq; benedictionem auferat, immittendo iam temporales, mox æternas pœnas. Proinde magistrat. intererit summis studijs in id incũbere, et uigilãter efficere, ut

ut per cunctas ciuitates atq; regiones meritò Solis dies honore celebretur, & obseruetur à subditis omnibus, nõ in cœnopdijs pergræcando, non ad fornaculam desidia torpendo, non ad solem apricando, non pulchris uestimentis superbiendo, non deniq; splendidè epulando, sed à peccatis feriando, uenam à Deo petendo, Euangelium, atq; Dei uerbum audiendo, ad altaris sacramentum accedendo, pro omnibus denique necessitatibus Ecclesiæ supplicando. Hæ ueræ sunt Christianorum feriæ, quas qui noluerint sanctificare, sed potius sub diuinis sacrarum Concionum rerumq; muneribus nequiter agere, publicitus offendicula præbere, in tabernis cereuisiarijs, aut uinarijs, contra Dei præceptũ turpiter uiuere præsumpserint, in eos grauiter magistratus animaduertere debet, atque præcauere ne seipsum peregrinis eiusmodi maleficiorum peccatis coinquinet. Nam quot millia putes hominũ esse, qui magistratus incuria, negligentiaq; facti inobedientes, reciderunt in impiam uitam, æternæ modò perditionis filij redditi, de quibus in extremo iudicio magistratus ipse grauissimam redditurus est rationem: non autem de ijs, qui per magistratum puniti resipiscere noluerunt in hoc mundo.

Quid per hoc præsens miraculum innuit Christus?

Ostendit

Ostendit quomodo legis præcepta sint tractanda, nempe iuxta charitatis atq; necessitatis regulam examinanda, atque etiam mitiganda. Amor enim proximi necessitasq; diuinarum legum, atque mandatorum, uelut magistri debent esse. Etenim summa, atque finis præcepti est charitas ex puro corde, & conscientia pura, & fide non simulata. 1. Timoth. 1.

Habenturne sacris in literis huius rei testimonia & exempla?

Non pauca: Moses in deserto diem circuncisionis filiorum Israël prolatauit, & extraxit in annos quadraginta, dum uenissent in promissionis terram. Quis ergo Mosi potestatem eam dederat, legis præceptum ultra debita tempora profrendi? Necessitas atq; charitas. Nam populus Israëliticus indies in procinctu cogebatur expectare, dum singulis momentis à Deo iuberentur solum mutare, & alio transferre castra. Et Dauid cùm opus haberet, & esuriret ipse, & qui cum eo erant, ingressus in domum Dei, Abiathar principis sacerdotum, & panes propositionis comedit, quos non licebat edere, nisi sacerdotibus, & dedit etiam ijs qui secum erant. Quippe necessitas est ingens telũ, confringens omne ferrum. Et in die sabbato Christus sanauit ægrotum, qui triginta & octo annos fuerat morbo detentus, Ioannis. 5. Idem cæcum na-

cum Ioannis. 9. Et in hoc Euangelio hydropicum. Cur autem sabbato? Quia necessitas efflagitabat. Quemadmodum igitur Moses in deserto cum circũcisione, Dauid cum panibus propositionum, Christus cum claudis, cæcis, & hydropicis in sabbato faciebat, ita nos omnia diuinarũ legum præcepta debemus ad charitatis atq; necessitatis amussim adaptare, atque lenire. Etenim in summa, charitati lex omnis cedere debet, atq; locum dare. Et si qua læserit, aut in charitatem impegerit, prorsum abrogari.

Quænam præcepta tradidit in hoc Euangelio Christus?

Ea tradidit, quæ non uulgariter conducunt, ad ciuilitatem, atque politicam honestatem.

Quidnam primum dedit?

Cùm animaduertisset ab inuocatis accubitus primos eligi & occupari, dicebat ad illos: Cùm inuitatus fueris ab aliquo ad nuptias, ne accumbas in primo loco &c.

Quid Christo negocij fuit, quidue rei cum friuolis eiusmodi causis?

Quid enim sua retulerat, quis in primo, uel quis accumberet in ultimo loco?

Verum est, non uenisse Christum, ut mundo legem

gem præscriberet aut modum, sedendi, stãdi, accumbendi, plantandi, ædificandi, atq; negociandi, &c. Attamen uult ut ea omnia ciuiliter, omniaq; honestè fiant, & secundum ordinem, ut alij aliis non præbeant offendicula, uel occasiones peccandi. Quamuis autem hoc neminem iustificet, atque beet, si uicinum, aut proximum suum quispiam uocauerit ad conuiuium, atq; is primum, siue locum ultimum occupauerit, attamen Deus uult decorũ atq; ciuilẽ inter homines ordinem seruari, nõ rusticitatem agrestem, morũq; peruersitatem quæ concordiam, pacemq; perturbet, sed potius adesse amicam uoluntatem, & honoris exhibitionem mutuã, neminem autem qui cunctis se præferat, aut præse contemnat omnes, odio uel inuidia flagrantẽ. Vult igitur Christus, ut nos inuicem diligamus, & honore præueniamus inuicem, non aliter atq; fratres, ac sorores, unum patrem, & unam fidem, unumq; baptismi & Eucharistiæ sacramentum habentes.

Quam pœnam dictorum præceptorum transgressoribus decernit?

Non solum pœnam, sed etiam conseruatorum præmia constituit, inquiens: Omnis qui se extollit humiliabitur, & qui se humiliat extolletur. Imò Christus Matthæi. 23. in accubitus electio-

tie, honorumq; cupiditate peccantes, ignis æterni supplicio se uindicaturum innuere uidetur. Consimiliter ait, Lucæ. 11. Væ uobis Pharisæis, quia diligitis primas cathedras in synagogis, & salutationes in fôro.

Quod dedit alterum præceptum?

Dicebat ei, qui se inuitauerat. Cùm facis prandium aut cœnam, noli uocare amicos tuos, neque fratres tuos, neq; cognatos, neq; uicinos, diuites, etc.

Quid igitur in hoc casu faciendum: Si non uocauero ad prandium aut cœnam, qui me prius inuitarunt, amicos, uicinos, et diuites, etc. ingratus habebor, sin autem uocauero, præsens in Euangelium peccabo?

Christus non reijcit honesta uicinorum, propinquorum, & amicorum conuiuia, uel epularum accubationes, institutiões in timore Domini: nec dicit, ad conuiuium uocari, peccatum esse, cùm sancti Patres ut Loth, Abraham, Isaac, Iacob, Dauid, Salomon, Tobias, etc. sæpenumero bonos amicos suos ad conuiuia uocauerint, & eos omni humanitate fuerint prosecuti, ut etiam hospitalitatis atq; liberalitatis nomine peculiariter in sacris literis celebrati sint ac commendati. Non ergo Christus moderatum

deratum & pium conuiuiorum, epularumq; usum reprehẽdit, sed corripit hic Pharisæos, qui sui similes, Pharisæos, summos sacerdotes, scribas, & hypocritas ad cõuiuia solebãt accersere, prorsum obliti pauperum, & hominum egenorum, quemadmodum diues ille, Lucæ. 16. qui Lazarum ad ianuam passus inedia perire. Quapropter qui uoluerit homine Christiano dignũ instituere conuiuiũ, is faciat iuxta Dei uerbum Esaiæ. 58. Frange esurienti panem tuum, & egenos uagosq; induc in domum tuam. Cùm uideris nudum operi eum, & carnem tuam ne despexeris, tunc erumpet quasi mane lumen tuum, & sanitas tua citius orietur, & anteibit faciem tuam iusticia tua, & gloria Domini colliget te, atq; traducet in regnum cœlorum, in æternam uitam, Amen.

DOMINICA DECIMAOCTAVA post Trinitatis, Euang. Mat. 22.

PHarisęi autem audientes q̃ silentiũ imposuisset Sadducęis conuenerunt in unum, & interrogauit eũ unus ex eis, legis doctor quispiã tentans eũ, & dicens: Magister, quod est mandatũ magnũ

in lege? Ait illi Iesus: Diliges Dñm Deum tuum ex toto corde tuo, et in tota anima tua, & in tota mente tua: hoc est primum & magnũ mandatum. Secundum aũt simile est huic: Diliges proximum tuum perinde ac teipsum. In his duob. mandatis tota lex & Prophetę pẽdent. Congregatis autem Phariſæis, interrogauit eos Iesus dicẽs: Quid uobis uidetur de Christo, cuius filius est? Dicunt ei: Dauid. Ait illis: Quomodo ergo Dauid in ſpiritu uocat eum Dominũ, dicens: Dixit Dñs domino meo ſede à dextris meis: donec ponã inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum? Si ergo Dauid uocat eum Dñm, quomodo filius eius est? Et nemo poterat ei reſpondere quic

quam,

quam, neq; auſus fuit quiſquã ex eo die eum amplius interrogare.

Quibuſnam in rebus conſiſtit hoc Euangelion?

In duabus quæſtionibus, quarum altera pertinet ad legem, ad Euangelium altera. Et utræq; ſunt omni Chriſtiano homini perneceſſariæ cognitu: nempe, ut ab initio ſciat examuſim, Quid lex ſit? Quæ utilitas eius? Et quid potiſſimum operetur? Deinde, Quid Euangelium? Quid Chriſtus? Quid deniq; nobis ab eodem uel ſperandum, uel expectandum? Quæ duo, qui nondum nouit, is procul eſt, & alienus adhuc ualde à uera Chriſtiana religione. In altero Iudæi, in altero Papiſtæ, Iuſticiarijq; lapſant, atq; plurimum delinquunt.

Quiſnam priorem adduxit quæſtionem?

Legis doctor quidam omnium Phariſæorum nomine Chriſtum interrogauit, non ex bono animi cõſilio, ſed ut ipſum in uerbis inſidioſe caperet, illaquearetq;.

Vnde malicioſa conſiliorum eiuſmodi ratio deprehenditur?

Cognoſcitur è dictiõe, tentans. Nam interrogare ex bono animi propoſito, & tentare, ſunt diuerſa, q ſimpliciter interrogat, is alicuius reiignarue

id

id agit, studio discendi, q tentat malũ animũ, malã habet mentem. Iam quod Pharisæi atque Scribæ Christum in hoc Euangelio tentarunt, insignem prodiderunt cordium maliciam, odiumq; ergaueritatem Euangelicam irreconciliabile.

Quid igitur Pharisæi faciebant?

Cùm semel eo die confudisset, & ora Pharisæorum obturasset captiose rogantium: Vtrum Cæsari liceret censum dari, an non? Deinde cùm percepissent Sadducæis, quod uehementer oderant, silentium impositum, dilutamq; de mortuorum resurrectione quæstionem, conuenerunt de integro Pharisæi, consiliumq; inierunt, quomodo Christũ illaqueare sermone, reũq; mortis accusare possent.

Nihil igitur apud Pharisæos promouerunt diuinæ conciones, & inaudita Christi miracula?

Nihil prorsum. Nam quæ radices in animis egit malicia, sinit ad tempus sese tractari, sed nunquam curari. Quo magis ueritas prædicatur animorũ obdueratorũ atq; præfractorum hominib. tanto duriores ceruices euadunt, qui uocantur in actis à D. Luca Σκληροτράχηλοι. Apud eiusmodi farinæ mortales nihil ipse Christus, nihil unq boni potuit efficere discipuli. Et nostra tẽpestate Pharisæi

suis sensibus relinquendi, patienterq; ferendi sunt. In libro uitæ sunt illorum nomina scripta, qui Christum audituri sunt atque secuturi. Et non uulgaris est, neq; protrita res, sed auis admodum rara uerus Christianus: Nam multi uocati, pauci uerò electi. Nihilominus tamen etiam ad fastidium odiumq; de peccatis arguendi sunt & reprehendenda uicia, taxandaq; crimina: sic Christus ante suam passionem obtestatus est illud, uæ, liberrimeq; corripuit delictis absorptos.

Quibusnam in rebus consistebat consiliorum Pharisaicorum ratio?

In quæstionibus tribus, quarũ prima fuit: Quidnam Christo proponendum esset? Altera, quisnam ea legatione fungi deberet, utrum unus an plures? Nonnulli enim censebant obruendum fore Christũ multitudine, deterrendumque numero. Alij iudicabant satius esse, unum eligendum, qui cum Christo descenderet in disputationis aream, ut ex unius victoris encomio laudem consequerentur omnes, uicti autem ignominia permaneret apud unum solum. Tertia: Qua forma, uel quo modo quæri deberet? Vtrum Christus interrogandus amicè, & humaniter, an uerbis inclementibus attentandus, circumueniendusq;? Multis igitur uerbis ultro citroq; habitis, subornarunt hunc legis doctorem, ac demandatis

derunt, ut cum Christo familiariter ageret, & de lege sagaciter interrogaret.

Quomodo igitur interrogabat?

Magister, inquit: Quod est magnum mandatum in lege. Christum appellabat magistrum, cùm tamē uti noluerit eius disciplina, & quærebat maximū præceptum, cùm nunq̄ obseruauerit minimum.

Quid respondebat Christus?

Ex quinto libro Mosis, Deuteronomij 6. respondit, inquiens: Diliges dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & tota anima tua, & in tota mente tua. Hoc est primum & magnum mandatum. Secundum autem simile est huic: Diliges proximum tuum sicut teipsum: in his duobus mandatis, uniuersa lex & Prophetæ pendent.

Hoc nimis capax est, nimiūq; multa complectitur præceptum.

Difficile dictu: Nam in eo tota licet hominis uita occupata, uix tamen id à limine salutare, uel extremis (quod aiunt) digitis poterit attingere: non enim nudis uerbis trāsigi uult, sed efflagitat, requiritq; totum cor, sensum, animum, uoluntatem, uerba & opera. Hæc omnia consentiant oportet, ut quod uerba loquūtur, id approbent ex intimo cordis recessu profecta opera, aliàs hypocritica fuerit simulatio, aut dealbati parietis tectoria. S. Paulus ait Rom. 7. Scimus quòd lex spiritualis est, non igitur

tur huic respondetur aut satisfit carnalibus operibus: ergo spiritum exposcit, omnes exigit affectus, totasq; cordis uires imperiosa requirit. Iam si cordis totius omnes affectus in amorem Dei deducere debemus, & intendere, nos oportet habeamus ueram atq; rectam fidem, quæ pendet ex nulla prorsum creatura, sed tota penitus ex Deo solo, nempe summo bono. Verùm eiusmodi fidem habere non poterimus, nisi nobis eam Spiritus sanctus per Dei Verbū dederit, quam assecuti, facimus omnia non coacti, nec inuiti quæcūq; requirit à nobis lex utriusq; tabulæ. Cum primis enim Deo domino nostro confidimus atq; credimus, nos non meritis nostris, sed diuina sua gratia propter Iesum Christum saluos futuros: deinde proximum, ut nosipsos diligimus, in omnibus necessitatibus inseruientes illi, semper quod eidem placet, facientes, quod autem displicet, nedum officit intermittentes.

Quid significat Deum ex toto corde diligere?

Quemadmodum cor primum est principiū uitium uitalium, sic affectuum etiam omnium, & sensuum, & cogitationum. Vult igitur hoc præceptum, ut affectus omnes nostri, sensus atque cogitationes in Deum, ueluti unicum certissimumque scopum directa sint & intenta, non in aliam ullam deflexa creaturam. Ille Deus unus noster

tos

tos uult, aut totos non uult, qui non patitur, ut sibi media nostri pars seruiat, & altera medietas mundo.

Quid significat Deum in anima tota diligere?

Anima hominis uita est. Docet igitur Deum per totam uitam nostram diligendum esse, non per aliquot dies, menses, uel annos, sed indesinenter per omnia continuata uitæ nostræ tempora.

Quid significat Deum in tota mente, totisq; uiribus diligere?

Significat Deum esse diligendum nostris omnibus corporis totius & animæ uiribus, totis sensib. externis & internis, totis ingenij rationisq; facultatibus, totis denique cogitationibus, uerbis & operibus nostris, ut nulla prorsum, uel in cœlo, uel in terris creatura sit, quã Deo præponere, aut supra Deum uelimus diligere.

Quid significat, diliges proximum tuũ sicut teipsum?

Hoc est, in cunctis necessitatibus, paupertate, morbis, ærumnis, cæterisq; tentationibus & afflictionibus omnibus adesse proximo debemus, & auxiliari, eiusq; res omnes suscipere nõ aliter, ac si nostræ essent, et quæcunq; cordi sunt illi, facere, quæ odio, relinquere, iuxta illud Matth. 7. Omnia quæ

cunq; uolueritis ut faciant uobis homines, sic & facite illis, hæc enim est lex & Prophetæ. Q. d. Quicunq; secundum hoc præceptum egerit, totumq; uitæ suæ cursum direxerit, is totam habet legem, & prudentior omnib. iurisperitis, nemini uim infert, nec aliquem iniurijs afficit. Contrà, quicunq; iuxta illud uitam suam non instituerit, is nemini fauebit, nec benefaciet, habiturus contra se uelut acerrimum hostem, propriam conscientiam, deinde Mosen, Prophetas omnes, postremò Christũ cum omnibus fidelibus, à quibus, tanquã legum omnium trãsgressor, condemnabitur.

Quis alteram protulit quæstionem?

Congregatis Pharisæis interrogauit eos Iesus, dicens: Quid uobis uidetur de Christo? Cuius filius est? Quoniam illi quodnam esset in lege præceptũ maximum interrogauerant, uicissim eos quærebat Christus, quænam esset in Euangelio maxima consolatio, subindicans multo satius illis atq; salutarè magis fuisse, si quæsiuissent de Christo, per quem pij, iusti atq; salui potuissent euadere, quàm de Mose atq; lege, quæ nihil aliud facit, quàm ut operetur iram, et multa imperet, non tamen elargiatur spiritum, cuius auxilio possint illa compleri. Tota Pharisæorum quæstio fuit de rebus non necessarijs, uelut de manuum aut uasorum lotione, de uestimentis

inducendis, et consimilibus, sed aberrantes à dianus, nihil inuestigabant, quomodo possent ad fidei iustitiam peruenire, & quomodo uincere Sathanam, mortem, peccatum, & infernu, & quomodo denique Christum cognoscere. Ergo quæstionem hanc cime de Messia Christus propoſuit, & ſubindicauit, interrogationem de lege, parum frugiferam, ſed omnium utiliſſimam de Euangelio Christi, quæ Dei potentia eſt ad ſalutem omnibus credentibus, Iudæis ſimul ac Ethnicis.

Quid peculiariter interrogabat Christus?

Non quærebat, an Phariſæi crederent Meſſiam uenisse, nam nouerant ex Prophetis, nec interrogabat an crederent illum è progenie Dauid orituꝝ, nam & hoc ipſum non ignorabant: ſed utrum Meſſiam arbitrarentur filium eſſe Dauid, hoc eſt, meorum ſimplicemque hominem, an Dei filium, uerumq; Deum.

Quid Phariſæi reſpondebant?

Dixerunt ei: Dauidis filius, hoc eſt, homo, nõ Deus. Hæc eſt opinio & Iudæorum fides: qui licet habeant clariſſima ſcripturæ teſtimonia, Ieſum Nazarenũ eſſe Deum & hominẽ comprobãtia, tamen uenenatũ odium inſitũ animis tam atrox, tantaq; cæcitas & obduratio cordium horribilis illis inſidet, ut non Moſi, nec Prophetis, neq; Pſalmis credant.

Quo

Quotum hic Pſalmum adduxit Christus?

Centeſimum decimum, quem Dauid de regno Christi cecinit, quomodo uictoria potiturus, atque triumphaturus eſſet, cuius autoritate ſemel adhuc ante paſtionem ſuam Iudæos uoluit ad pœnitentiã adhortari. Q. d. Antiquũ obtinetis, nondum à conſueta ueſtra malitia receditis, oẽs artiũ ueſtrarum ſinus excutitis, fraudes, inſidiaſq; ponitis atq; ſtructis, ut me capiatis et perdatis, ſed ipſi fallemini, captantesq; capiemini, qui me non tam facile, quemadmodum ſperatis, oppreſſuri eſtis, ſed potius uiſuri ſedentem à dextris, factum cœli atque terræ dominum, & experturi uos, ſi perſeueraueritis in peccatis, ſcabellum pedum meorum.

Totũne Pſalmũ Christus aſſumpſit?

Non, ſed primos tantùm duos uerſus, inquiens: Quomodo ergo Dauid in ſpiritu uocat eum Dominum, dicens? Dixit dominus dño meo ſede à dextris meis: Donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum. Q. d. Homines non ſolent ſuos filios appellare Dños, niſi dignitate et poteſtate præcellãt, & Dauid rex fuit Iſrael, qui ſuperiorem excellentioremq; non habuit in tota Iudæa. Ergo Pſalmus hic non poteſt de filio Dauidis intelligi, cùm patre non fuerit maior, aut ſublimior, ſed de filio Dei tantùm. Et Dauid eundem Pſalmum, non

huma

humano ingenio, ratione, uel prudentia productũ composuit, sed diuini spiritus instinctu. Cùm igitur de Christo prolatum approbet spiritus sanctus, & Christus idem confirmet, quis hoc refutare, & aliorsum audeat detorquere?

Quæ uerba sunt prioris uersus?

Dixit dominus domino meo sede à dextris meis.

Quid ea uerba significant?

Dominus, inquit, meus Christus, non seipsum exaltando regem aut dominum fecit, quemadmodum ambitiosi solent, qui se per uim aut largitiones imperijs ingerunt intruduntq; sed Dominus atq; Rex factus est imperio cœlestis patris. Quapropter diligenter attendite, uos qui potentes estis, & perspicite quomodo uestris potestatibus, & publicis functionibus utamini. Vos in sua manu Christus habet, qui si potestate uestra fueritis abusuri, & in pauperes exercituri tyrannidem, uos depositurus est de sede, & ab equis ad asinos detrusurus, & uobiscum acturus, ut cum rege Pharaone, Saule, Antiocho, Herode, & cum reliquis.

Quid significat sede à dextris meis?

Hoc est: Filius meus es, & Deus cum Deo, sede igitur à dextris meis, sis Dominus, sis Rex atq; Sacerdos in æternum, tam latum longumq; tuum sit imperium atq; regnũ, quàm meum, dominare creaturis omnibus, quæ sunt in cœlo uel in terra, quoniam tuum est regnum & potentia in secula seculorum, quod ipse Christus etiam confitetur, Mat. 28. Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra.

Quænam uerba sunt alterius uersus?

Sede à dextris meis, Donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum. Q. d. Fili, tantisper dominare, dum ego tuos inimicos carnales, & spirituales, ut Sathanam, mortem & inferna præcipitem, dejciam, & ita prosternã, ut per æterna secula sint scabellum tuorum pedum.

Sed ea terribilia sunt dictu & auditu.

Nimirum: Nam qui semel à Deo fuerint deturbati, & facti scabellum pedum Christi, nunq̃ poterunt ad gratiam aspirare: quippe terrenorum dominorum iram aliquis poterit declinare uel effugere, aut Dominũ clementiorem alium quærere, sed cui Deus irascitur, huic etiam infestæ sunt omnes creaturæ, nec potest elabi, positus in scabellum pedum Christi, supplicijs iugibus afficiendus, dum sederit atque rexerit ipse, hoc est, per æterna secula, nam regni eius non est finis, Lucæ 1.

Quid præcipuè discemus ex hoc Euangelio?

Ista potissimum tria. Primum: Quòd Christus Dominus noster sit, Dei patris æterni filius, in na-

in nouissimis temporibus homo factus de semine Abrahæ atque Dauidis, qui nos qui fuimus in prima generatione Adami casu perditi, regenerauit, reparauit, redemit, et de potestate diabolica, mortis, peccati & inferni liberauit, Sathanam uicit, mortem sustulit, infernu deuastauit, cœlos aperuit, atq; patri cœlesti reconciliauit.

Secundum: Quòd Christus sit rex noster, qui nos in hoc peruerso mundo sustentat, tuetur, ac protegit ab omnibus inimicis nostris, corporalibus et spiritualibus: defendit etiam ab omnibus malis corpora simul ac animas nostras.

Tertiũ: Quòd summus noster sit Pontifex, cuius sanguine mundati sumus ab omnibus peccatis. Item noster apud Deum patrem aduocatus, intercessor, atq; mediator, bona pro nobis loquens, & gratiã misericordiamq; diuinam impetrans, qui nos post hoc seculum ad sese recepturus cum omnibus electis, atq; daturus uitam æternam. Amen.

DOMINICA DECIMANONA post Trinitatis, Euang. Matthæi IX.

ET ingressus nauem, traiecit ac uenit in suam ciuitatem. Et ecce adduxerunt illi paralyticum in lecto decumbentem. Cumq; uidis-

uidisset Iesus fidem illorum, dixit paralytico: Bono animo esto fili, remittuntur tibi peccata tua: Et ecce quidã è scribis dicebant intra sese: Hic blasphemat. Et cùm uidisset Iesus cogitationes illorũ, dixit: Quare uos cogitatis mala in cordibus uestris? Vtrũ enim est facilius dicere, remituntur tibi peccata, an dicere, surge & ambula? Vt autem sciatis, quòd potestatẽ habeat filius hominis in terra remittendi peccata, tunc dicit paralytico: Surge, tolle tuum lectum, & abi in domum tuam. Et ille surrexit, abijtque in domum suam. Turbæ uerò quæ uiderant, admiratæ sunt, & glorificauerunt Deum, qui dedisset potestatem talem hominibus.

Quænam in hoc Euangelio tractantur?

Ista tria. Primò Christi profectio traditur è regione Gergesenorum, ad ciuitatem suam Capernaum. Deinde præbetur exemplum fidei in Paralytico, atq; uiris, & exemplum uenenati Pharisæorum odij. Postremò, quam habet Paralyticus, allegoria demonstratur.

Quomodo contigit Christi profectio?

Sic scribit Matth. cap. 8. Cùm uenisset ad ulteriorem ripam in regionem Gergesenorum, occurrerunt ei duo dæmoniaci, è monumento egressi, erant autē sæui supra modum adeò, ut nemo posset trāsire per uiam illam. Et ecce uociferabantur, dicentes: Quid rei nobis tecum est Iesu fili Dei? Venisti huc ad cruciandum nos ante tempus? Erat autem procul ab illis grex porcorum multorum pascens. Dæmones uerò rogauerunt eum, dicentes: Si eijcis nos permitte nobis, ut deuigremus in porcorum gregem, & ait illis: Abite. Illi uerò egressi abierūt in gregem porcorum, et ecce ferebatur totus grex porcorum per præceps in mare, & perierunt in aquis, porrò qui pascebant aufugerunt, & digressi in ciuitatem, renunciauerunt omnia, & quid accidisset dæmoniacis. Et ecce tota ciuitas exiuit in occursum Iesu, et cùm uidissent illum, rogabant, ut de-

cederet à finibus suis. Ingressus igitur in nauim traiecit, ac uenit in suam ciuitatem.

Cur suā ciuitatē Christus appellabat?

Non ideo suam dicebat, quòd in ea domum haberet, aut propriam mansionem, sed quòd sæpius inibi prædicauerit Dei Verbum, ædiderit q; multa miracula, quæ cùm ingrata esset, nec agnosceret in se collata beneficia, nunatus est ei, Matth. 11. Væ tibi Capernaum, quæ es usq; ad cœlum exaltata, usq; ad inferos detraheris, quoniam si in Sodomis ædite fuissent uirtutes, quæ ædite sunt in te, mānsissent usq; in hodiernum diem.

Cur sæpius mare traijcere, & cur sæpius in solitudines concedere solebat Christus, & orare?

Ea consuetudine Christus non uoluit confirmare Carthusianorum, aut Eremitarum solitariorū ordines statumq;, aut hominum esse fugienda commercia, sed secedere solebat, ut cum maiore utilitate, fructuq; rediret, aucto sui desyderio. Nam cùm in locum aliquem desertum Christus semel se recepisset, statim omnes homines requirebant eum, ardentiore audiēdi auiditate capti. Sic ex eremo iam Capernaū redijt, tanta cum authoritatis dignitate, ut non modò plebeij, sed etiam omnes summi Pontifices, Pharisæi, atq; Scribæ è Galilæa atq; Iudæa cō-

fluxerint, acceleraverintq; ad illum audiendum?

Quid accidit Capernai?

Sic scribit S. Marcus cap. 2. Et iterum intravit Capernaum, & auditum est, quòd in domo esset, & protinus congregati sunt multi, adeò ut iam nõ caperent eos nec illa loca, quæ erãt circa ianuam, & loquebatur eis sermonem, sanabat ægrotos, ut rijsque detentos morbis, quorum in numero fuit & hic paralyticus.

Per quos uenit ad Christum Paralyticus?

Veniunt ad eum, inquit idem Euangelista, ferentes paralyticum, qui à quatuor portabatur in grabato, confidentibus illum à Christo curatum iri.

Vnde colligitur uirorum portantium fides?

E magno studio atq; diligentia, qua curã Paralytici susceperunt, oẽm laborem molestiamq; subeuntes, ut misero decũbenti prodesse nt. Sublatũ igitur cum grabato portarunt, & cùm non potuissent appropinquare Christo præ turba, nudauerunt tectũ ædium in quibus erat, perfossoq; tecto, funibus demiserunt grabatum, in quo paralyticus decumbebat. Quòd si nõ credidissent diuina Christi potentia sanatum iri Paralyticum, nõ tantopere laborassent atq; soliciti fuissent de ualitudine eius, cuius morbus uidebatur uix sanari potuisse.

Cur

Cur ita?

Quoniã Paralysis est eiusmodi morbus, quo correptus homo, non procul abest, nec multum differt à mortuo, resoluit enim omnia membra, & prorsum inutilia reddit. Sed hij uiri non consyderarunt morbi magnitudinem & atrocitatem, sed potius promptißimam, ad auxilium afflictis ferendum, Christi potentiam, qua multos ægrotos, cæcos, claudos, surdos, atq; mutos nouerãt curatos. Hanc igitur fidem Christus respiciens, duplici paralyticum est prosecutus beneficio summo, cui simile non poterit totus conferre mundus.

Quodnam erat prius beneficium?

Prius erat, quo Christus paralytico peccata remisit, iustumq; fecit atq; beatũ. Alterũ, quo sanitatem corporis dedit. Quid iam in terris melius esse poterit atq; felicius, q̃ sanum corpus, & animã sanam habere? Quid opes huius mundi profuerint, quid grandis cõgesta pecunia, si non adsit anima sana, in corpore sano? Et quid proderit magna potentia, quid dominationes? quid omnes denique totius orbis diuitiæ, si non propitium atq; misericordem habuerimus Deum, & per eius inclementiam anima fuerit in summũ adducta periculũ. Quapropter in iis sensibus reponere debemus atq; resoluere summã, quam producit uera fides, utilitatem, quæ non soli um ei, qui credit, sed etiam alijs maximo est usui.

Huius ne rei possunt exempla proferri?

Loth homo pius & iustus, credidit confisusq; fuit Domino. Hinc etiam angeli apprehenderunt manum eius, & manum uxoris, et duarum filiarũ eius eò quòd parceret Dominus illi: eduxerunt eum & posuerunt extra ciuitatem, ibiq́ locuti sunt ad eum: Salua animam tuam, noli respicere post tergum, pluet enim Dominus super Sodomam & Gomorrham sulphur & ignem, &c. Item preces eius Dominus suscipiens, non subuertit urbem Segor, pro qua locutus erat, sed pepercit urbi, et omnibus incolis, Geneseos 19. Item, quoties Dominus filijs Israël pepercit, propter Mosis iustitiam? Et in summo tempestatis periculo Dominus animas ducẽtas & septuaginta sex sancto Paulo donauit, Actorum 27. Et Dominus dixit Abraham: Iuxta preces tuas non delebo Sodomam propter decem inuentos inibi iustos. Item Ægyptiacos multis affecit beneficijs Deus propter Ioseph uirum iustum. Et Syris propter Naaman.

Cur ergo Dominus Ezech. 14. ait: Si tres isti uiri, Noe, Daniel, & Iob, fuerint in medio eorũ, non liberabuntur?

Quòd si iustitiam hominum, merita & opera uoluerimus respicere, non poterimus ipsi nos adiuuare,

uare, nedum alios: At si consyderauerimus Deò promissiones, quibus pollicetur se iustorum, bonorumq; credentium preces exauditurum, Psa. 145. possumus inuicem auxiliari, & per nostras orationes pias gratiam impetrare nobis & alijs. Cur enim Deus præcepisset diligendum proximum, & pro inimicis orandum? Et cur apud Prophetam quereretur neminem inueniri, qui se ueluti murum poneret inter Deum, & Israëlem. Cæterum hoc uerissimum est, nullam fidem, neq; piorum intercessionem ibi prodesse uel adiuuare, ubi pœnitere nescij uiuunt impij, & obstinatos animos habentes blasphemi, atque ueritatis osores, ac contemptores.

Quanam re charitas in hoc Euangelio Christi cognoscitur?

Propensa eius bonitate, qua misericorditer paralyticum à grauissimo liberauit morbo.

Quid in paralytici curatione faciebat?

Præstitit quatuor. 1. respexit fidem illorum, qui in lecto decumbentem adducebant. 2. propriam in Paralytico fidẽ requisiuit, non contentus aliena fide. Hæc quidẽ ægrotos atq; peccatores ad Deũ poterit adducere, sed opus habituros propria fide, si modo saluari debeant. Ergo Christus ait Paralytico: confide, bonoq; animo esto fili, remittuntur

tibi peccata tua. 2. Non requisiuit mortuam, sed uiuam fidem, quæ confitetur Christum esse filium Dei, non qualem Pharisæi fingebant, nempe Christum hominem merum, quemadmodum colligimus ex eorum uerbis, quibus dicebant: quomodo potest hic peccata remittere? blasphemat. 4. Peccata remisit, inquiens: Remittuntur tibi peccata tua.

Quid ad hæc Pharisæi?

Cogitabant in cordibus suis? Quid hic sic loquitur blasphemias? Quis potest remittere peccata nisi solus Deus? Hic rursus inueteratum odium, tartaream q; suam prodiderunt maliciam Pharisæi, qui Christum calumniabamur ut blasphemũ, quòd, cùm esset homo, peccata remitteret, criminabantur, cùm ipsi peccatorum remißionem quærant ex operibus humanis atq; meritis utpote ieiunijs, orationibus, & consimilibus cæremonijs, ac traditionibus hominum. Quod qui faciunt, Deo honorem & gloriam detrahunt, atq; diuinitatem proprijs meritis asscribunt, festucam in alterius oculo uidentes, non autem in proprio trabem.

Quid præterea Christus agebat?

Hocéine miraculum alijs duobus confirmauit. 1. Euidenti deitatis argumento, quo cognouit spiritu suo, quòd sic cogitarent intra se: dicit igitur illis: Quid ista cogitatis in cordibus uestris? Vtrum facilius

facilius est dicere Paralytico: remittuntur tibi peccata, an dicere: Surge & ambula. 2. Paralyticum hunc non modo restituit atq; curauit ita, ut surgeret & ambularet, sed etiam sublato grabbato sit egressus in conspectu omnium adeo, ut stupefacti sint omnes.

Cur in hoc miraculo Christus totusus circunstantijs?

Vt diuulgatum omnib. innotesceret, dispergeretur q; per totum mundum. Principiò Paralyticus per omnia membra debilis, claudus, & inutilis, adeo, ut à quatuor portaretur, in uniuersi conspectu populi. Deinde perfosso tecto uiderunt omnes demitti, coacti nouitatem rerum admirari, & expectare stupendum exitum. 3. Cùm omnis populus arrectis auribus, & animis attentis astaret, dixit Christus Paralytico: Bono animo esto fili, remittuntur tibi peccata tua. Quibus uerbis de integro præbuit occasionem disputandi, ita ut ingens inter eos murmur fuerit obortum. Postremò cùm expectarent omnes, quid euenturum esset, iußit Paralyticum surgere, & ambulare, & statim surrexit, sublatoque grabbato egressus est in cõspectu omniũ. Hic rursum procul dubio populus diligenter attendit: omniaq; perspexit, atq; sanato Paralytico de uia discessit. Quæ omnia Christus

Ideo fieri curauit, ut obdurati, occæcatiq; Pharisæi, in totius populi conspectu confunderentur, & pudefacti cogerentur fateri, ea quæ Christus miracula fecisset, non humana, sed penitus diuina esse. Quemadmodum etiam turbæ, quæ aderant admiratæ sunt, & stupentes ad maiestatem diuinam glorificauerunt Deum, dicentes: Nunquam sic uidimus.

Quid potissimum ex hac præsenti discemus historia?

Principiò, ut in omnibus tribulationibus nostris indubitatã spem atq; fiduciam habeamus in Deo Domino nostro, nec ambigamus, quin nobis quoque diuinam eius opem implorantibus sit auxilio futurus. Deinde ut proximo nostro benefaciamus, quẽadmodũ hij uiri Paralyticum portantes. Oportebit nos proximi curam suscipere, si modo uolueri mus à Deo nos exaudiri. 3. Vt pro beneficijs in nos collatis gratias agamus, & cum hoccine populo glorificemus Deum.

Quid significat Paralyticus?

Denotat omnem hominem quem incredulitas, ingratitudo, cæteraq; maxima flagitia corripuerunt. Quemadmodum enim Paralysis inutiles facit hominis neruos, debilitat & resoluit membrorum compages, & omnes denique uires exhaurit, sic incredulitas

incredulitas Paralysis spiritualis hominem facit in omnibus membris ineffic acem, & inutilem ad omnia opera bona, ut oculos auertat à pauperibus, aures occludat Dei uerbo, pedes & manus extrahat à ministerio proximi, pauperumq; uisitatione.

Quinam intelliguntur per eos qui Paralyticum portarunt?

Verbi diuini prædicatores. Quemadmodum enim hic Paralyticus non compos uirium, nec operum omnino perijsset, si non uirorum auxilio deportatus fuisset ad Christum: Ita peccatores omnes, in delictis morerentur, si non salutaribus ministrorum uerbi diuini doctrinis erecti, perducerentur ad Christum, & Ecclesiæ precibus apud Deum adiuti in uiam ueritatis reuocarentur. Sed oportebit ægrotos se capaces atq; participes intercessionum facere, et ipsos etiam orare, ueniam petere, gratiam diuinam exposcere, & ad Dei denique uerbum uitam omnem instituere. Quòd si non fecerint, oleum perdetur & opera.

In quonam consistit huius Euangelij scopus, aut fundamentum?

In hisce Christi uerbis: Bono animo esto fili, remittuntur tibi peccata tua. Nam cuius auribus insonant ista consolatoria Christi uerba, & eadem homo

homo corde credente suscipit, adhibita uera peccatorum pœnitentia, atque contritione, quemadmodum in confessione debet euenire, absolutionem itẽ à confessore, uelut ab ipso Christo prolatam assumit, eius cor sentiet ueram consolationem, pacem, atq; gaudium. Cùm igitur eo modo pacatum fuerit cor, & conscientia per confessionem uerè lætificata, statim erumpent boni fructus, nempe ut homo per fidem Deum laudet atq; glorificet, & pro beneficijs acceptis gratias agat. Deinde ut fidei fructus, hoc est, opera misericordiæ pauperibus exhibeat, ostendatq; proximo charitatis omnia officia. Postremò irreprehensibilem ipse uitã exigat, carnem mortificando, & in nouitate spiritus ambulando, præbiturus ita cunctis bonum exemplum, quod imitentur. Quam Christianam uiuendi rationem, regni cœlestis dilatatio sequitur, incrementũ fidei, diuina benedictio, & uita æterna, Amen.

DOMINICA VIGESIMA POST Trinitatis, Euangelium Mat. 22.

SImile factum est regnum cœlorũ homini regi, qui fecit nuptias filio suo, & misit seruos suos, ut uocarent inuitatos ad nuptias: &

& nolebant uenire. Rursus emisit alios seruos, dicens: Dicite inuitatis: Ecce prandium meum parau i, & tauri mei & altilia mea mactata sunt, & omnia parata, uenite ad nuptias. Illi autem neglexerunt, & abierunt, alius in uillam suam, alius uerò ad negotiationẽ suam. Reliqui uerò tenuerunt seruos eius, & contumelijs affectos occiderunt. Rex autem cùm audisset, iratus est, & missis exercitibus suis perdidit homicidas illos, & ciuitatem illorum succendit. Tunc ait seruis suis: Nuptiæ quidem paratæ sunt, sed qui inuitati erant, non fuerunt digni. Ite ergo ad exitus uiarum, & quoscũque inueneritis, uocate ad nuptias. Et egressi serui eius in uias,

con

congregauerũt omnes quotquot inuenerunt, malos pariter ac bonos, & impletæ ſunt nuptiæ diſcumbentibus. Ingreſſus autem rex ut uideret diſcumbentes, ubi uidit illic hominem non ueſtitum ueſte nuptiali, ait illi: Amice quo modo huc intraſti, non habens ueſtem nuptialem? At ille obmutuit. Tunc dicit rex miniſtris: Ligatis manibus & pedibus eius, mittite eum in tenebras exteriores, ibi erit fletus & ſtridor dentium. Multi enim ſunt uocati, pauci uerò electi.

De quonam præſens hoc Euangelium dicit?

De homine rege, qui fecit filio ſuo nuptias, & uocauit multos, qui nolebant uenire. Quando quidem autem Chriſtus hanc parabolam dixit ad homines impios, ſummos Sacerdotes, Phariſæos, atq; Scribas

Scribas, utitur condignis uerbis, nempe duris, & aſperis, minaturq; grauiſſimas pœnas, præterea crudeliſſimo capitalis ſententiæ iudicio condemnat eum, qui non habuit ueſtem nuptialem. Duo autem præcipuè ſunt in hac parabola obſeruatu digna, nẽpe, quod à Deo proiecti ſint Iudæi, & gentes electæ, hoc eſt, defracti rami oleæ, cuius radicis & pinguedinis cõſortes oleaſtri facti, inſitiq; Ro. 11.

Quiſnam intelligitur per Regem?

Deus Pater cœleſtis, qui Rex regum diues in omnes, filio ſuo Ieſu Chriſto ſplendidiſſimas apparauit nuptias, & per nuntios atq; ſeruos ſuos accerſiuit, uocauitq; Iudæos ſimul ac gentes.

Quid per nuptias intelligendum?

Per nuptias accipe gratioſam Euangelij ſancti prædicationem, imò Chriſtum ipſum, uerum, qui in hiſce nuptijs apponitur, cibum exiſtentẽ. Nam corpore & ſanguine ſuo iuxta promiſſiones Euangelicas paſcit animas credentium uerus ille paſtor atq; ſaluator, qui nos ſua paſſione atque morte liberauit à poteſtate Sathanæ, mortis, peccati, & inferni. Quæ ſalutaris de Chriſto prædicatio ſunt opiparæ iſtæ nuptiæ, ad quas à Deo uocati per uniuerſum terrarum orbem conuiuæ. Qui autem ueniunt mundificantur per baptiſmum, fidei ue-

stimentis comuntur atq; consolatione sacramentorum eriguntur atq; confortantur. Et ita procurãtur omnia, ne quid desit, sed plenissima diuinis gratiæ simul ac benedictionis dotibus exuberent omnia, ut homines omnes exaturati gaudeant atque lætentur.

Quinam serui?

Sunt Prophetæ sancti, & Apostoli qui conuiuas ad sacrosanctam Euangelij prædicationem uocant.

Quinam conuiuæ?

Ab initio uocati Iudæi fuerunt, & Israël uniuersus ab Adam, Patriarchis, Regibus, Iudicibus, Sacerdotibus, atq; Pontificibus, usq; ad Ioannem Baptistam. Etenim benedictum illud semen Iesus Christus Adæ fuit promissus, Genes. 3. Deinde Abrahamo, Isaac & Iacob. Et Hanc promissionem semper Prophetæ concionantes repetiuerunt, inculcaruntq; populo tantisper, dum ipse sponsus uenisset, quem digito Ioannes demonstrauit, inquiens: Hic est agnus Dei, qui tollit peccata mundi.

Quinam tauri sunt, & altilia?

Consolationis plenissima scripturarum sacrarum eulogia, quæ nostras animas salubriter reficiunt, atque consolantur. Etenim quod sanctus Paulus ait: Abraham credidit Deo, & imputatum est illi ad iusticiam: Item quod Abacuc, iustus ex fide uiuet, hæc optima illa sunt altilia mactata, ad quæ uocat Christus, inquiens, Matthæi. 11. Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, & ego reficillabo uos. Item, non ueni ad uocandum iustos, sed peccatores ad pœnitentiam. Item Esaiæ 42. Calamum quassatum non conteram, nec linũ fumigans extinguam. Hæ sunt pingues illæ ferinæ, delicata fercula, dapes prælautæ, deorũ (quod aiunt) cibus, medullaq; mellis. Hæc sunt optima illa condimenta, quæ conseruant in omnibus ærumnis ipsos credentes, sed infidelibus nihil omnino profutura.

Quid uocati faciebant?

Illi neglexerunt & abierunt alius in uillam suam, alius uerò ad negociationem: Reliqui uerò tenuerunt seruos eius, & contumelijs affectos occiderunt. Mundus non aliter facit. Etus enim qui salutem quærit, & ex animo fauet inimicus est, sed qui naribus trahit, circunducit, & palpum obtrudit, amicus. Tolerabilius fuisset factum, si uocati simpliciter sese excusassent, quemadmodum illi Lucæ. 14. quitamen horribilem illam attulerunt sententiam: Dico uobis, quòd nemo uirorum illorum qui uocati sunt, gustabunt cœnam meam. Sed hij non excusarunt sese uerbo simplici,

sed contempserunt & contumelijs affectos occiderunt seruos, quod Deus non poterat diutius impunitum relinquere.

Qui nam sunt in uillam abeuntes?

Summi Sacerdotes atq; Leuitæ. Nam hosce Di. Paulus agricolas & architectos appellat. Qui noluerunt ad Euangelium accedere, prætexentes agriculturam suam, hoc est, legem Moysi, templum, ceremonias, atque Dei cultum. Hos in excusationem agros adduxerunt, quos essent coacti colere, serere, plantare, rigare, summaq; diligentia curare, ut nequiuerint Euangelio uacare.

Quinam sunt abeuntes ad negotiationem?

Bellua multorum capitum populus, fœneratores, & homines insignes auaricia.

Mille horum species et rerum discolor usus,
Velle suum cuiq; est, nec uoto uiuitur uno.

Qui dies atq; noctes id unum agunt, & curant, ut ditescant, qui dolis, fraudibus & impostoris circunueniunt proximum, illud Satyrici fixum in animis habentes:

Tunicam mihi malo lupini,
Quàm si me toto laudet uicinia pago,

Quibus lucri bonus est odor è re qualibet. Contemnunt igitur Euangelij ministros, nihil cogitantes

tes, quod S. Paulus dicit. 1. Timoth. 6. Nihil intulimus in mundum, uidelicet nec efferre quicquam possumus, sed habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti erimus. Cæterum qui uolunt ditescere incidunt in tentationem, & laqueum, & cupiditates multas stultas ac noxias, quæ demergunt homines in exitium & interitum.

Quinam sunt, qui seruos contumelijs affectos occidunt?

Tyranni, qui uerbum Dei persequuntur, Euangelijq; concionatores occidunt. Sic Manasses Esaiam, Ioakim, & Hieremiam trucidauit, sacerdotes Vriam, Herodes Iohannem, Cayphas, summiq; sacerdotes sanctum Stephanum.

Vtuntur ne adhuc Christiani talibus excusationibus?

Maximè. Nam cùm religiosi, & proceres Ecclesiastici uocantur ad Euangelicam ueritatem excusant sese, dicentes: Vera quidē sunt, quæ prædicat Euangelium, sed iuramēto sumus astricti Papæ, atq; sedi Rom. ut non oporteat nos ab Ecclesia Romana deficere. Et plebeij doctrinam Euangelicam missam faciunt, uidentes quòd illam comitetur crux, afflictio, tentatio, paupertas, cōtemptio. Et potentes Euangelium & eius ministros sufferre non possunt, proprio fastui metuentes, impatientesq; reprehensionum. Veniunt ita pauci ad salu-

taves huius Euangelij nuptias.

Sed quid tandem euen-
turum?

Illis accidet, quod Iudæis, qui nimis etiam diu, nimisq; fortiter studijs & institutis suis adhæserunt, & seruierunt ita ut non ausi fuerint latum ab illis digitum discedere, idq; tamisper dum omnia unà cum ipsis (quod aiunt) manipulis amiserint, & ita perierint ipsis omnia, ut ne gluma quidem fuerit reliqua. Corruit enim totum regnum, interijt sacerdotium, & breuiter uniuersa cum hominibus dignitas atq; potestas. Sic euenturum Euangelij contemporibus quibus ea, quæ se putant habere prorsum eripientur, ut sunt potestas, opes, maiestas, etiam ea, quæ sperant sese consecuturos, è medio tollentur illis, ut sunt Dei gratia, fauor atque misericordia.

Quid autem Rex fa-
ciebat?

Cùm audisset contemptum atque contumelias, quibus affecti serui fuerunt, iratus est, et missis exercitibus suis, prodidit homicidas illos, & ciuitatem illorum succendit. Hoc cùm Hierosolyma deuastata fuit accidit, cumq; omnia inibi solo æquata sunt, ciuitas cum templo, & in uniuersum mundum Iudæi diuenditi, trucidati dispersiq;. Tũ Rex ait seruis suis: Nuptiæ quidem paratæ sunt, sed

qui inuitati erant, non fuerant digni. Ite igitur in exitus uiarum, & quotcunque inueneritis, uocate ad nuptias. Hic traxit exordium uocatio gentium, & Iudæorum reiectio.

Quid serui fece-
runt?

Egressi serui eius in uias congregauerunt omnes quotquot inuenerunt, malos pariter ac bonos, & impletæ sunt nuptiæ discumbentibus. Primum Christi mandatum quod Apostolis dederat, hoc erat Matthæi. 10. In uiam gentium non abieritis, in ciuitatem Samaritanorum ne ingrediamini, sed ite potius ad oues perditas domus Israël. Quo tempore uidebatur firma Christi sententia, decretumq; Matthæi. 15. Non sum missus nisi ad oues perditas domus Israëliticæ. Non est honestum sumere panem filiorum, & obijcere catellis &c. Atqui modò cùm aspernarentur Euãgelicam uocationem Iudæi, sententia mutata Christus ait: Ite in uiarum exitus, & quotquot inueneritis. Itẽ aliud præceptum discipulis dedit post resurrectionem Marci ultimo: Ite in mundum uniuersum, & prædicate Euangelium omni creaturæ. Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit &c.

Nonne Rex inuisit con-
uiuas?

Maximè. Ingressus enim Rex ut uideret discum-

bentes, ubi uidit illic hominem non uestitam ueste nuptiali &. Quod futurum est in nouissimo die, cùm grauissimo iudicio condemnati præcipitabuntur ad inferos omnes impij, & infideles, qui per hunccine, non redimitum ueste nuptiali, intelliguntur.

Quid est uestis nuptialis?

Est firma in Iesum Christum fides, & intima cordis in Deo fiducia. Hanc uestem primi parentes amiserunt, cùm Dei præceptum transgrediebãtur, atq; morem serpenti gerebant. Stabant igitur in Dei conspectu nudi atq; confusi, sed in Christum fides omnia tegit, quæ fuerunt mala designata per Adam.

Quid Rex homini dixit non habenti uestem nuptialem?

Ait illi: Amice quomodo huc intrasti, non habens uestem nuptialem? At ille obmutuit. Sic in nouissimo die euenturum est ijs, qui modò gratia plenissimam Euangelij prædicationem contemnunt, & suas uillas, atque negociationes habent in maiore pretio & honore, quàm Dei uerbum, proq; priamq; suarum animarum salutem atque fœlicitatem. Qui nullam spem neque consolationem uicissim experturi sunt eo tempore, quo ex hac uita migrare, ommaq; post se cogentur relinquere, uolentes tamen libenter in sponsi palatium ad nuptias admitti, cùm inuenturi ianuam clausam.

Quam rex de hoc homine sententiam protulit?

Dixit rex ministris: Ligatis pedibus & manibus eius, mittite eum in tenebras exteriores, ibi erit fletus & stridor dentium. Hæc breuia quidem uerba sunt, sed grauissimam austeritatem habentia. Potentissimi domini cùm irascũtur, pauciloqui sunt, sed quæ proferunt uerba, maximã uim habent atq; põdus. Et efficaciora sunt in eorũ animis opera, q̃ externa uerba, quæ protinus destinatæ suppliciorum pœnæ subsequuntur. Ita præsens hic rex mandat ministris, ut abreptum hominem in tenebras exteriores mittant manibus pedibusq; ligatis.

Quid significant manus atq; pedes?

Manus denotant hominum opera, pedes, studia & adfectus, quæ omnia per fidem purificata, semper in Deum atq; proximum dirigi debent. Ergo qui sic uiuit in mundo, quasi manus ligatas habeat, atq; pedes, ita ut nemini prosit, nec auxilietur, nec; cõsoletur, is post hãc uitã, ligatis in æternũ manib. atq; pedibus, in tenebras deturbabitur exteriores.

Quænam ex hoc Euangelio præcipue discemus?

Primò: Quòd Dei regnum nihil aliud sit, quàm

regales ueluti nuptiæ, epulæq; splẽdidissimæ, in quibus omnia gratis apponuntur, atq; sine pretio suppeditantur omnia quàm plena manu. Nulla uel optantur, uel accipiũtur munera, affatim omnia gratuita liberalitate conferuntur. Non quemadmodum in ueteri testamento contigit, ubi sic mandabatur: Non apparebit uacuus ante Dominum, sed offeret unusquisq; secundum quod habuerit holocausta, primogenita, uel decimas. Atqui in nouo testamento non est alia prædicatio, q̃ Venite, edite, bibite, splendidè uiuite, liberalissimus hospes atq; conuiuator ubertim omnia gratis, & hilariter administrat. Nihil desyderatur, adest omnis gratia, misericordia, remissio peccatorũ, & æterna uita. Solum hoc unũ nobis curandũ, ne sine recta fide ueniamus in reduli: nam multi uocati sunt, pauci electi.

Secundò: Quòd inter Christum atq; credentes spirituale sit cõiugum, & omnia cõmunia, ut quæ Christi sint, eadem nostra, & quæ nostra, illius sint uicissim. Nostra autem sunt peccata, crimina, flagitia, quæ Christus in se recipit, & permutatione facta, nobis donat suam innocentiam, gratiam atq; iustitiam pro nostris iniquitatibus, suam denique uitam pro merita nostra morte. Quandoquidem aũt Christi gratia multo maior est, q̃ peccata nostra, et eius iustitia potentior, q̃ iniquitates nostræ: & uita denique eius efficacior, q̃ nostra mors, oportet omnia

nostra

stra peccata, iniquitates, mortẽ atq; cõdemnationẽ in Christi gratia, iustitia, atq; uita prorsum euanescere, nõ aliter atq; scintillã ignis in immẽso mari.

Tertiò: Quòd habemus sponsum eiusmodi, qui Deus omnipotens, nos ab omnibus periculis defendere possit, qui nos à potestate diaboli, mortis et inferni liberauit, imò, sese pro nobis obtulit, passus amarissimã in cruce mortem, effusoq; suo pretiosissimo sanguine diluit omnia nostra peccata, sic ut apud Deum tuti iam simus, & extra omne periculum. Ergo si nostra peccata nos accusauerint, opponere modò poterimus alacriter innocentiã, iustitiã atq; gratiam nostri sponsi. Quòd si mortis truculentia nos exterruerit, statim nobis consolationi, et munimẽto erit uita Christi. Quòd si Sathanas, aut infernalis immanitas nos tentauerit, nobis præpotens auxilio futurũ erit Christi maiestas, regnũ, et æterna uita. Cùm aũt in Christo tantã cõsolationẽ habeamus, opera danda nobis erit, ut semper gratissimus, itaq; uiuamus, faciamusq; quod decet Christianos. Quenã huius Euang. summa?

Quòd si non habueris uestem nuptialem, hoc est, non fueris redimitus uera Christiana fide, atq; charitate, nec Dei Verbo cõfisus excesseris, & mugraueris ex hac uita, cõdemnaberis inæternũ. At si fueris exornatus illo sancto uestitu. i. credideris in Iesum Christũ, eamq; fidem probatã feceris atq; cõfir

mas

maueris ipsis factis, nempe bonis operib. charitatis & misericordiæ erga proximũ, et Verbo Dñi cõfisus ex hoc seculo migraueris, hæres æternæ uitæ futurus eris. Nam sic habetur Apoc. 14. Beati mortui qui in Domino moriuntur. Et Christus Ioan. 8. Amen dico uobis: Si quis sermonem meum seruauerit, mortẽ non uidebit in æternũ, in cõdemnationẽ non ueniet, sed transiuit à morte in uitam. Amen.

DOMINICA VIGESIMA prima post Trinitatis, Euangelium Ioannis IIII.

ERat quidam regulus, cuius filius infirmabatur Capernaum. Hic cùm audisset, quòd Iesus aduenisset à Iudæa in Galilæam, abijt ad eum, & rogabat eum ut descenderet ac sanaret filium ipsius, siquidem is agebat animã. Dixit ergo ad eum: Nisi signa & prodigia uideritis, non creditis. Dicit ad eum regulus: Domine, descende priusquam moriatur filius meus. Dicit ei Iesus: Vade filius tuus uiuit. Credidit homo sermoni quem dixerat ei Iesus, & ibat. Iam autem eo descẽdente, serui occurrerunt ei, dicentes: Filius tuus uiuit. Scisciatus est ergo horam ab eis, in qua melius habuisset. Et dixerunt ei: Heri hora septima reliquit eum febris. Cognouit ergo pater, quòd illa hora erat, in qua dixisset sibi Iesus: Filius tuus uiuit, et credidit ipse & domus eius tota.

Quid nobis in hoc Euãgelio proponitur?

Natura proprietas q; fidei demonstratur, quomodo eadem ab initio sumit exordium, crescit & augetur, dum perfecta tandem in homine reddatur. Nam licet fides per Euangelium homini dõmum adducat & apportet Dominum Iesum, sic ut quilibet Christianus æque tantum habeat, quantum alius, et qui baptizatus hodierno die fuerit infans, nõ minus ha-

habeat, quam S. Petrus, attamen simile non est in nobis, nec par illud incrementum augmentumq; fidei. De quo præsens dicit Euangelion.

Quomodo igitur sese res habet cum fide?

Quemadmodum in homine est infantia, pueritia, iuuentus atq; senium, & quemadmodum in arboribus & herbis crementa sunt, & uis alens, cuius interiore motu nigescunt, frondescunt, atq; germinãt, sic etiam in fide. Non enim natus homo statim uir est, aut mulier, sed ad conditionẽ eam per singulos dies, septimanas, menses et annos accedit. Nec in terram proiecta semina, statim mature fructum producunt, sed à principio, uelut herba pubescens erumpit, inde culmus nascitur, hinc arista, postea granum. Sic ab initio seminatur cœleste semen, fides, Dei Verbum, quod fide conceptum exerit sese, germinansq; bonos producit fructus, ita, ut incipiat homo Deo fidere, proximum diligere, carnem frenare, affectusq; reprimere, fiatq; noua Dei creatura, non uno tempore semel, sed dum spirat, ad extremum uitæ terminum.

Hæc ne rudius ac planius dici possunt?

Possunt. Mundus est uelut hortus, ager, in horto sunt hominum corda, Concionator agricola, uel hortulanus, qui perarat, atq; percolit corda prædicatione legis, terribilibusq; iræ diuinæ exemplis, quibus exterret in conscientijs peccatores, qui cùm facti pauperes spiritu gratiam Dei sitiuerint, & à tribulis, sentibus atq; uepribus omnia repurgata fuerint, immittit inseritq; semen Euangelij, hoc est, Verbum Dei, quod si fide conceptum fuerit, & in cordibus egerit radices, adest Deus & humectat diuino rore, hoc est, consolatorijs diuinæ scripturæ eulogijs, imò præsenti spiritus almi gratia fœcundat, incrementa dando, sic ut eiusmodi homo meros producat bonos fructus. Præterea salem admiscet postea, camq; uitam sallit conditq; uarijs tentationibus atq; tribulationibus.

Quomodo describitur à Ioanne regulus?

Sic ait: Erat quidam regulus, cuius filius infirmabatur Capernaum. Hic cum audisset, quòd Iesus aduenisset à Iudæa in Galilæam, abijt ad eum, & rogabat eum, ut descenderet, et sanaret ipsius filium, siquidem is agebat animam, quibus uerbis ostendit, se quasi puerilem habuisse fidem. Nam q. Christum rogabat, signum erat fidei, quã si non habuisset, nec bonã de Christo fiduciam animo cõcepisset, non accessisset, nec fuisset precatus. Quòd aũt rogabat, & bis urgebat, ut secũ descenderet in domũ Christus, sana

sanaretq; filium, prodidit infantiã suæ fidei. Nam si perfectam solidamq; habuisset eam, dixisset cum Centurione: Domine, dic tantum uerbum, & sanabitur puer meus. Nunc autem non credit, tam potens & efficax Dei Verbum esse, ut ægrotus sanari possit, nisi Christus ipse sit præsens.

Quid respondebat Christus?

Nisi, inquit, signa & prodigia uideritis, nõ creditis, quo dicto responsum durissimum dedit, ita præ se ferendo, quasi nolit suppetias ferre, imò taxat, coarguitq; eum, quòd uerbo non contentus, signum peteret. Q. d. Christus: Cur tecum ego descenderem, cùm meo uerbo non credas, quin dicis, quod ille Centurio Lucæ 7. Dic uerbo, & sanabitur puer meus.

Negabat igitur regulo Christus auxilium?

Minimè: Nam ita procedunt opera Dei, qui prius sauciat, quàm adhibeat remedia: prius contristat, quàm lætificat: prius occidit, quàm uiuificet: prius deniq; cõdemnat, quàm beatum faciat. Sic & Christus faciebat mulieri Cananææ, Matthæi 15. Quæ cùm rogaret, ut filiam dæmonio agitatam saluaret, repulit eam, inquiens: Non sum missus nisi ad oues perditas domus Israëliticæ. Deinde, cùm discipuli pro eadem intercederent, denuo reiecit eam, dicens: Non est honestum, sumere panem filiorum,

& obijcere catellis. Atqui cœpto nõ desistebat, sed quò duriora Christus respondebat, eò firmius instabat ipsa, feruentiusq; rogabat. Consecuta fuit igitur quod petebat, quemadmodum in hoc Euangelio regulus.

Quid igitur regulus agebat?

Instabat, inquiens: Domine descende priusquam moriatur filius meus. Hic in lucem profert suam, quam adhuc habebat fidem puerilem, incipientem subsidere. Sic euenit sancto Petro, Matthæi 14. Qui fide bona circumuallatus, descendit è naui, & ambulabat super aquas, ut iret ad Iesum. Cæterùm cùm uideret uentũ ualidum, territus est, et cùm per incredulitatem demergi cœpisset, clamauit, dicens: Domine serua me. Sic item discipulis, cùm in motu maris magno facto, Christum excitaũissent, clamantes: Domine serua nos, perimus, Matthæi 8. Sic item hic regulus, Domine, inquit, descende priusquam moriatur filius meus.

Quid respondebat Christus?

Cùm petendi finem nullum faceret regulus, instandiq; per fidem, licet ea foret imbecillis, ei uoluit non solùm in aures, sed etiam in cor loqui Christus: Nam deus nõ respicit quàm magna fides, sed ut aliqua, etiamsi tam parua, quàm sinapi granum est, adsit. Dixit igitur: Vade, filius tuus uiuit. Quæ uerba tam potentia fuerunt, ut non modò sanitati

restituerint filium, sed etiam operata sint, quò pater multò fortiorem consequeretur fidem, nam sic habetur in textu: Credidit homo sermoni, quem dixerat ei Iesus, et ibat. Antea regulus credebat filium à Christo potuisse sanari, sed præsente, quæ fuit infirma fides. Iam fortiorem consecutus, credit posse filium sanari, etiam si præsens ipse Christus non adsit.

Quanam indagine deprehendimus fidem fortiorem factam?

Verbo, Ibat, deprehendimus. Nam si Regulus non credidisset sermoni diuino, non abijsset, sed diutius institisset, ac nodum (ut dicitur) in scyrpo quæsiuisset. Sed iam omnia dubitationis argumenta reijcit, nihil amplius est solicitus, sed Dei Verbo contentus, abijt.

Quid accidit regulo in itinere?

Iam eo descendente, serui occurrerunt ei, & nunciauerunt dicentes: Filius tuus uiuit, scisciatus est ergo horam ab eis in qua melius habuisset. Et dixerunt ei: Heri hora septima reliquit eum febris. Cognouit ergo pater, quòd illa hora erat, in qua dixisset sibi Iesus: Filius tuus uiuit.

Cur seruos suos quærebat Regulus?

Duas propter causas. 1. Vt fidem suam adhuc latentem occultamq; proferret in lucem, confiteretur q;. 2. Vt familiam quoq; suam, ad fidei cognitionem perduceret. Nam cum quæreret ab ijs horam, in qua melius habuisset filius, atq; dixisset ei: Heri hora septima reliquit eum febris, &c. orationem proculdubio præclaram habuit, atque docuit, eandem horam fuisse, qua dixisset Christus: Filius tuus uiuit. Regulus ita factus fuit Apostolus, conciionator, Parochus & Episcopus suæ familiæ.

Hoc igitur officium quid utilitatis attulit?

Sic ait Ioannes: Credidit ipse, & domus eius tota. Hij sunt eiusmodi miraculorum ueri fructus: Pater fide corroboratur atq; cõfirmatur ita, ut si Deus ei dixisset: Quæcunq; possides relinque, patrem item atq; matrem, et me sequere, protinus feciisset, sic cogitando: Antea sum expertus diuinam Christi bonitatem atque clemantiam, cui confisus, quicquid iusserit exequar, nihil ambigens, quin in uiam salutis me sit perducturus: qui iam pleniore non potuisset me prosequi beneficio, fidem exiguam auxit, filium sanauit, & effecit, ut domui meæ totiq; contigerit æterna salus.

Quid ex hoc Euangelio præcipuè discemus?

Principiò, Deum omnipotentem semper orandum, ut rectam nobis fidem donet, quæ licet non adsit perfecta, tamen ut incœptam, licet tam exiguam ut sinapis granũ, foueat et exaugeat indies. Et hoc summo studio curandum, ne sinapis hoc ipsum granum deuoretur ab auibus, hoc est, ne fides inchoata per Sathanam tollatur è medio. Huc illa Christiana pertinet cantilena, qua precatur Ecclesia Spiritum sanctum, ut rectam donet fidem, & in nobis ignem charitatis accendat.

Deinde, cùm fuerimus fidem consecuti, serò uentius orandum, ut ea in nobis aucta conseruetur, quò bonos fructus producere possit: nam hìc labor, hìc opus, ut tantum thesaurum, quem in ualde fragilibus portamus uasculis, conseruemus, maximè, cùm Sathanas ueluti leo rugiens obambulet, quærat q; quem deuoret.

Quænam huius exempla potuerunt esse?

Populus Israëliticus tam prælaram fortemq; fidem habuit, ut etiam siccis pedibus rubrum mare transierint, postea tamen inciderunt in tantam incredulitatem, ut cõtra deum murmurauerint cibi causſa, potusq;. Grauissimas igitur subierunt pœnas, tam crudeliter exerciti, ut de numerosissima populi turba, duo tantùm peruenerint in promissionis terram, Iosue & Caleb. Et Moses tantam fidem

dem habuit, ut per eum in Ægypto multa signa fecerit, plurimaq; Deus ædiderit prodigia, tamen apud aquas contradictionis, ubi petra bis percussa fontem eliciut, eius fides elanguerat. Ait ergo Dominus ad eum & Aaron: Quia non credidistis mihi ut sanctificaretis me coram filijs Israël, non introducetis hos populos in terram quam dabo eis. Et cùm Petrus crederet uocanti Christo, super aquas ambulauit, cũ diffidere cœpisset, impetu maris deterritus mergebatur. Et tenaciter ad Christũ adhærescebant Iudæi, cùm ab eo uiderent per Dei uirtutem ædi miracula: sed cùm permisisset se capi, & ut hominem uinculis constringi, conspui, flagellari, clamauerunt in conspectu Pilati: Crucifige eum, crucifige eum, sanctarum ita concionum, miraculorum, beneficiorumque omnium obliti prorsum.

Possunt ne temporis nostri exempla proferri?

Egregia: Cùm enim ab initio prædicaretur Euangelium omnes homines frequenter accurrebant, uolentes in Euangelico ce: Christianos euadere, sed cùm Verbi ministri spiritus gladio cincti, malos omniũ statuũ abusus rescindere cœpissent, et arguere de peccatis homines, innumeri protinus corruerunt, deciderunt q;, non aliter ac de arboribus folia. Et Euangelio solet accidere, quod arbori natu

vali, quæ uerno tempore gemmas protrudit, & ad mœnissimo germine blãditur, sed incidente pluuia, uel aliqua pruina, decidit germinis multũ. Cùm autem incipit fructus spem facere, turbinis ingruit impetus, & teneriores plurimos fœtus decutit. Tandem cùm ad maturitatem nonnullos cura magna produxerit, adsunt uermes, aduolantq; crabrones & uespæ, magnusq; noxiorum animalium numerus, fructumq; corrodunt ita, ut uix pars uigesima, imò centesima perueniat ad optatam metam. Sic Euangelio recens exorto, feruenter omnes audiunt, tenentq; mordicus, sed incidentibus tentationibus, turmatim desciscũt. Deinde falsi doctores suborti, conuaminant puram Christi doctrinam, & seduunt multos, & implicant tot erroribus, ut uix media pars in recto ueritatis tramite permaneat, atq; saluetur, ut Christus rectè dixerit: Multi sunt uocati, pauci uerò electi. Quòd si iam in magno uersantur discrimine, qui Dei Verbum indies audiunt, & cum gaudio suscipiunt, quãta pericula subiturí sunt ij, qui neq; audiunt, neq; recipiunt, sed impiè contemnunt, quiq; cognita ueritate, negant Dei Verbum, totosq; se Diabolo permittunt. A quo malo deterrimo nos protegat liberetq; dominus Iesus Christus.

AMEN.

DO-

DOMINICA VIGESIMA-secunda post Trinitatis, Euangelium Matthæi, XVIII.

IDeo assimilatum est regnum cœlorum homini regi, qui uoluit conferre rationem cum seruis suis. Et cùm cœpisset conferre, oblatus est ei unus, qui debebat ei decem milia talentorum. Cæterũm cùm is non esset soluendo, iussit eum dominus uenundari, et uxorem eius, & liberos, & omnia quę habebat, ac fieri solutionem. Procidens autem seruus ille adorabat eum, dicens: Dñe, esto patiens erga me, & omnia tibi reddã. Misertus autem dominus serui illius, absoluit eum, & æs alienũ remisit ei. Egressus uerò seruus ille, inuenit unum de conseruis suis,

qui debebat sibi centum denarios, & iniecta in eum manu obtorto collo trahebat, dicens: Solue quod debes. Et procidens conseruus eius, rogabat eum, dicens: Esto patiens erga me, & omnia reddam tibi. At ille nolebat, sed abijt, & coniecit eum in carcerem, donec redderet debitū. Porrò cùm uidissent conserui eius quæ fiebant, indoluerunt ualde, & uenerunt, aperuerunt q; Domino suo omnia quæ facta fuerant. Tunc accersiuit illum dominus suus, & ait illi: Serue sceleste, totum debitum illud remisi tibi cùm obsecrasses me: nonne oportuit & te misereri conserui tui, sicut & ego tui misertus eram? Et iratus dominus eius, tradidit eum tor-

toribus quoadusque redderet totum quod debebatur sibi. Sic & pater meus cœlestis faciet uobis, si non remiseritis suo quisque fratri de cordibus uestris delicta illorum.

Quid nobis hoccine proponit Euangelium?

Nobis debitum ostendit, quo nos Deo, simul ac proximo sumus obstricti. Et est maximo solatio ijs, qui pietatis amantes proximo libenter condonant, remittuntq; debitoribus suis, quibus in hoc Euang. gratia mera, peccatorumq; remissio promittitur. Sed ijs terribile, qui immites, ac immiseri cordes sunt, & indies quidem pro delictorum remissione Deum orant, sed nihil impetrant. Quæ autem unicuique uel utilitas erit expectanda, uel periculum, Christus hic clarissimo demonstrat exemplo, proponitq; facillimam intellectu parabolam de Rege, uolente cum seruo rationem conferre. Concludēs igitur infert: Quemadmodum cum suis debitoribus Rex egit, sic in nouissimo dic nobiscum actu rus est Deus, qui si nos mites atque misericordes inuenerit, diuina clementia dignos iudicabit, sin aliter, minus.

Quænam inueniuntur in hoccine Rege?

Tria. Primum, uidemus admodum seriam auctoritatem, qua Rex seruum, qui decem mlia talentorum debebat, nec esset soluendo, iussit uenundari, uxorem, liberos, & quæ habebat omnia, et debitum exoluere. Quæ uehementer aspera concio, imò legis prædicatio, quæ tãtum seruo terrorẽ incussit, inq; tãtas angustias deturbauit, ut trepidãs conciderit, aduolutusq; sit Domini genibus, orauerit ueniam & gratiam, pluraq́ue quàm præstare potuerit sit pollicitus. Quine semel quidem prius cogitauit, perpenditq; mansuetudinem, bonitatem aut patientiam Domini, ut ad rationem reddendam in tempore negocia digessisset, sed abusus lenitate nec non tolerantia Domini securus uixit, & occasionẽ propriæ salutis temeraria negligẽtia fluit præterlabi. At qui modò cum ad triarios res redijt, incidit in maximam necessitatem, & ærumnas, ut coactus fuerit in æternum perire, si non Domini clementia fuisset opitulata.

SECVNDVM, cognoscimus immensam gratiam atq; misericordiam, qua Rex ærumnosum seruum ad pedes iacentem erexit, & oranti remisit omne debitum. Quæ consolatione plenissima est, imò Euangelij prædicatio lætificat seruum, tantoq; gaudio perfundit, ut sibi fuerint uisi cœli, terræ,

ræ, omnesq; creaturæ adblandiri, congratulariq;. Liberatus igitur solutusq; iam omni nexu, debitoque, propicium clementemq; Dominum habet. Omnes res in cardine sunt, atque uado. Sed utinam tantæ beneficientiæ memor conseruo suo similiter fecisset. Sed omnium statim oblitus, & ingratus cùm egressus fuisset inuenit unum de conseruis suis, qui debebat sibi centum denarios, & iniecta in eum manu, obtorto collo trahebat, dicens: Solue quod debes. Et procidens conseruus eius, rogabat eum dicens: Esto patiens erga me, & omnia reddam tibi. At ille nolebat, sed abijt, & coniecit eum in carcerem, donec redderet debitum. Hoc horribile insignis ingratitudinis exemplum.

TERTIVM, aspicimus grauissimum, quo Rex ingratum seruum affecit, supplicium. Nam cùm uidissent conserui quæ fiebant, indoluerunt ualde, & uenerunt, aperuerunt q; Domino sua omnia, quæ facta fuerant. Tunc accersiuit eum Dominus suus, & ait illi: Serue sceleste totum debitũ illud remisi tibi cùm obsecrasses me. Nonne oportuit & te misereri conserui tui, sicut & ego tui misertus eram. Et iratus Dominus eius tradidit eum tortoribus, quoadusque redderet totum quod debebatur sibi.

Quid nos ex ea re discemus?

Discemus

Discemus, supere sse rationem, quam nobiscum in die nouissimo collaturus est Rex ille Regum, imò iudex uiuentium ac mortuorum, qui unicuique iuxta meritum retributurus, indicto communis retributionis atque talionis tempore, quo futurum est, quemadmodum in hoc euenit Euangelio Nos in hoc cœlo seculo uiuimus tanquam in debitorum regione. Plurima enim debemus Deo simul ac proximo. Et peccatorum nostrorum uelut harenæ maris est nullus numerus.

Quidnam Deo debemus?

Deo fidem, charitatem, atq; spem debemus. Deo enim cõfidere, eumq; super omnes creaturas diligere atq; timere, Dei nomen honorare, sanctificare, & glorificare, Verbum eius libenter audire debemus, & ad eiusdem præcepta uitam nostram instituere, mandata peragere, gratiasq; semper pro beneficijs in nos collatis agere. Hoc debitum est, & quo Deo sumus obstricti nostrum æs alienum.

Quid proximo?

Fidei fructus atque charitatis opera debemus. Etenim proximo fideliter inseruire, auxiliari, atque consulere debemus in omnibus necessitatibus, nunquam lædere, sed prodesse semper, etiam eius uxori, liberis, familiæq;, res eius omnes non aliter atq; nostras suscipere, atq; defendere, ut honores atque facultates. Et summatim, quæcunque uoluerimus

rimus ut faciant nobis homines, sic & nos faciamus illis. Hæc est lex & Prophetæ. Hoc est, quo sumus proximo deuincti debitum.

Habemus ne spem, & consolationem in hoc debito?

Quòd si patientes erga proximum esse, ac misereri, ea quæ deliquit in nos condonare possemus, nobis uicissim Deus nostras iniquitates, quibus in diuinam maiestatem peccauimus, remitteret. Nam decretum est, qua mensura metimini, ea metienur uobis alij.

Habenturne quædam in hoc Euangelio doctrinæ?

Habẽtur tria præcipuè doctrinarum, uel quæstionum genera, nempe, Quid lex? Quid Euangelion? Et quid ingratitudo? quæq; profluant ex ijs opera.

Quid lex?

Est humanæ uitæ speculum in quo contemplamur næuosas animi nostri maculas, defectus, atque uicia. Nobis diuinitus iniunctum est, ut decem Dei præcepta seruemus, sed nihil omnino facimus, qui prorsum arbores infrugiferæ bonos fructus producere non possumus, imò cùm fecerimus omnia, quæ præcepta sunt nobis, tamen dicere debemus, serui sumus inutiles. Lucæ. 17. Nam si quid boni fuerit in nobis, id Deus operatur, non nos. Hinc

sanctus

sanctus Paulus. 1. Corinth. 3. Non idonei sumus ex nobisipsis cogitare quicquam, sed omnis idoneitas nostra ex Deo est.

Quod si uerum est, nihil agere debemus, sed Deo, ut operetur omnia relinquere?

Vtinam permittere possemus, ut in nobis Deus operetur, nihil mali dubio procul operaturus. Nos plerunq; prohibemus opera Dei, magis concedentes, ut in nobis omnia peccatorum genera dominentur. Quandoquidem autem uita nostra sine peccatis esse non possit, nec transigi, debemus tamē ad minus delicta confiteri, nosq; peccatores agnoscere. Nā si medicus ille cœlestis adhibere debet remedia, retegantur oportet, ac denudentur uulnera. Ad quod nihil æquè conducit, quàm lex, & decem Dei præcepta. Nam hic ueluti rationarius est libellus, qui debita nostra descripta continet. Qui nobis proponendus erit, ut debitorum acriter admoniti, sitiamus Dei gratiā, atq; spiritu pauperes oremus Deum ueniam, atque remissionem peccatorum. Quòd si Rex in hoc Euangelio non fuisset collaturus rationem cum seruo, non cogitasset hic de debito, sed in securitate perrexisset uiuere, propriæ salutis nullam habendo curam. Cui is perniciosum exemplum adhuc inutati multi uix semel in duobus, tribus aut decem annis ueniunt ad

ad aliquam prædicationem, & impijssimi procrastinatores neque legē, neque doctrinā Euangelicam audiunt, in securitate progredientes, & peccata peccatis coaceruantes, dum corpore simul ac anima perdantur.

Quid est Euangelion?

Est liber plenissimus consolationum, quibus afflictarūctorum imbecillium & infirmorum, suam fraglitatē agnoscentium, corda recreantur, atque reficiuntur. Etenim cùm hic seruus numero peccatorum additus esset, & suum debitum agnouisset & peccata ueniamq; petiuisset, protinus oborta Euangelium omnia remisit ei delicta. Nam sic habetur in textu: Misertus Dominus serui illius, absoluit eum, & æs alienum remisit ei, hic recepit quidem sese redditurum omnia, quod in angustijs conscientiæ facere solent, sed rex id impossibile factu esse conspiciens, ab omni debito seruum absoluit. Peccatorum ita remissio nullis ex meritis profluit, sed ex mera gratia per Iesum Christum. Caro quidem atq; sanguis impossibilia promuttunt, atque iudicant hominem suis operibus posse pro peccatis satisfacere, sed falsa rationis præpositeræ sunt argumenta. Nam illud Iohannis testimonium immobile, uerumq; permanebit: Ecce agnus Dei qui tollit peccata mundi. Et Petrus ait Actorum quarto: Nec aliud est nomen sub cœlo datum

inter homines in quo oporteat nos saluos fieri, quàm in nomine Iesu?

Quid operatur ingratitudo?

Ingratitudo legem ac Euangelium pariter in nihilum redigit, perditq;. Est enim (ut Bernhardus ait super cantica) hostis gratiæ, inimica salutis, ut nihil ita displiceat Deo, quemadmodum ingratitudo. Postquam hic seruus tot à Rege beneficia consecutus erat, meritò debebat conseruum similibus prosequi. Sed: quoniam hoc non facit, imò beneficiorum omnium obliuiscitur, ingratus euadit, nolens erga cõseruum patiens esse, ut in eum uetus illud dictum potuisset competere: Simul & misertum est & interijt gratia. Rexigitur commotus non modò beneficia reuocat, & quæ dedit, data non uult, sed etiam ingratum seruum correptum tradidit tortoribus in uincula conijciendum. Hoc præmium est ingratitudinis. Iam quis hunc poterit adiuuare, qui sua culpa Dominum habet inclementissimum, præterea conseruos inimicissimos. Qui detrusus in carcerem æterna morte cogitur perire. In quod malorum mare præcipitatus fuit ab ingratitudine diabolica, qua nullum peius, nec detestabilius est in mundo crimen.

Quomodo Christus hanc parabolam concludit?

Sic

Sic & Pater meus (inquit) cœlestis faciet uobis, si non remiseritis suo quisque fratri de cordibus uestris delicta illorum. Deus clemens atque misericors est, libenter peccata condonans, ijs solummodo, qui ueniam orant, proximoq; debita remittunt: Quemadmodum precamur in oratione dominica dicẽtes: Dimitte nobis debita nostra, quemadmodum & nos dimittimus debitoribus nostris. Quod Christus addit & adiungit, ut eo quasi uinculo nos inuicem colligaret, acconsociaret in amore mutuo, ne quis alium iniurijs afficeret aut læderet, & si hoc ipsum forte contingeret, statim reconciliatus cum proximo rediret in gratiam, non permitteret solem occidere super iram, neque dãs locum calumniatori. Nam cuius in pectore flagrat odium & ira, frustra Deum orat, ueniamq; nequicquam sperat. Non enim potest in maleuolam animam introire Dei gratia, atque sapientia. Ergo uult in summa Christus, suos Christianos uiuere, non aliter ac unanimes sub uno Patre filios, non discordes inuicem, non seditiosos, non iracundos, non inuidiosos, sed pacificos, benignos, beneficos, propter Deum libenter remittentes. Quod si non fecerint, ijs baptismus futurus erit inutilis, & inutilia sacramenta simul ac orationes. Nam hæc coniuncta non separantur, ut qui habuerit unũ, habeat omnia simul. Etenim qui credit, baptizari

Qui baptizatus, sacramentis uti, Qui sacramentis usus, orare, Qui orat etiam remittere debet, hoc qui non fecerit, omnia reliqua perdiderit.

Cur Christus proximi peccatum extenuando uocat delictum?

Proximi peccatum Christus appellat delictum, & comparat centum denarijs, sed in Deum commissa piacula confert decem milibus talentorum. Quod ideo facit, ut nos emolliret ac inflammaret ad remittenda nostris debitoribus in nos designata flagitia. Quamuis autem ea magna sint apud Deum & æternis digna supplicijs, tamen ea nos inspecturi, sic debemus cogitare: Quamuis ex animi malicia proximus in te grauiter peccauerit, tamẽ ei uenia danda, qui Satanæ instinctu productus & impellentibus furijs adductus fuit ad peccandum, eius igitur misertus peccatum remittere malo, quã uindicare, secutus exemplum Christi, qui suis inimicis delicta remisit in ligno crucis.

Laudare ne igitur debeo iustumq; putare, quod in me designatur malis?

Vt id æquum ducas non uult Deus, qui non negat iniquum esse. Attamen requirit, ut alter alterius onera portet, condonetq; delicta. Dices igitur sic ad proximum in te peccantem: Quamuis frater, non queam probare, quòd in me nimis tetrum

facinus ædidisti, attamen quia peccatum agnoscis ueniamq; petis, tibi condonabo libenter, omnis iræ, uindictæq; propter Christum oblitus, nunquam etiam recordaturus. Quo iam tu si fueris erga proximum animo præditus, & eum tam humaniter complexus amoreq; fraterno prosecutus, habebis erga te quoque Deum misericordem. Qui tua grauissima, quæ patrasti, & adhuc designas crimina tibi cõdonabit, eorum nunquam recordaturus, sed potius fidei charitatisq; fructuum præmia, quæ maxima potest, conferturus, nempe, uitæ æternæ gaudia. Amen.

DOMINICA VIGESIMATERTIA post Trinitatis, Euangelium Mat. 22.

ABeuntes Pharisæi consilium cœperunt, ut illaquearent eum in sermone. Et ad illum emittunt discipulos suos cum Herodianis, dicentes: Magister scimus quod uerax sis, & uiam Dei in ueritate doces, neque cures quenquã: non enim respicis personã hominis. Dic ergo nobis, qd tibi

uidetur? Licet censum dare Cæsari, an non? Cognita autem Iesus malicia eorum, ait: Quid me tentatis hypocritæ? Ostendite mihi numisma census: At illi obtulerũt ei denarium. Et ait illis: Cuius est imago hæc & superscriptio? Dicunt ei Cæsaris. Tunc ait illis: Reddite ergo quæ sunt Cæsaris Cæsari: & quæ sunt Dei Deo.

Quænam præcipuè continentur in hoc Euangelio?

Ista duo. 1. Insidiosa, plenaq; ueneno quæstio Pharisæorum, qua captiosè tentare Christum, & illaqueatum in sermone reum mortis agere conabantur. 2. Prudentissimum Christi responsum, quo suis ipsorum laqueis captos Pharisæos cõfudit, & omnium circunstantium ludibrijs præbuit deridendos.

Quid faciebant Pharisæi?

In prãua causa malum imbant consilium, excogitantes uiam, qua Christum dolis caperent, mortiq; traderent, quem non amplius uidere, nec sufferre

ferre poterãt. Sed quoniam eius doctrinam nequiuerant propalam condemnare, nec uitam reprehendere, fraudulentis insidijs adoriuntur, quem apertis, ueriscq; rationibus non poterãt conuincere.

Quomodo fuit initum consilium?

Vltro citroq; uerbis habitis agitabant causam, & ruminato (quod aiunt) negocio dicebant: Non conuenerit, ut persona propria nos Christum accedamus, quoniam suspecti sumus, & fortasse cùm intellexerit captiosa nostra studia fraudesq;, nos posset coloribus nostris depingere, audienteq; populo plaustra conuicijs onusta in nos effundere. Sic igitur faciemus, ad illum missuri sumus discipulos nostros, cum Herodianis. Qui quo poterunt dulci suauioris orationis exordio quærent ex eo tanquam magistro, atque doctore: Vtrum liceat censum dari Cæsari, an non. Iam si dandum tributum asseruerit, habiturus est acerrimum hostem uniuersum populum, qui sunt illum accusaturi, ut legum Iudaicarũ, liberatisq; publicæ uei cuersorẽ uel oppressorem: Sin autem uectigalia Cæsari non esse pendenda responderit, prolapsurus est in gratissimos hostes Herodianos, qui ut hominem seditiosum, læsæq; maiestatis Cæsariæ reum traduxturi. Quibus tandem rationibus nos liberabimur illo trucidato, sic tamen, ut nos causam mortis non

Videbimur præbuisse.

Hoc erat, quod aiunt Tragulam iniicere, uel in Transennam inducere.

Maximè. Erat insultus diabolicus, quemadmodum Psal. 10. dicitur: Peccatores intenderunt arcum, paravuerunt sagittas suas in pharetra, ut sagittent in obscuro rectos corde. Verum est quod Christus ait, Lucæ. 16. Quia filij huius seculi prudentiores sunt filijs lucis in natione sua. Sed hæc prudentia, & idoneitas semper habet annexam falsitatem atq; maliciam.

Quomodo sese gerebant Pharisæorum discipuli?

Simulabant sibi maximæ curæ esse Dei honorem atque Cæsaris magistratum, obedientiamq;, cùm tamen fures honorisq; diuini prædatores, uerbiq; cœlestis essent interpretes falsi, rebelles item Cæsaris hostes, qui sæpius ad arma multitudinem exciuissent, multasq; fecissent seditiones, ut eo nomine cladem non semel acceperint. Attamen hic ueniunt subdolæ uulpes, tartareaq; pleni uersutia, homines ueluti synceri, sanctiq; Dei filij, Cæsaris item ut subditi fidelissimi, quorum ut è cordibus nulla unquam profecta sit mali suspicio.

Quid agebant, quomodo proponebant suam causam?

Non incipiunt ex abrupto, sed artificiosa insinuatione uiam orationi præstruunt, simulant amicitiam, omnia deniq; faciunt atq; proferunt, uelut ex intimo cordis recessu proficiscerentur lympidissimis aquis puriora. Principio sibi benevolentiam captant à persona Christi, quem laudant, & extollunt, sed ad morem adulatorum, aut cuius

Fistula dulce canit uolucrem dum decipit auceps,

Qui ponens insidias auibus, aliud in ore gerit, aliud pectore. Quemadmodum hij Pharisæorum discipuli dicentes: Magister scimus quòd uerax sis, & uiam Dei in ueritate doceas, neque cures quenquam. Non enim respicis personam hominum.

Sed hoc est lupum uestimentis ouium exornare, atq; Sathanã in lucis angelum transformare.

Nimirum. Christum appellant Magistrum, & tamen noluerint eius haberi discipuli, Veracẽ prædicant, quòd uiam Dei doceret in ueritate. Quod nolentes uolentes fateri cogebantur ipsi incredulli. Et ea confessio condemnabit illos in nouissima die. Præterea subdunt, quòd non curet quenquam, nec

respiciat personam hominum. Ea compellationis dulcedine captum arbitrabantur liberius & magis intrepidè prolaturum, quæ sentiret de Cæsare, daturumq; quod illi uenebantur, optatum responsum.

Quænam erant quæstionis uerba?

Dic nobis, quid tibi uidetur? Licet censum dari Cæsari, an non? Quasi dicāt. Nouisti nos populum esse Dei, cui soli nos oporteat primogenita, holocausta, uictimas & decimas dare, præterea iuxta legem uota soluere: Nobis ergo uidetur iniquum esse, Cæsari tributa pendere. Tu quid tibi uideatur æquum edissere.

Quis in eam opinionem Iudæos induxerat?

Summi sacerdotes, Pharisæi atque Scribæ, qui Iudæis meuleauerant eos liberos, nullis regibus, aut exoticis prophanis magistratibus obnoxios esse oportere. Proinde fraudibus instructi ueniebāt, ut in sermone Christum illaquearent, persuasum habentes, utroque modo futurum, ut caperetur, siue negaturus, siue confirmaturus esset Cæsari soluenda tributa. Sic enim inter sese conferebant. Si dixerit: Cæsari dandum, irritabit Iudæos, & sibi malum accerset. Sin dixerit, non dandum esse censum, exasperabit inque capitis sui perniciem Herodianos excitabit. In qua cornuta quæstione, si Christus non habuisset, quemadmodum Matthæi 10. docet habendam, serpentis sapientiam, quomodo sycophantarum insidias effugere potuisset?

Quid respondebat Christus?

Cognita Iesus malicia eorum, ait: Quid me tentatis Hypocritæ? Quoniam Christus est cordium atq; cogitationum scrutator, & nihil occultum ei, qui omnia uidet, proprio uero q; nomine uocauit illos Hypocritas. Hij simulatores dicuntur, personam gerentes alienam, qui simulant pietatem, cùm intus & in cute sint nequissimi bipedum, alienis sese plumis exornantes. Æquitatem simulant, qui sunt impostores impiissimi. Etenim, ut diuus Augustinus ait super Psalm. 63. simulata æquitas non est æquitas, sed iniquitas duplex, quia iniquitas est & simulatio. Dixit ergo Christus: Quid me tentatis? Vocatis me magistrum, & ueritatis doctorem, sed non conceditis, imò non optatis ueritatem addiscere. Facitis quod omnium sceleratissimi simulatores patrare solent, et tamen pietatis nomine commendari quæritis, uniuersam uitæ uestræ sanctimoniam non in animo, neq; in morib. sed in fucato splendore constituentes. Estis igitur Hypocritæ, duplicis maliciæ, perditionis q; homines. Ostendite mihi numisma census. Hypocritæ putabant Christum in

ræsses incidisse, captum q; , sed fallebantur ipsi incidentes in foream quam fecerunt, technamq; (quod aiunt) in seipsos struxerunt. Etenim Christus eo dicto, uidelicet, ostendite mihi numisma, prostrauit illos suis ipsorum gladijs. Et obtulerunt ei denarium, & ait illis: Cuius est imago hæc, & inscriptio? Simulabat se nullam habere cognitionem monetæ, literæ etiam nescire, ut cogitare potuissent hypocritæ: Eia, captus est, sibi metuit, adulaturus est Cæsari, non audet liberè, quæ sentit, eloqui. Quid quæris? Non cuius imago sit, & cuius superscriptio, nempe Cæsaris. Tunc ait illis: Reddite igitur quæ sunt Cæsaris Cæsari, et quæ sunt Dei Deo. Quo dicto simulatoribus obstruxit ora. Quasi dicat: Quòd si Iudæorum eò redactæ sunt res, ut proiure Cæsar in regno Iudaico monetam cudat, quid me quæritis, si quod suum est ille requirat. Reddite igitur quæ Cæsaris sunt, Cæsari, & quæ Dei, Deo.

Quid hisce uerbis uoluit intelligi Christus?

Vos, inquit, Iudæi hactenus honorem detraxistis Deo, prædones atq; fures, Verbum Dei adulterastis atq; blasphemastis. Iam præsumitis etiam quæ Cæsaris sunt diripere, & in usum uestrum conuertere, factionum atque seditionum authores deterrimi, peccantes ita grauiter, & in Deum, & Cæsarem, dignissimi, qui utriusque crudelioribus afficiamini supplicijs.

Hoccine conueniens Hypocritis, & dignum fuit responsum?

Nimirum: Talibus enim interrogatoribus tale fuit aptum responsum, operculum scilicet patella dignum. Vt sementem fecerunt, ita messuerunt hypocritæ. Qui auditis his, miratisunt, & omisso eo, abierunt.

Quid ex hoc precipuè discemus Euangelio?

Primò: Quòd Iudæi Christum appellarunt ueritatis doctorem, non respicientem personas hominum, &c. Id sibi dictum censeant omnes Euangelij prædicatores, quibus unicè præcauendum, ne uel in alicuius fauorem, uel odium hominis premant silentio ueritatem, sed liberè loquantur, & intrepidè, etiam si, quod ab Herode Ioanni, capitis periculum impendeat.

Deinde: Quòd ait Christus: Reddite Cæsari quæ Cæsaris sunt, & Deo quæ Dei. Separat dirimit q́ue Dei regnum, à regno mundi, sic tamen, ut hoc ipsum non reijciat, sed potius confirmet. Sed abusus & impietas confundunt atque peruertunt omnia. Ad Cæsarem pertinet moneta, census, tributa, decimæ, pensiones, & uectigalia, quæ translata uide-

uidemus in summa templa, cœnobia, clauſtra, ſacella, altaria, miſſas, uiglias, coniuratores calandicos, fraternitates, indulgentias, atq; cæremoniales ſanctorum apparatus, ut multo libentius aliquis in execrabilium miſſarum papiſticarum uſum contulerit aureum nummum, quàm in commoda Reipublicæ plumbeum. E diuerſo: Fides, charitas, ſpes, et fiducia Deo debentur, ſed hypocritarum doctrinis acquieſcentes eadem ponimus atq; confidimus in hominum patrocinijs, ut longe maiore ſtudio, uehementiaque cuſtodiamus Papæ uel Cæſaris decreta, quàm Dei præcepta: ſcilicet ita confuſa peruerſaq; ſunt omnia. Quod quoniam culpa noſtra contingit, etiam Deus permittit omnia miſceri, perturbariq;. Quo igitur in loco pecunia, diuitiæq; ſuppetere deberent, & eſſe pax, ibi nobis eſt inopia, caritas annonæ, diſcordia & ſeditiones. Item ubi fides, charitas, ſpes & patientia florere deberent, ibi regnat infidelitas, impietas, impatientia, et breuiter omne tribulationis & aduerſitatis genus. Ad quod euitandum, in duo Chriſtus diuidit memoratum ſuum dictum.

Ad quos igitur pertinet prior pars dicti: Reddite Cæſari quæ Cæſaris?

Ad omnes ſubditos, quorum eſt penſiones, redditus, tributa, uectigaliaq; pendere, & Magiſtratui obe-

obedire, quemadmodum docet S. Paulus Rom. 13.

Ad quoſnam altera pars: Reddite Deo quæ Dei?

Ad omnes magiſtratus, mundanum, & eccleſiaſticum, imò omnes homines.

Quod eſt officium magiſtratus mundani?

Cogitabunt ſeſe Dei uicarios eſſe, & in eius loco ſedere, quam propter rationem Pſal. 81. uocantur Dij. Quemadmodum autem Deus non reſpicit hominis perſonam, nec fauore, neq; muneribus corrumpitur, ita principes huius ſeculi ſemper incorrupti gloriam ſolius Dei quærere, Verbumq; diuinum ab iniurijs defendere debent, pacem conſeruare, bonos protegere, uiduis & orphanis patrocinari, maleficos denique pœnis afficere, Pro quibus ſtudijs datur cenſus atq; tributa.

Quæ ſunt Eccleſiaſticorum procerum officia?

Animo reuoluent, ſeſe Chriſti uicarios, & Apoſtolorũ eſſe, haberiq; eorũ loco. Hinc eſt, quòd ipſos Chriſtus nũcios ſuos appellet. Et S. Paulus operarios atq; miniſtros Dei. Ergo quemadmodũ Apoſtoli doctrinam Euangelicam ſyncerè prædicare, puramq; docere, Sacramenta iuxta Chriſti diuinam inſtitutionem adminiſtrare, cõſcientias afflictas Verbi cœleſtis conſolationibus erigere, & in

omni

omnibus Christi & Apostolorũ uestigia sequi, non latum inde digitum discedere. Pro quibus suppeditanda sunt uitæ necessaria. Dignus est enim operarius cibo suo, ut ait Christus Matthæi 10.

Quid autem si non respondeat officio suo?

Quòd si magistratus tyrannidem in subditos exercuerit, pauperes insontes oppreßerit, et noxios euexerit. Item si proceres Verbum Dei non prædicauerint, sed doctrinis fälsis nõ modò contaminauerint, sed etiam exterminauerint, tum accidunt extrema, quod aiunt, extremorũ mala. Quorũ authorum uindicta relinquenda est Deo. Qui non obliuiscetur eorum in illo die, quando unicuiq; secundum sua merita iudex retributurus est æquissimus.

Bonum autem esset ac utile, si quemadmodum in ore, sic etiam omnibus esset in usu, dictum illud Christi, Reddite Cæsari quæ Cæsaris, &c.

Maximè: Sed quamuis mille iam & quingentis propemodum annis prædicatum sit idem, tamen nihil profecit in utroq; statu. Quòd si pars altera dicti fœliciter procederet, nempe, Reddite Deo, quæ Dei sunt, tum altera succederet auspicato, nempe, Reddite Cæsari, quæ Cæsaris sunt. Cæterùm, quia plurimi cùm Ecclesiasticorum, tum sæcularium potentum, Deo nõ reddunt quod Dei est, conantes Euangelium opprimere, & eo uelut hæretica repudiare, quæ docet Verbũ Dei, uicißim ipse pari referẽs, permittit ut tot sectarũ authores suborientur, liberè docentes: Non esse magistratui tributa persoluenda. Vindex ita sui Deus, ulciscetur peccata peccatis, posthac longè grauius ultaturus, cùm illorũ uenerit hora, qua uillicationis aut dispensationis suæ rationem sunt reddituri.

Quænam huius Euangelij summa?

Initum à Phariseis ac Herodianis consilium ostendit, quomodo soleat accidere Verbo Dei, quoq; fato doctrina cœlestis iactari. Nam Sathanas, & eius sponsa mundus, tanto rem aliam nullam odio prosequuntur, quàm Dei Verbũ, & qui hoc ipsum prædicant, ministros: ut is in mundo securam iucũdam q; uitam exegerit, qui posthabito pietatis omni studio, Christum no prædicauerit, nec fuerit confessus, uerum illud esse uideatur: In nihil sapiendo iucundißima uita, In multa sapientia multa indignatio. Qui addit scientiam, & laborem adijciet. Atqui longè sentit aliter bonus Christianus, maximè Verbi minister, q nomine Iesu quoduis malorũ non exhorrebit subire, summæ consolationis loco ducẽs, quod ait Christus ipse: Non est discipulus supra magistrũ. Nouimus ex scripturis, ita ꝓphetas

&

& Apostolos omnes afflictos ab impijs, ut eò iustior esset horum condemnatio, sed illorum breuior in hoc mundo calamitas, citiusq; approperans malorum finis, atq; cœlestis, ad quam conditi, requies, hoc est æterna uita. Amen.

DOMINICA VICESIMA quarta post Trinitatis, Euang. Matthæi IX.

HÆc cùm illis loqueretur, ecce princeps quidem uenit, & adorauit eum, dicens. Filia mea modò defuncta est, sed ueni, et impone manum tuam super illam, ac uiuet. Et surgēs Iesus sequutus est eum, ac discipuli illius. Et ecce mulier quæ sanguinis profluuio laborauerat duodecim annos, accedens à tergo, tetigit fimbriā uestimenti illius. Dixerat enim intra sese: Si tātùm tetigero uestimētum illius, ero salua. At Iesus conuersus, ut uidit illam, dixit: Confide filia, Fides tua saluam te fecit. Et salua facta fuit mulier à tempore illo. Et cùm uenisset Iesus in ædes principis, uidissetq; tibicines, & turbam tumultuantem, dicit illis: Secedite, non enim mortua est adolescentula sed dormit. Et deridebant illum. Cùm autem fuisset ejecta turba, introgressus tenuit manum illius, & surrexit adolescentula. Et emanauit rumor hic in totam terram illam.

Quibusnam de rebus præsens hoc dicit Euangelium?

Duo maxima tradit mīracula, nobisq; proponit eadem, ut excitetur, cōfortetur, atq; conseruetur nostra fides, & in nobis charitatis amor accēdatur. Sunt autē exēpla duo præclara, quorū alterū fidei in primario uiro, & ægrota muliere: Alterū charitatis in Christo, qui utriq; clementer auxiliatur. Mulierem, quæ sanguinis profluuio laborauerat duodecim annos, sanauit. Et Iairi principis

ſynagogæ filiam adoleſcentulam à mortuis ſuſcitauit.

Vnde fides Iairi ſynagogæ principis deprehenditur?

Ex eo, quòd acciderit ad pedes Ieſu, et adorauerit eum dicens: filia mea modò defuncta eſt, ſed ueni, & impone manum tuam ſuper illam, ac uiuet. Quod autem pro ſanitate atq; uita rogauit, certæ fidei ſignum eſt. Nam ſi non credidiſſet ſe conſolationem & auxiliũ à Chriſto, impetraturũ, non accеſsiſſet ad Chriſtum, nec fuiſſet precatus, maximè cùm unus ſynagogæ principum eſſet, non ignorans acerbas ſummorum pontificum atq; Phariſæorum minas ac pœnas ijs paratas, qui adhæſiſſẽt Chriſto. Quod autem ait: *Veni & impone manum tuã ſuper illam*, argumentũ eſt imperfectæ fidei. Credidit quidem à Chriſto iuuari filiam poſſe, ſed idipſum fieri, niſi præſens ueluti medicus adeſſet, non credidit. Sed tanta fuit in Chriſto clementia, ut hominem propter imbecillitatem fidei non reiecerit, ſed potius ſurgens ſecutus eſt eum.

Vnde mulieris ægrotæ fides colligitur?

Ex eo, quòd accedens à tergo, tetigerit fimbriã ueſtimenti Chriſti, dicens intra ſeſe: Si tantum tetigero ueſtimentum illius, ero ſalua.

Fortio-

Fortiorem igitur hæc mulier fidem habuit, quàm Iairus?

Sine dubio. Nam hæc mulier tantam in Chriſto fiduciam conceperat, ut certò ſibi perſuaſerit, firmiſſimè credendo ſe futuram ſaluam, ſi modò ueſtimenti fimbriam tetigiſſet. Nonne fides hæc præclara?

Veſtimentum ne igitur Chriſti ſanauit eam?

Non ueſtimentum, ſed firmior in Chriſtum fides eam ſanitati reſtituit. Ait enim ipſe Chriſtus: *Quis eſt qui me tetigit? Noui uirtutem à me exiſſe.* A me dixit, non à ueſtimentis meis. Fuit igitur hæc mulieris fides tam integra, rectaq; ut eã Chriſtus ipſe peculiari commendauerit encomio.

Quomodo Chriſtus exhibuit ſeſe Principi Synagogæ?

Iairi motus oratione, ſtatim ad auxiliandũ fuit promptus Ieſus, ſurgens enim, ſecutus eſt eum, id ipſa re, factoq; comprobaturus, quod antea docuerat. Non opus habent ij, qui ualidi ſunt, medico, ſed qui malè habent.

Quid accidit in itinere?

S. Mar. ca. 5. ſit ait: *Et mulier quædã, quæ fuerat obnoxia pfluuio ſanguinis annos 12. fueratq; multa perpeſſa à cõpluribus medicis, & inſumpſerat omnia ſua, neque quicquam adiumenti ſenſerat,*

sed magis in deterius uenerat, cùm audisset de Iesu, uenit in turba à tergo, et tetigit uestimentum eius. Dicebat enim: Si uel uestimenta eius tetigero, salua ero. Et confestim siccatus est fons sanguinis eius, & sensit corpore, quòd sanata esset à flagello. Voluit igitur abire, silentio rem actam comprimendo, sed noluit Christus, ne tam eximia fides occulta maneret, sed potius, ut in apricum prolata manifestaretur omnibus.

Quid igitur Christus?

In turba conuersus Christus aiebat: Quis tetigit me? Negantibus autem omnibus dixit Petrus, et qui cum illo erant: Præceptor turbæ te constringunt & affligunt, & dicis: Quis me tetigit? Et dixit Iesus: Tetigit me aliquis. Nam ego noui uirtutem à me exisse.

Quid ad ea uerba mulier faciebat?

Videns mulier, quòd non latuisset, tremens uenit, ac procidit ante pedes eius, & ob quam causam tetigisset eum indicauit ei coram toto populo, & quemadmodum confestim sanata fuisset.

Quid Christus ad mulierem?

Dixit ei: Confide filia, Fides tua te seruauit. Hic Christus corã toto populo fidẽ mulieris collaudauit, nõ solũ ut eiusmodi nos exemplũ imitaremur, sed etiã ut debilem Iairi fidẽ corroboraret confirmaret q;, quò certò pater crederet, filiã à Christo con-

consimilia diuinæ clemẽtiæ beneficia perceptura.

Hæccine profectò maxima est Christi gratia, atq; clementia.

Quomodo benignior atq; beneficentior potuisset Christus effingi? Rebus ipsis ostẽdit, factisq; plenũ fecit sese cunctis in angustijs, necessitatibus atque tribulationibus omnibus, imò in media morte saluare posse, promptum etiam atque propensum ad suppetias ferendum esse. Quod cùm ita sit, tamen adeo cæci simul ac hommes miseri sumus, ut nos doctrina nulla, quãtumuis sana, iucũdaq;, nulla opera, quantumuis magnifica, nulla denique miracula, quãtumuis admiranda, possint ad fidem solicitare, nedum permouere. Metuendum igitur ne non idem nobis obueniat, quod incredulis Iudæis. Nullam excusationem prætendere possumus, quibus æquè dictum illud, ac Iudæis, quod Ioann. ait cap. 15. Si non uenissem & locutus fuissem eis, peccatum non haberent. Nunc autem non habent, quod prætexant peccato suo.

Verum est ad Iudæos in carne uenisse Christum, ad nos autem gentes non item?

Ad nos gentes per Euangeliũ uenit Christus, nobisq; uoluntatẽ sui patris aperuit. Et indies adhuc audimus Euangeliũ, sed ubi est, q melior efficitur? Quotusquisq; intimo cordis affectu susc ipit illud?

Quotus quisq; recedit à malicioſa fallendi proximũ uerſutia, peccandiq; ſcelerata conſuetudine? Quò diutius docetur ac prædicatur, eò nequiores euadunt homines. Quò uehementiores atq; fœrnentiores habentur ad charitatis amorẽ orationes ad hortatoriæ, tantò maior ingruit perfidia, fallaciæ, fraudes, technæ, atq; doli peßimi. Non peccatum, ſed quaſi palmarium eſſe, iudicat, qui proximum circunuenit, in laqueum induxit, fucum fecit, & uallus etiam (quod aiunt) uitem decepit. Qua parte ſpes erat meliores homines futuros, ea deteriores fiunt, atque adeo, ut & magiſtratibus & concionatoribus hodie multò plus negotij faceßant, quàm aliàs nunquam. Nullus enim ſimultatum, rixarum, iurgiorum, diſcordiarum finis eſt, nec ullus melioris uitæ ſtatus expectandus eſſe uidetur.

Quid præterea contigit in itinere?

Cùm eßet ſanata mulier, et adhuc cũ ea Chriſtus loqueretur, uenerunt à principe ſynagogæ, dicentes: Filia tua mortua eſt, qd ultrà uexas magiſtrũ? Hoc tentationis exemplũ eſt, oſtendens, quomodo fideles à Deo per crucem probemur, & quomodo ſoleant ex ordine tentationes, alia poſt aliã ſequi. Principio decumbit Iairi filia morbo correpta, quæ res erat ſatis acerba. Deinde Chriſtũ orat, ut ægro-

ægrotationẽ adimeret, quod cũ polliceretur ſe facturum, et iam eßet in itinere Chriſtus, ecce ut fides probaretur uenerunt, qui mortuã nuntiarunt & admonuerunt ne præceptorem amplius uexaret. Hîc fides omnino corruit. Sed Chriſtus erexit, atq; conſolatus eſt eum.

Quid igitur dixit ad Iairum?

Ieſus audito ſermone qui dicebatur, ait Principi Synagogæ: Noli timere, crede tantùm, & ſalua erit. Quibus uerbis eius fidem confirmauit.

Quid Chriſtus faciebat ingreſſus Iairi domum?

Cũ uenißet Ieſus in ædes primatis, uidißetq; tibicines & turbã (flebant enim omnes atq; mortuã plangebãt) tumultuãtem, dicit illis: Quid tumultuamini & ploratis? Secedite, Non. n. mortua eſt adoleſcentula, ſed dormit. Et deridebant eũ, ſcientes quòd mortua eßet. Cogitabant: Quid hoc medici eſt, qui nullum nouit ſomni mortisque diſcrimẽ? Sed puella dormiebat Chriſto, qui facilius eam à mortuis ſuſcitare poterat, quàm homo dormientem hominem è ſomno.

Nonne adhuc ſuſpenduntur naſo, & è ſublimi deridentur in mũndo uerba & opera Chriſti?

Maximè: Mundus. n. adhuc in hodiernũ diẽ æſtimat Chriſti uerba et opera nõ aliter atq; ioculatis

ludicra, deridet etiam ut stultitiã, quicquid Christus docet atq; facit. Arbitratur impossibile, quòd mortuũ corpus, olidũ cadauer, omnis sensus expers dormiat. Cæterũ si primũ de creatione crederẽt articulũ, nempe Deũ omnipotentem conditorem cœli & terræ &c. procul dubio crederent etiam hunc de resurrectione mortuorum articulum.

Quid aũt cachinnones impij suis derisionibus consequuntur?

Vt domo eijciãtur & indigni reputentur à Christo, qui gloriosum Dei miraculũ oculis prophanis aspicere debeant. Sic euenturũ erit omnibus Euangelij derisoribus, qui tempore nostro solent in sinu gaudere, cùm audierint Euangelicam doctrinam egregiè contemni, conuitijs proscindi, pedibusq; proculcari. Quos etiam è sanctorũ communione deturbabit, uicissimq; deridebit Christus, ac conijciet eos in mentem reprobã, animi cæcitatem, cordisq; duritiem tantã, ut diuinorũ miraculorũ mysteria uirtutesq; non uideant nec intelligant, Christi passionis, mortis, atq; resurrectionis nunquam participes futuri, sed potius æternæ perditionis, & supplicionorum hæredes. Nam beatus ille, qui non abijt in impiorum consilio, & in uia peccatorum non stetit, et in cathedra pestilentis derisionis nõ sedit.

Sunt ne adhuc eius generis derisores?

Vt stultorũ, sic talium derisorũ plena sunt omnia. Habetur

betur in precio, et honore dignus ille celebratur, q sannis ingeniosis Christi doctrinam eludere, atq; contemnere, grandiq; supercilio reijcere potest, atq; profligare. Qui hoc ipsum robusto latere facit, omnia quæ cor hominis exoptare possit, assequetur, utpote pecuniam, diuitias, prædia, dignitates, pinguia sacerdotia, uicos, & cum hominibus regiones, ut tot beneficijs obrutus, magnoq; ueluti muro circumseptus, liberè & audacter Euangelium deridere, atq; contemnere possit, iustioresq; infernalium incendiorum pœnas promereri.

Quisnam in ædes lairi cum Christo ingreditur.

Non permisit secum intrare quenquam, nisi Petrum, & Iacobum, & patrem ac matrem puellæ. Voluit eos diuini miraculi testes solos adesse, qui Dei magnalia ueneraturi, & ex corde glorificaturi essent. Quo docet obiter exemplo, non quod sanctum est, canibus dandum, neq; margaritas proijciendas ante porcos, hoc est, diuina dona non cõferenda sacrilegis Euangelij derisoribus, atq; calumniatoribus.

Quid apud puellã Christus faciebat?

Apprehensa manu puellæ, ait illi: Tabitha kumi, quod est, si quis interpretetur: Puella, tibi dico surge. Et confestim reuersus est spiritus eius, & surrexit, & ambulauit. Quod euidentissimum di-

uinæ potestatis est argumentum, atq; VERBI, quo etiam ad uitam potest reuocare Deus. Qui cùm uocem suam emiserit, tetigeritq; nostra corda tum cuestigio surgere poterimus ab omnibus delictis atq; peccatis nostris, quemadmodum Christus ait Ioannis 11. Ego sum Resurrectio & Vita. Qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, uiuet.

Quid puellæ parentibus Christus præcipiebat?

Iussit duo: Cibum dari, Nec alicui dicendum, quod erat factum.

Cur cibum dari iussit?

Vt indubitato uiderent indicio, puellam à mortuis uerè suscitatam esse.

Cur iussit, nemini, quod factum erat, manifestandum?

Quoniam non uult Christus, ut ex Dei gloriosis operibus atq; miraculis propriæ iactantiæ laudem arripiamus, sed unus Dei solam gloriam quæramus.

Quidnam præcipuè discemus ex hoc Euangelio præsenti?

Principio, Deum non esse personarum inspectorem, sed æquissimum adiutorem omnium, pauperis ac diuitis, Iudæorum atq; Gentium, si modò credi-

crediderint. Neminem igitur hominem debere diuinam gratiam & auxilium desperare. Deinde in ægrotorum sanatione Christum non modò uerbis uti solitum, sed etiam membris suis, & attactu. Quo significat carnem suam cum diuinitate consociatam habere potestatem eam, ut queat uiuificare. Quòd si iam tactus à Christi membris profectus, potest mortuos suscitare, quanto magis nos immortales futuri sumus, qui Christi carnem edimus, & bibimus eius sanguinem.

TERTIO. Quamuis mulier ea, quæ obnoxia profluuio sanguinis ab annis duodecim, impendisset omnem in medicos substantiam, tamen à nullo fuerat curata. Quo discemus exemplo, medicinam non esse contemnendam. Nam ægrotos nonnullos sibi præseruat Deus, in quorum sanatione glorificetur ipse tempore suo, & declaretur eius diuina maiestas.

QVARTO. Discemus Christianorum mortem, non esse ueram mortem, sed somnium. Quemadmodum enim cubitum eunt, non ut in lectis perpetuò iaceant, permanéántque, sed paucis horis interquiescentes membra defatigata recreent, surgantq; mox alacriores uiribus refectis.

Sic

Sic mortui pij terra conduntur, & uelut in requiem ponuntur, non quòd in æternum inibi debeant recumbere, sed ad tempus quiescere, & in nouissimo die resurgere, corporibus glorificatis ad æternam in Christo uitam. Atqui longè diuersa ratio est infidelium, & impiorum hominum. Qui quoniam in hoc mundo fuerunt receptacula peccatorũ fœditissima, turpissimaq; Satanæ lupanaria, in quibus diabolo pro sua libidine seruierunt, in terra iacent etiam, sed ad æternam confusionem atq; supplicia resurrecturi, redigendi perpetuam in potestatem, cuius in hoc seculo fuerunt mancipia, nempe Satanæ. Sed quoniam in uita credentium ac piorum hominum corpora fuerunt habitacula Dei omnipotentis, sanctiq; spiritus templa uiua, terræ mandantur, ut liliorum aut rosarum beneolentia semina plantario amœnissimo, datura tempore suo fructus odoriferos, cùm in die nouissimo resuscitabuntur ad uitam æternam, Amen.

DOMINICA VIGESIMA-quinta post Trinitatis, Euangelium Matth. 17.

ET post dies sex, assumit Iesus Petrum ac Iacobum, & Ioannem fratrem eius, & subducit illos

los in montem excelsum seorsim, transformatusq; est coram illis, & splenduit facies eius sicut sol. Vestimenta aũt illius facta sunt candida sicut lumen. Et ecce conspecti sunt illis Moses, & Helias cum illo colloquentes. Respondens autem Petrus, dixit Iesu: Domine bonum est nos hic esse, si uis faciamus hic tria tabernacula, tibi unum, & Mosi unum, & Heliæ unum. Adhuc eo loquente, ecce nubes lucida obumbrauit illos, et ecce uox è nube quæ diceret: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacitum est, ipsum audite. Et cũm hæc audissent discipuli, prociderunt in faciem suam, & territi sunt uehementer. Et accedens Iesus tetigit illos, dixitq;:

xitq;: Surgite,& ne timeatis. Vbi uerò sustulissent oculos suos, neminem uidebant, nisi Iesum solũ.

Vbinam gloriosa ista Christi transformatio contigit?

In monte Thabor, quem ferũt excelsum esse rotundumq; in campestri loco regionis Galileæ, distãtem miliarijs duobus à ciuitate Nazareth, in Tribubus Zabulon, Isachar, et Nephtalim, in quẽ montem iuit oratũ, & discipulos seorsim solos subduxit. Quo facto significat, nos ab omni tumultu remotos, & ab omnib. huius mundi curis uacuos esse debere, uposq; in tranquillo successu, conuertendos ad Deum, si modò uoluerimus orationes nostras exaudiri.

Cur Christus orauit, cùm sine peccatis esset?

Quoniam fragilitatem humanam assumpsit, orare uoluit, eoq; facto nos docere, sese Pontificem summum, atq; deprecatorem esse, qui pro nobis apud patrẽm intercederet, atq; nobis communicaret Spiritum precationis, clamantem, Abba pater. Præterea ut exemplo suo nos ad orandum inuitaret, accenderetq;.

Quomodo

Quomodo contigit ea Christi transformatio?

Cùm oraret, glorificatus est coram discipulis Petro, Iacobo, Ioanne, et splenduit facies eius sicut sol. Et uestimenta eius facta sunt splendida & candida ualde uelut nix, quàm candida facere non potest fullo super terram. Et conspectus est illis Helias cum Mose, colloquebanturq; cum Iesu.

Quur Iesus coram hisce quinque personis sese transformauit?

Duplices clarificationis suæ testes uoluit adesse, Veteris ac Testamenti Noui: Huius tres Apostolos, Petrum, Iacobum & Iohannem eius fratrem: Illius Heliam, atq; Mosen.

Cur Petrum, Iacobum & Iohannem?

Hos secum adduxerat, quum Iairi filiam resuscitaret à mortuis, Matthæi 9. Eosdem in horto secum habuerat, Matthæi uigesimo sexto. Et iterum in hunc montem assumpsit, ut in ore duorum aut trium testimonium uerum constaret.

Quur Heliam atque Mosen?

Vt ostenderet se uerum Messiam esse, cui testimonium

monium perhibebant omnes prophetæ, quorum hi duo primi fuerũt, qui suas etiam ultra propheticas scripturas ex diuino mandato profligauerunt & occiderũt hostes Dei, ut gentes impias falsosq; prophetas.

Quid est clarificatio Christi?

Nihil aliud quàm specimen, & quasi præliba mentum cœlestis gaudij, gloriæ & salutis æternæ. Nam hac sua transformatione Christus demonstrare uoluit Maiestatem atq; gloriam suam, cumprimis etiam nouissimæ resurrectionis clarificationem ostendere, qua non modò coruscus ipse resulsurus sit, sed etiam eius splendore nos illustrandi.

Quid est, quòd facies eius splenduit ut sol, & uestimenta sicuti nix candida?

Ea ratione demonstrauit sese Christũ esse Dei Filium, uerum Messiam, ac omnipotentem mundi Creatorem, atq; saluatorem.

Quid est, quòd etiam Moses, & Helias claritate conspicui refulgent?

Horum claritas innuit post Christi Aduentum & Euangelij cognitionem, præcepta legis pellucida, iucunda atq; leuia futura, quæ prius obscura, inamœna atq; portatu fuerunt difficilia.

Qua

Quanam de re colloquebantur cum Christo?

Lucas inquit: Dicebant excessum eius, quem completurus erat Hierosolymis. Hoc est: Qualem uitæ terminum ac finem habiturus, quomodo passurus atq; moriturus esset pro uniuersi generis humani redemptione atq; salute.

Quomodo Moses & Helias apparuerunt?

Hosce duos ideo proculdubio Deus in terræ uisceribus corrumpi non permisit, ut in gloriosa Christi transformatione maiestateque comparerent ipsi quoq; non uelut mortui, sed clarificati, & corruptionis omnis expertes, certissimi gloriæ, maiestatisq; diuinæ testes. Hinc legimus, Deut. 34. mortuum Mosen in terra Moab, & sepultum à Dño, sed nõ esse hominem, qui nouerit sepulchrũ usq; in præsentem diem. Et 4. Reg. 2. legimus Heliam igneo curru, igneisq; sublatũ equis à Dño. Certum igitur horum duorũ corpora non in terra computruisse, sed in æternũ claritatis fulgorẽ esse transmutata.

Quid interim Apostoli tres agebant?

Lucas inquit: Petrus, & qui cum illo erant, grauati erant somno. Experrecti autem, uiderunt maiestatẽ eius, et duos uiros qui stabant cum illo. Tam infirma sunt atq; fragilia caro et sanguis, dum Chri

stus orat, ipsi dormiunt. Ita nobis etiam euenire solet, qui cùm debemus orare, dormitamus ignauissimi. Et illorum desidia, torporq; ueternosus prouenisset, ut à Christo relicti, non uidissent hanc eius gloriosam claritatis diuinæ maiestatem. Sed quæ fuit apud Christum uberrima gratia refulsit, & obumbrauit illos. Excitati fuerunt igitur è somno, ut omnia uiderent, & è conspecta claritate quendam haberent ueluti gustum æternæ uitæ.

Quid cùm euigilasset, uidisset q; claritatem Christi faciebat Petrus?

Immensa lætitia Petrus fuit ita perfusus, ut in hanc sententiam eruperit, dixeritq; Iesu: Rabbi bonum est hic esse. Si uis, faciamus hic tria tabernacula: tibi unum, & Mosi unum, et Heliæ unum.

Quid responsum ei fuit?

Hæc eo loquente: Ecce nubes lucida obumbrauit illos, & uox facta est de nube, dicens: Hic est filius meus dilectus, ipsum audite. Et cùm hæc audissent discipuli, procciderunt in faciem suam, & territi sunt uehementer.

Cur in nube lucida Deus pater apparuit?

Quoniam Deus est spiritus, & inuisibilis. Hinc Ioannes ait: Deum nemo uidit unquam. Proinde sæpius apparuit in nube Deus.

Qui

Quibus scripturę locis hoc planum facis?

Dominus præcedebat populum Israëliticum ad ostendendam uiam per diem in columna nubis, & per noctem in columna ignis, Exod. 13. Item cùm rex Solomon dedicaret templum, nebula impleuit domum Domini, & non poterant Sacerdotes stare & ministrare propter nebulam. Impleuerat enim gloria Domini domum Domini. 3. Regum 8. Sic & in hoc loco Deus apparuit, atque locutus de nube fuit.

Quoties in Euangelio legimus auditam Dei patris uocem?

Ter: Principiò, cùm baptizaretur in Iordane Christus. Matth. 3. Deinde in templo, cùm Christus Ioannis 12. diceret: Pater illustra nomen tuum. Venit ergo uox de cœlo, dicens: Et illustraui, & rursus illustrabo. Tertiò, in monte Thabor, ut in hoc præsente Euang. dicit: Hic est filius meus dilectus, ipsum audite. Non dicit, audite patres, concilia, summos sacerdotes, aut monachos, sed dilectum meum filium, qui est uia, ueritas, atq; uita Ioan. 14. Et 2. Pet. 1. Oculis nostris aspeximus illius maiestatem. Acceperat enim à Deo patre honorem & gloriam, uoce ad illum delata huiusmodi à magnifica gloria: Hic est ille filius meus dilectus, in quo mihi com-

placitũ est. Et hanc uocẽ nos audiuimus è cœlo delatam, cùm essemus unà cum illo in monte sancto.

Cur eos nubes & uox patris exterruit?

Tanta humanæ naturæ fragilitas est, ut Dei claritatem non possit ferre. Paulò ante sibi uidebantur Apostoli in medio cœlo esse, iam deterremur ita, quasi in medio sint gehennæ barathro.

Eos ne Christus consolabatur?

Maximè: Nam accedens Iesus tetigit illos, dixitq; Surgite, & ne timeatis. Vbi uerò sustulissent oculos suos, neminem uidebant, nisi Iesum solum.

Quid est, solum uidere Iesum?

Docet, oportere nos in agone mortis omnia relinquere, & si modò saluari uoluerimus, ad solum Christum mediatorem atq; saluatorem unicum firmiter adhærescere.

Quid præterea contigit?

Facta uoce de clara nube, solus Christus perstitit. Maximi sancti ueteris testamenti euanuerunt, & noui conciderunt, utrique dantes honorem & gloriam Christo, qui semper in maiestate sua constanter perseuerat.

Nobis ne similiter eueniet?

Maximè: Nam in extrema necessitate, cùm mortis horror, seueruſq; diuini iudicij rigor ante oculos obuersabuntur, cùm diabolus atq; peccata nos

accusabunt, cumq; denique caua guttura pandet infernus ad nos deuorandum, quæsituri sumus uaria præsidia, consolationesque. Hic à meritis propriis, & operibus auxilia sibi paraturus: alius à sacrificulis atque monachis: alius à sanctis, sed omnia, tanquam uento puluis agitatu, euanescent. Omnes sancti, omnes homines, omnes denique creaturæ, quæ in cœlo & in terra, sunt à nobis recessuri, imò nostra, quæ optima habemus opera, deseruranos, omnisque destitutos. Tum nobis illud cõueniet, quod Esaias ait cap. 63. Tu Domine pater noster Abraham nesciuit nos, & Israël ignorauit nos. Tu Domine pater noster, & redemptor noster, à seculo nomen tuum. Præterea uidebimur etiam uelut à Deo prorsum derelicti, iuxta illud Esaiæ 54. Ad punctum in modico dereliqui te, & in miserationibus magnis congregabo te.

Nulla ne spes uel cõsolatio supererit?

Post terrorẽ nos respecturi solum, omnibus alijs remotis, Christum uisuri sumus. Quòd si uitæ nostræ temporib. incredduli, uiximus impiè, Verbũq; Dei contempsimus, contemplaturi & experturi sumus acerrimum iudicem, grauissima de nobis supplicia sumpturum. Contrà, si fideles fuimus, si Dei Verbum audiuimus, & conseruauimus, gratioq; fuimus in Deum & homines, uisuri sumus illum ut clementissimum patrem, redemptorem atq; sal-

tatorem, qui propensus promptusq; uos sui regni, uitæq; æternæ facere participes. Amen.

DOMINICA VLTIMA *post Trinitatis*, Euangelium Matthæi XXIII.

ET egressus Iesus discedebat à templo, & accesserũt discipuli eius, ut ostenderent ei structuras templi. Iesus autem dixit illis: Nonne uidetis hęc omnia? Amen dico uobis, non relinquetur hic lapis super lapidem, qui non destruetur. Sedente autem eo in mõte oliuarum, accesserunt ad eum discipuli secretò, dicentes: Dic nobis, quãdo hæc erunt? & quod sit signum aduentus tui, & cõsummationis seculi? Et respondens Iesus, dixit eis: Videte, ne quis uos seducat. Multi enim uenient in nomine meo, dicentes: Ego sum Chris-

tus

stus, multosq; seducent. Auditurі aũt estis bella, et rumores bellorũ: uidete ne turbemini. Oportet enim omnia fieri, sed nondum est finis. Consurget autem gens contra gentem, & regnum contra regnum: & erunt pestilentiæ, & fames, & terræ motus singulis locis. Hæc aũt omnia initia sunt dolorum. Tunc tradent uos in afflictionem, & occidẽt uos, & eritis inuisi cunctis gentibus propter nomẽ meũ. Et tunc offendiculum patiẽtur multi, & alius alium inuicem tradent, seq; odio habebũt inuicẽ, & multi pseudoprophetę surgẽt, ac seducent multos: & quoniã abundabit iniqtas, refrigescet charitas multorũ. Qui aũt perseuerauerit usq; in finẽ, hic saluus erit. Et

prędicabitur hoc Euangelium regni in uiuerſo orbe, in teſtimonium omnib. gentib. & tunc ueniet conſummatio. Cùm ergo uideritis abominationem deſolationis, quę dicta eſt à Daniele propheta, ſtantem in loco ſancto: qui legit, intelligat: tunc qui in Iudęa ſunt, fugiant ad mõtes: qui in tecto, nõ deſcendat, ut tollat quicq̃ de domo ſua: & qui in agro, non reuertatur ut tollat ueſtes ſuas. Væ autem pręgnantibus & lactantibus in illis diebus. Orate autem, ut nõ fiat fuga ueſtra hyeme, neq; ſabbato. Erit enim tũc afflictio magna, qualis nõ fuit ab initio mundi ad hoc uſq; tẽpus, neq; fiet. Et niſi decurtati fuiſſent dies illi, nõ fieret ſalua oĩs caro, ſed propter electos

decurtabuntur dies illi. Tunc ſi quis uobis dixerit: ecce hic Chriſtus, aut illic, nolite credere. Surgent enim pſeudochriſti & pſeudoprophetæ, & dabunt ſigna magna & prodigia, ita ut in errorem inducantur, ſi fieri poſſit, etiam electi. Ecce prædixi uobis. Si ergo dixerint uobis: ecce in deſerto eſt, nolite exire: ecce in penetralibus, nolite credere. Sicut enim fulgur exit ab Oriente, & apparet uſque in occidentem, ita erit aduentus filij hominis. Vbicunque enim fuerit cadauer, illic congregabuntur & aquilæ.

Quanam de re dicit Euangelium præſens?

De duplici ſignorum ratione, Quorum alia de

templi Hierosolymitani deuastatione dicta sunt. Alia de consummatione seculi aduentuq; Domini nostri Iesu Christi, in nouissimo die.

Quam habuit Christus occasionem dicendi de mundi consumatione?

Discipuli putabant extremum diem cum ipsa protinus Hierosolymitana deuastatiõe uenturam: Hinc est, quòd Christum quæsierint de mundi fine dicentes: Dic nobis quando hæc erunt? & quod signum aduentus tui, & consumationis seculi?

Quid Christus respondebat?

Distincte, articulatimq; dixit de utroque, nempe, de templi uastatione, & mundi fine. Sed ab initio præmonitionem seriam præmisit, inquiens: Videte ne quis uos seducat, quasi dicat: Quoniam temerario desyderio quæ futura sunt pernoscendi, uidete ne seducamini. Nam ante tempus illud duo hominum genera suboritura sunt, qui maximos in Ecclesiam errores, acrocisimaq; pericula sunt in mundum inuecturi.

Quid de prioribus dicit?

Multi uenient, inquit, in nomine meo, dicentes, se esse Christum, & tempus instat, ne igitur sequamini illos.

Quinam

Quinam eius farinæ homines fuerunt?

Huius generis fuit, in diebus professionis sub Augusto Cæsare, atque præside Cyrenio, Iudas Galilæus, qui populum multum auertit post se, & ipse perijt, & omnes quotquot paruerant ei, dispersi sunt. Deinde Cuspio Fado Iudæam procurante deceptor Magus Theodas, qui inactis Apostolorum Theudas appellatur, persuasit populi multitudinem, sublatis proprijs facultatibus urbe excedere, & ripas Iordanis fluminis obsidere. Dicebat autem se etiam Prophetam esse, & posse uerbi sui præcepto fluuij fluenta dirimere, & facilè suis sectatoribus fluminis transitum dare. Quæ cùm diceret, multos decepit. Fadus uerò non in longum uecordiæ eius indulsit, sed immisit equitum turmam, quæ ex improuiso irruens super eos, quàm plurimos quidem peremit, ipsius autem Theodæ caput desectum Hierosolymam reportauit: meminit Tripartita historia libro secundo capit. undecimo. Postea Magus Ægyptius in Iudæam ueniens fidem sibi Prophetæ magica arte conciliauit, & continuo ad triginta milia uirorum congregans, & ductans eos per desertum, peruenit cum ipsis ad montem qui uocatur Olueti, paratus inde irruere Hierosolymam, & ui de potestate urbem tenere, simulq; Romanorum præ-

præsidia ac plebem tyrannidi suæ subiugare. Sed conatum eius præuenit Fœlix, confestimq; cum armatis obuiam pergens, secum etiam plebe reliqua conspirante, congressione facta, Aegyptium quidem cum paucis in fugam uertit, peremptis uerò alijs, alijs etiam captis, temere cœpta facilè restinxit. Hæc in secundo historiarum libro Ioseph us refert. Et tripartita historia lib. 2. cap. 21. Et Lucas meminit Act. 21. Postmodo Simon magnus, qui in ciuitate Samariæ artem exercuerat magicam, ac gentem dementauerat, dicens se esse quẽpiam magnum, cui auscultabant illi à minimo usque ad maximum dicentes: Hic est uirtus Dei, quæ uocatur magna. Hunc sanctus Petrus domuit Actorum. 8. Postmodum in ciuitate Papho Cypri insulæ Iudæus Pseudopropheta qui dicebatur Elymos hoc est, si interpreteris Rex Dei, uel Messias, quærens Sergium Paulum auertere procõsulem à fide, ad quem sanctus Paulus Actorum. 13. sic ait: O plene omni dolo, & omni uersutia fili diaboli, inimice omnis iusticiæ, non desinis inuertere uias Domini rectas. Et nunc ecce manus Domini super te, & eris cæcus non uidens solem usque ad tempus, & confestim cecidit in eum caligo & tenebræ, & circumiens quærebat, qui se manu duceret. Hij omnes prædicabant, & nitebantur hominibus persuadere sese Messiam esse, atque seducebant

bant plurimos, dicentes: Tempus aduenisse, non Messiam alium expectandum esse.

Quid Christus de alteris dixit?

Surgent, inquit, pseudochristi & pseudoprophetæ, & dabunt signa magna, multosq; seducent &c. Et Ioseph us asserit Iudæam totam impostoribus repletam fuisse, Seductores enim homines, & circumuentores sub specie religionis nouis rebus studẽtes uulgus insanire fecisse. Præterea multos, quorum princeps erat Eleazarus, latrones, sicarios q; regionem infestasse.

Quemadmodum autem plurimi Pseudoprophetæ fuerunt ante deuastationem Hierosolymitanam, ita plurimos ait exorituros ante mundi cõsummationem. Legimus sub Hadriano Cæsare, Anno. 120. quendam pseudoprophetam nomine Ben Cuziba prodijsse, & sese Messiam uenditasse. Qui multa Iudæorum milia contraxerat, & infecerat doctrina falsa, sed omnes ad internecionem cæsi. Deinde innumeri alij falsi Prophetæ, utpote Arrius, Cherinthus, Manichius, Sabellius, & reliqui. Postmodum ingruit Papa stipatus tot Monachis, tot sacrificulis, tot monialibus, tot denique rasorum gregibus,

Quot lepores in Atho, quot apes pascuntur in Hybla.

In cœlo

In cœlo stellæ, quot habentur in æquore guttæ.

Quorum falsa religio multis imposuit, dicentium, atq; prædicantium: Tempus instat, quo prisca, quæ sub Apostolis misera squalebat, paupertatem abijcere debet Ecclesia, exuuiasq; pannosas deponere, & ornatus multo splendidiores assumere fastuq; turgescere, locupletanda diuicijs, & æquanda regibus. Priscus item ritus, & antiqua cõsuetudo mutanda. Nam ijs qui sacris iniciabuntur, non erunt contrahenda matrimonia. Altera diuini Sacramenti species eripienda Laicis. Postremò factionum, seditionum, atque schismatum prodigiosa capita, autoresq; prophanissimi subacti sunt, qui dicebant, adesse tempus cœlitus indictum, quo omnes impij deberent gladio Gedeonis tolli, ut ea detestanda sentina hominumq; colluuie liberata repurgaretur Ecclesia. Id patrem cœlestem uelle, Id spiritum de cœlo mandasse. Sed Christus ait, ne sequamini eos. Me audite, & quæ uos ego docui.

Quænam signa deuastationis templi?

Eius desolationis tria signa protudit, excidium miserabile præcessura.

Quod primum?

Audituri, inquit, estis bella, seditiones, & rumores

mores bellorum, uidete ne turbemini, nolite terreori. Oportet enim hæc omnia fieri, sed nõdum finis. Quasi dicat: cùm uideritis & audieritis maximas calamitates, & extrema pericula Hierosolymis, Iudæorumq; populis impendere, non terrebimini neque timebitis mundo, quasi finis eius adsit. Nam plurimæ res adhuc euenient admirabiles, antequã ad extremam illa metam decurrerit. Interim adhuc ualde largam (quod aiunt) aquam Rhenus in mare deferet, insurget gens contra gentem, & regnum aduersus regnum, & terræmotus magni erunt in singulis locis, & fames, & pestilentiæ, terriculamentaq;, & signa de cœlo magna erunt. Sed ante hæc omnia, injicient uobis manus suas & persequentur, tradentes in conciliabula & carceres, trahentes ad reges & præsides, propter nomen meum. Quasi dicat: Qualiacunq; mala subiturus est mundus, tamen in eo uos nihil eritis aliud inuenturi, quàm meras inimicitias, atq; persecutiones. Tradimini à parentibus & fratribus, & cognatis, & amicis. Et eritis inuisi odioq; habiti ab omnibus hominibus. Imò totus mundus uobis aduersabitur, & quod uiribus obtinere non poterit, adhibebit dolos, fraudes, & insidias, iuxta uetus illud dictum: Si leonum pellis non erit satis, uulpina addenda, ut de amicitia mundi plane sit actum.

Nullam

Nullam ne consolationem in tantis afflictionibus dedit Christus?

Sic ait: Cùm duxerint uos tradentes, ne præcogitetis quid dicturi sitis, neq; meditemini, sed quicquid datum fuerit uobis in illa hora, hoc loquamini. Habete fixum in cordibus, non esse præmeditandam defensionem. Nam ipse dabo uobis os & sapientiam, cui non poterunt contradicere, neque resistere omnes, qui aduersabuntur uobis. Non enim estis uos, qui loquimini, sed spiritus sanctus in uobis loquens. Pilus de capite uestro non peribit, per patientiam uestram possidete animas uestras.

Quod fuit secundum excidij Hierosolimitani signum?

Obsidio Cestij Galli, de qua Iosephus belli Iudaici libro secundo cap. 23. scribit. Quæ post ascensionem Christi proxima fuit, ante Titi Cæsaris obsidionem mox insequentem. Prima autẽ ista obsidione Deus Hierosolymam circundari uoluit, ut hoc certo ueluti signo Iudæi admoniti meliorem ad uitam reuocarentur, atque conuerterẽtur ad peccatorum pœnitentiam. Sed cùm diuina prouidentia Cestij cor ita reddidisset effœminatum, ut à cœpta (licet facilè per proditiones potissimum

capi

capi potuisset urbs) oppugnatione desisteret, & imbellis sine causa causaciuitatem illæsam relinqueret, adeo fastuosi, feroces, præfracti, procaces & inobedientes Iudæi fuerunt redditi, ut insolentes clamauerint: Hìc Deus habitat præsens, qui demonstrauit ipso facto, sese nobis auxilio futurũ. Sic cùm hanccine paternam admonitionis diuinæ uirgam contemnerent, uenerunt tandem Romani, qui solo æquauerunt omnia.

Quod tertium præcedebat Hierosolymitanam deuastationem signum?

Cùm uideritis, inquit, abominationem desolationis, quæ dicta est à Daniele Propheta, stantem in loco sancto, qui legit, intelligat. Cumq; uideritis circundari ab exercitibus Hierosolymam, tunc scitote, quòd immineat desolatio eius.

Quid est abominatio desolationis?

Nihil aliud, quàm idololatria Caij Caligulæ Cæsaris Tyberij successoris, qui suam imaginem intulit templo, & ut Deum adorari uoluit. De quo sic Philon scribit: Multa, inquit, erat in Caio ingenij prauitas, qua erga omnes homines, tum præcipuè erga Iudæos ferebatur, & speciali qua-

dam sæuitia loca eorum, quæ in diuinis habent supplicationibus consecrata, incipiēs ab Alexandria diripi, & contra religionem, moremq; gentis prophanari iubet, statuis suis, et signis ea atq; imaginibus replens, Templū quoq; sanctæ ciuitatis, quod solum manebat totius prophanæ contagionis intactum, & à maioribus perdurauerat asylum, commutare in templum proprij nominis ausus est, ut ædes Iouis nobilissimi Dei Caij uocaretur. Idolatriam itaque pessimi principis abominationem appellauit Christus, & eo nomine solet illa sacris in literis uocari, cùm Deus eandem execrari, multumq; soleat nauseare, nullumq; peccatum aliud magis odisse, quàm hoc ipsum. Alia quidem peccata punit Deus, sed tamen propter ea non totum (ut prouerbio dicitur) subuertit, Pinus in morē. Atqui propter Idolatriam sæpenumero grauissima sumpsit de mūdo supplicia. Namut alia transeam, deuastauit regnum Israēliticum, funditusq; perdidit, atq; Iudæos per totum orbem disiecit dispersitq;. Vult igitur hoc Christus dicere: Cùm eiusmodi ingruerit abominatio, ut sanctum omnipotentis Dei ministerium, & uerus religionis diuinæ cultus transmutatus sit in idolatriam atque blasphemiam, tum nemo uestrum cogitet aut speret melorem Hierosolymæ fortunam, sed sciat nullam superesse spem, qua possit à malis liberari, sicut olim temporibus Ezechiæ regis, cùm in nocte uenit Angelus Domini in castra Sennacherib regis Assyriorum, & percussit centum quinquaginta milia hostium, 4. Regum 19. Aut quemadmodum post captiuitatem Babylonicam, cùm Iudæi transactis annis septuaginta reuersi fuerunt in patriam, pristinam in dignitatem, imperiumq; restituti. Sed hic nulla spes redemptionis, sed æterna futura perditio.

Quid consilij dat suis Christus, quò tanta mala possint effugere?

Sic ait: Qui tunc in Iudæa sunt, fugiant in montes. Qui in tecto, non descendat, ut tollat quicquam de domo sua. Et qui in agro, non reuertatur, ut tollat uestes suas. Væ autem prægnantibus & lactentibus in illis diebus, quum alias habeant satis laborum, ad fugam nunus idoneæ. Orate autem, ut non fiat fuga uestra in hyeme, neq; Sabbatho. Tempus enim hybernum difficilem facit, impeditq; cursum. Et sabbathina festinitas uetat proficisci. Qu.d. Videte, ne tempore importuno fugam meditemini, ne deprehensi pereatis cum impiorum caterua. Porrò aduersus instātia mala præsentissimam medicinam fuga suppeditabit.

Nam supra hunc populum Deus tantam est iram effusurus, ut casuri sint acie gladij, & captiui ducendi in omnes gentes. Nam illi dies ultionis & iræ diuinæ sunt futuri. Erit enim talis afflictio, qualis non fuit à primordio rerum conditarum, quas condidit Deus, usque ad hoc tempus, nec futura est. Et nisi decurtati fuissent dies illi, non fieret salua omnis caro, sed propter electos decurtabuntur dies illi.

Quis illud excidium miserabile, flebilemq; describit deuastationem?

Flauius Iosephus septem de bello Iudaico libris. Et referunt Autores, tantam Iudæorum calamitatem sumpsisse principium statim post mortem Ioannis Baptistæ, Christi, & Iacobi, sub præsidibus Festo, Felice, & Floro. Hic Albini successor, iniquitates in unuersam gentem Iudaicam, quasi gloriaretur, exercuit, ac uelut non ad regendam prouinciam, sed ad damnatorum pœnas carnifex missus, neque rapinarum ullum morem, neque adflictionum permisit. In miseris crudelissimus erat, in turpibus impudentissimus. Hic totas dispoliabat urbes, & labes populis inferebat, tantum non uoce per totam regionem edicens, liberum esse omnibus latrocinari, dummodo ipse prædarum acciperet portionem.

portionem. Sic populis aperuit fenestram in Iudæos propalam sæuiendi, sic ut multa Iudæorum milia passim per ciuitates atq; prouincias cæsa fuerint, excepto, quòd ipsi mutuis uulneribus confecti patrarunt inter sese. Nam tot Hierosolymis homicidia fiebant, atq; cædes die noctuq;, ut non ciuitatis locus uideretur, sed horrendissimus mortis aspectus, atq; campus funerum. Atqui hæc omnia, fuerunt initia dolorum & ærumnarum. Nam postea in Hierosolymitanæ urbis expugnatione acciderunt extrema (quod prouerbio dicunt) extremorum mala. Tum sanguine fluebant omnia, tricies centenorum millium fuit multitudo, quorum maxima pars cæsa, multi in seruitutem redacti, uenditi, & per uniuersum terrarum orbem dispersi, demptis ijs qui fame perierunt, & ijs quos Cæsar sibi reseruauerat ad spectaculum, bestijs obijciendos, ludisq; gladiatorijs exhibendos, & in Ægyptum mittendos, perpetuò metallis fodinis damnatos. Tum æquata sole ceciderunt omnia, ciuitas, muri, turres, domus, Templum, populus. Et sic impleta fuit Prophecia Danielis, atque Christi dicentis: Et Hierusalem calcabitur à Gentibus, donec impleantur tempora gentium.

Estne templum Hierosolymitanum interim reædificatum?

Cæsar Iulianus Apostata Iudæos contra Christianos armauit, & exosus Deo iussit destructum reparari templũ, credens infœlix dominicum uerbum se posse destruere, cuius per hoc ueritatem magis ostendit. Hæc itaq; Iudæi libenter accipientes cunctis per diuersum terrarum orbem mandauere Iudæis. Quiundiq; concurrentes, pecunias ad ædificium alacriter offerebant, ministrauitq; plurimum etiam imperator non largitatis gratia, sed ut ueritatem oppugnaret. Misitq; pariter præsidem impiorum executorem dignissimum præceptorum. Aiunt enim, quòd ad repurgationem faciendam argenteos hamos, & cophinos, & scaphas habuerunt. Cumq; fodere tam cœpissent stato quidem die hoc multitudo plurima faciebat, nocte uerò spontanea terra de ualle crescebat. Solutis itaque prioris etiam fundamenti reliquijs noua omnia præparabant. Cumque gypsi & calcis multa modiorum milia congregassent, uis magna uentorum repente respirans, tempestates atque procellæ subitò factæ quicquid congregatum fuerat, dispersere. Adhuc autem insanientibus ijs, & nequaquam diuina longanimitate correptis, maximus primo terræ motus est factus. Et quisq; nõ fuerat mysterijs diuinis imbutus uehemẽter attritus est. Cũ uerò neq; hoc terreretur indicio ignis ex fundamentis, quæ suffodiebãtur egrediẽs, plurimos

plurimos fodientium cõcremauit, aliorum membra dissoluit. Nocte etiam plurimis in uicina porticu dormientibus, cadens subitò cum tecto ipsa porticus, dormientes oppressit. Alio uerò die, in cœlo signum splendens crucis salutaris apparuit. Sed et etiam Iudæorum uestes crucis signaculo sunt oppletæ, non tamen splendenti, sed nigro colore signatæ. Hæc itaq; Deo rebelles considerantes, & diuina flagella expauescentes, destiterunt cœptis, ad propria reuersi, confitentes esse Deum, qui ab illorum progenitoribus ligno fuerit affixus. Quod audiens Iulianus, cũm utiq; caneretur ab omnibus, tanquam Pharao indurato corde non timuit, ut habetur in Ecclesiasticæ historiæ libro 6. cap. 43. Sic Hierusalem conculcatur iam à Turcis atq; gentibus, iuxta prophetiam Christi, Lucæ 21.

Suntne tam horribilia calamitatum atrocissimarum exempla nobis etiam metuenda?

Maximè. In immensum illud mare malorum, & in Orci (quod dicitur) culum uel hostibus miserandi Iudæi inciderũt, propter insignẽ incredulitatẽ & ingratitudinẽ, quòd nõ cognouerint tempus uisitationis suæ, sed repulerint et occiderint Christũ salutatorem mundi. Nihil eos ab inueterata cordis malitia retraxerunt tot adhortationes piæ, nihil flexerunt tot obtestationes, nihil denique tot

graues interminationes deterruerunt. Contemnebant enim omnia, nullam ueritati fidem adhibẽtes tantisper, dum funditus exterminarentur. Sic nobis etiam, si incredulitatem illorum, aut infidelitatem imitati fuerimus, eueniet. Videmus mundum ad extremam metam decurrere, non aliter atque domus antiqua, carioſaq; crepat, & minatur ruinam. Quæ Chriſtus oſtendit præceſſura nouiſſimum diem ſigna, in obſcuro non ſunt. Mundus refertus eſt pſeudoprophetis, factionibus, ſectis. Conſurgit gens contra gentem, & regnum contra regnum. Qui concordes mutuo ſeſe fauore complectantur homines rariſsimi reperiuntur. Extincta iacet pietas, fidesq;. Abundat iniquitas, refrixit charitas. Non eſt in ullo mortalium uſu dictum illud Chriſti, Matt. 7. Omnia quæcunq; uolueritis ut faciant uobis homines, eadem & uos facite illis. In ſumma, Nobis ante oculos poſita ſunt omnia, quæcunq; prædixit Chriſtus Dominus noſter. Crimen auaritiæ, quæ malorum omnium eſt radix, uniuerſum mundum occupauit, ac in ſeruitutem redegit. Nuſquam eſt ulla fidelitas, nuſquã ueritas, ut uel horribiliore, uel atrociore malo non poſsit exerceri mundus. Ferocit inſanitq; Turca truci dando corpora. Furunt animas occidendo Pſeudoprophetæ, falſi doctores, Papiſtæ, Sophiſtæ, Enthuſiaſtæ, Anabaptiſtæ. Sed nondum eſt finis.

Reſtat

Reſtat igitur ut Deum miſericordem, Patrem noſtrum cœleſtem ſuppliciter oremus, quo nos gregem ſuum puſillum protegere, atque propter filium ſuum Chriſtum in uerbo diuino conſeruare, uacuos à falſa doctrina, atque ſectarum omnium contagione, & poſt hanc uitam perducere dignetur ad æterna gaudia, ſalutemqúe animarum. AMEN.

FINIS.

Euangelium Dominica Paschæ, Marci ultimo, Folio 2. a
Euangelium in die Lunæ post Paschæ, Lucæ 24. 14. b
Euangelium in die Martis, Lucæ 24. 19. b
Euangelium Dominica prima post paschæ Ioannis 20. 25. b
Concio secunda, Ioannis 21. 32. a
Concio tertia, Ioannis 21. 39. a
Concio quarta, Matthæi ultimo. 46. b
Euangelium Domnica Misericordia, Ioannis 10. 50. a
Euangelium Dominica Iubilate, Ioannis 16. 56. b
Euangelium Dominica Cantate, Ioannis 16. 72. b
Euangelium Dominica Vocem Iocunditatis, Ioannis 16. 78. b
Concio, Lucæ 11. 88. b
Euangelium in die Adscensionis, Marci ultimo. 90 a
Euangelium Dominica Exaudi, Ioannis 15. 95 a
Euangelium Dominica Pentecostes, Ioannis 14. 101. b
Euangelium in die Lunæ post pentecosten, Ioannis 13. 108. b
Euangelium in die Martis post Pentecosten, Ioannis 10 115. a
Euangelium Dominica Trinitatis Ioan. 3. 121. b

Euange-

Euangelium Dominica prima post Trinitatis, Lucæ 16. 128. a
Euangelium Dominica secunda post Trinitatis, Lucæ 14. 136. a
Euangelium Dominica tertia post Trinitatis, Lucæ 15. 142. b
Euangelium Dominica quarta post Trinitatis, Lucæ 6. 150. a
Euangelium Dominica quinta post Trinitatis, Lucæ 5. 156. b
Euangelium Dominica sexta post Trinitatis, Matthæi 5. 164. a
Euangelium Dominica septima post Trinitatis, Marci 8. 169. b
Euangelium Dominica octaua post Trinitatis, Matthæi 7. 176. b
Euangelium Dominica nona post Trinitatis, Lucæ 16. 182. b
Euangelium Dominica decima post Trinitatis, Lucæ 19. 189. b
Euangelium Dominica undecima post Trinitatis, Lucæ 18. 194. b
Euangelium Dominica duodecima post Trinitatis, Marci 7. 200. a
Euangelium Dominica decima tertia post Trinitatis, Lucæ 10. 206. b
Euangelium Dom. 14. post Trini. Luc. 17. 213. b

Euangelium

Euangelium Dominica decima quinta post Trinitatis, Matthæi 6. 220. b
Euangelium Dominica decima sexta post Trinitatis, Lucæ 7. 228. a
Euangelium Dominica decima septima post Trinitatis, Lucæ 14. 236. a
Euangelium Dominica decima octaua post Trinitatis Mathæi 22. 243. a
Euangelium Dominica decima nona post Trinitatis, Matthæi 9. 249. b
Euangelium Dominica Vigesima post Trinitatis, Matthæi 22. 255. b
Euangelium Dominica uigesima prima post Trinitatis, Ioannis 4. 262. b
Euangelium Dominica uigesima secunda post Trinitatis, Matthæi 18. 268. a
Euangelium Dominica uigesima tertia post Trinitatis, Matthæi 22. 275. a
Euangelium Dominica uigesima quarta post Trinitatis, Matthæi 9. 280. b
Euangelium Dominica uigesima quinta post Trinitatis, Matthæi 17. 286. b
Euangelium Dominica uigesima sexta post Trinitatis, Matthæi 24. 291. b

FINIS.

M. D. XLIIII.

POSTILLA SPANI